BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XL
A
10
NAPOLI

10

# COMMENTARIA IN SATYRAS AVLI PERSII FLACCI.

Per R.P. S.T.Mag.

FR. HENRICVM SCALESIVM

A Pim. Ord. Pr.

elaborata.

*Pars ſecunda.*

NEAPOLI 1689.

Apud Carolum Porſile Regium Typograph.

*Superiorum Lic.*

Di Lorenzo Gianni

# IN
# SATYRAM
## SECVNDAM

*ARGVMENTVM.*

SEcunda Satyra grauiſſimum continet argumentum è penetralibus Ethnicorum Theologiæ, ſiue moralis noſtræ Philoſophiæ petitum, nempe de ratione rectè orandi Deum, quam certè nemo ſcit, niſi qui à Deo accepit, vt Chriſtiani, quos Dei filius docuit, dicens inter alia Matthei 6. *Tu autem, quum oraueris intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito: & pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. Orantes autem nolite multum loqui, ſicut Ethnici, putant enim, quod in multiloquio ſuo exaudiantur. Nolite ergo aſſimilari eis: ſcit enim pater veſter, quid opus ſit vobis, antequam petatis eum. Sic ergo vos orabitis: Pater noſter, qui es in Cęlis &c.* Stoici dicebant neminem, niſi ſapientem Deum orare nouiſſe. Siquidem in materia iſta multiplex

accidit error, dum vel iniuſta, impia, & noxia, aut ſaltem inutilia petuntur: vel contraria operatione ſumus nobis ipſis impedimento, ne, quæ petimus, conſequamur. Siue quod orantes, falſa ducimur opinione, exiſtimantes Deum externis capi muneribus, vt cum eo, pro voto obtinendo, rebus huiuſmodi nundinationem inſtituere poſſe ſperemus, quum ipſe, Pſalmo 49. proteſtetur, ſacrificia legalia ſibi cordi non eſſe, & malle laudis ſacrificium quam pecudum, nam vt dicitur Ioannis 4. *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare*, nec rebus exterioribus ſolitariè ſumptis, ſed pura oblectatur conſcientia. Id in hac ſecunda Satira dicitur.

# SATYRÆ SECVNDÆ TEXTVS PRIMVS.

*HVnc Macrine diem numera meliore lapillo,*
*Qui tibi labentes apponit candidus annos.*
*Funde merum Genio, nõ tu prece poſcis emaci,*
*Quæ niſi ſeductis nequeas committere Diuis.*
*At bona pars procerum tacita libabit acerra,*
*Haud cuiuis promptum eſt murmurq; humileſque ſuſurros*
*Tollere de templis, & aperto viuere voto.*
*Mens bona, fama fides, hæc clarè, & ut audiat hoſpes:*
*Illa tibi introrſum, & ſub lingua immurmurat: ô ſi*
*Ebullet patrui pręclarum funus! & ô ſi*
*Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria, dextro*
*Hercule! pupillũue vtinã, quẽ proximus hæres*
*Impello, expungam! nãq; eſt ſcabioſus, & acri*
*Bile tumet. Nerio iam tertia ducitur vxor.*
*Hæc ſanctè vt poſcas, Tiberino in gurgite mergis*
*Mane caput bis, terq; et noctẽ flumine purgas.*
*Heus age, reſponde; minimum eſt quod ſcire laboro:*
*De Ioue quid ſentis? eſtne ut pręponere cures,*
*Hunc cuiquam? Cuinam? Vis Staio? An ſcilicet hęres?*
*Quis potior iudex? pueriſue quis aptior orbis?*
*Hoc igitur, quo tu Iouis aurẽ impellere tentas*

*Dic agedū Staio. Proh Iuppiter ô bone clamet:*
*Iuppiter at ſeſe non clamet Iuppiter ipſe?*
*Ignouiſſe putas, quia quum tonat ocyus lex*
*Sulphure diſcutitur ſacro, quā tuq; domuſq;?*
*An quia non fibris ouium, Ergennaq; iubente*
*Triſte iaces lucis, euitandumq; bidental,*
*Idcirco ſtolidam præbet tibi vellere barbam*
*Iuppiter? Aut quidnam eſt, qua tu mercede, Deorum*
*Emeris auriculas? pulmone, & lactibus vnctis?*
*Ecce auia, aut metuens Diuum matertera, cunis*
*Exemit puerum, frontemq; atq; uda labella*
*Infami digito, & luſtralibus ante ſaliuis*
*Expiat, urentes oculos inhibere perita.*
*Tunc manibus quatit, & ſpem macram, ſupplice uoto,*
*Nunc Licini in campos, nunc Craſſi mittit in ædes:*
*Hunc optent generum Rex, & Regina, puellæ*
*Hunc rapiant, quidquid calcauerit hic roſa fiat..*
*At ego nutrici non mando uota, negato*
*Iuppiter hæc illi, quamuis te albata rogarit.*

# EXPOSITIO
## TEXTVS PRIMI
## SATYRÆ SECVNDÆ.

HVNC *Macrine diem numera meliore lapillo, qui tibi labẽtes apponit candidus annos.* Quinam fuerit Macrinus iſte, controuertitur; exiſtimat Caſaubonus non fuiſſe Plotium, nec Minutium Macrinum, ſed alium quemdam veteribus quidem innominatum, ſed Perſij condiſcipulum, à quo, paterno affectu, diligebatur, & à quo agrum comparauerat, parte etiam pretij ſibi donata, vt veterum gloſſarum in Perſium autor, docet in eius vita. Non video tamen quur Macrinus iſte, de quo gloſſarum autor, non potuerit eſſe Minucius ille Macrinus, cuius, Iulio Maurico ſcribens, Plin. meminit lib. 1 epiſt. 14. *Nihil eſt, quod à te mãdari mihi, aut maius, aut gratius, nihil quod honeſtius à me ſuſcipi poſſit, quam ut eligam iuuenem, ex quo naſci nepotes Aruleno Ruſtico deceat. Qui quidẽ diu quærendus fuiſſet, niſi paratus, & quaſi prouiſus eſſet Minucius Acilianus, qui me ut iuuenis iuuenem (eſt enim minor pauculis annis) ſimul cariſſimè diligit, reueretur ut ſenem, nam ita à me formari, & inſtitui cupit, ut ego à uobis ſolebam. Patria eſt ei Brixia, ex illa noſtra*

*Italia, quę multum adhuc uerecundiæ, frugalitatis, atque etiam ruſticitatis antiquæ retinet, ac ſeruat. Pater Minutius Macrinus, equeſtri Ordinis Princeps, quia nihil altius voluit, allectus à D. Veſpaſiano inter Prætorios, honeſtam quietem, huic noſtræ, ambitioni dicam, an dignitati, conſtantiſsimè prætulit.* Minutius ergo iſte Macrinus, Veſpaſiani temporibus, tantæ fuit famæ, vt hunc ille inter Prætorios allegere voluerit. Et quum inter Neronis finem, & Veſpaſiani initium, duo tantũ intercesserint anni, quur non potuit Macrinus, cui, Neronis tempore, Perſius hanc Satyram ſcribit, eſſe Minutius ille, qui adeo Veſpaſiani florebat temporibus? Minutio ergo Macrino ſcriptam exiſtimo, potius quam Plotio Macrino eius filio, qui ſub Traiano florebat, cui ſcriptam volunt Bond, & Cornutus, nam à Nerone ad Traianum quinquaginta ferè anni interceſſerunt. Minutio, ergo ſuo amantiſſimo condiſcipulo, viroque omni diſciplinarum genere erudito, ſanctis, & inculpatis moribus pollenti, diuitijs etiam abundanti, hanc mittit in eius die natali, loco natalitij muneris.

*NVMERA meliore lapillo.* Lapillum meliorem intelligit candidum: nam alludit ad conſuetudinem Thracum, ſiue Cretenſium, qui dies vitæ felices, albis: infauſtos, atris ſignabant lapillis, in vrnam coniectis: & in fine vitæ, facto computo, pronunciabant quãto vixiſſent tempore: lætis enim tantũ diebus ſe viuere dicebant. Sic Plinius lib. 7. cap. 40. *Mortalium nemo eſt felix. Abunde igitur, atq; indulgenter fortuna decidit cum eo, qui iure*

*dici*

*dici non infelix poteſt. Quippe vt alia non ſit, certè ne laſſeſcat fortuna, metus eſt, quo ſemel recepto, ſolida felicitas non eſt. Quid, quod nemo mortalium omnibus horis ſapit? vtinamque falſum hoc, & non à vate dictum quamplurimi iudicent. Vana mortalitas, & ad circumſcribendum ſeipſam ingenioſa, computat, more Thraciæ gentis: quæ calculos, colore diſtinctos, pro experimento cuiuſque diei in vrnam condit, ac ſupremo die, ſeparatos dinumerat, atq; ita de quoq; pronunciat. Quid quod calculis candore illo laudatus dies, originem mali habuit? Quam multos bona perdidere, & vltimis merſere ſupplicijs? Iſta nimirum bona, ſi cui inter illa, hora in gaudio fuit. Ita eſt profecto, alius de alio iudicat dies, & tamen ſupremus de omnibus, ideoque nullis credendum eſt. Quid? quod bona malis paria non ſunt, etiam pari numero: nec lætitia vllo minimo mœrore penſanda. Heu vana, & imprudens diligentia, numerus dierum comparatur, vbi quæritur pondus!* Nec tantum Thraces, etiam Cretenſes dies felices, albis ſignabant lapillis. Sic Horat. lib. 1. Carmin. Ode 36.

*Creſſa ne careat pulchra dies nota,*
*Neu promptæ modus amphoræ,*
*Neu morem in Salium ſit requies pedum.*

Sic Statius libro 4. Siluarum in Epitrapezio Herculis Vindicis verſu 17.

*O bona nox iunctaque vtinam Tyrinthia luna*
*Nox, et Erythreis Thetidis ſignanda lapillis,*
*Et memoranda diu, Geniumque habitura perennem.*

Inter dies autem felices computabatur dies natiuitatis, ſtultè quidem, nam contra clamat

Eccleſiaſtes cap. 7: *Melius eſt nomen bonum, quam vnguenta pretioſa, & dies mortis die natiuitatis.* Verum Ethnici anniuerſarium eius diei, qua in hanc lucem editi fuiſſent, pro modo ſuarum facultatum feſtiuè, & ſplendidè celebrabant.

*LABENTES*, eſt à verbo deponente, labor, idem ferè importante, ac neutrum labo, ideſt, cado, corruo, ruo, nuto, & vacillo. Sic Horat. lib. 3. Carm. Ode 6.

*Delicta maiorum immeritus lues*
*Romane, donec templa refeceris,*
*Ædeſque labentes Deorum, &*
*Fœda nigro ſimulacra fumo.*

Sic Virgil. 2. AEneid. verſ. 491.

*Inſtat vi patria Pyrrhus, nec clauſtra, nec ipſi*
*Cuſtodes ſufferre valent, labat ariete crebro*
*Ianua, & emoti procumbunt cardine poſtes.*

At Ouid. 4. Triſtium Eleg. 1.

*Corque vetuſta meum tamquam noua vulnera ſentit,*
*Inque ſinum mœſtę labitur imber aquæ.*

Et lib 3. Triſt. Elegia 12.

*Nunc vbi perfuſa eſt oleo labente iuuentus,*
*Defeſſos artus virgine tingit aqua.*

Et ad ſenſum præſentem Tibul. lib. 4. Paneg. ad Meſſalam.

*Hinc placidus nobis per tēpora labitur annus.*

Sed hic loco labitur, aliqui legunt, vertitur. Vnde melior textis erit Ouidius, dicens 3. de arte:

*Vtendum eſt ętate, cito pede labitur ętas,*
*Nec bona tam ſequitur, quā bona prima fuit.*

Sic Horat. lib. 2. Carm. Ode 14.

*Eheu*

*Eheu fugaces Poſthume, Poſthume*
*Labuntur anni, nec pietas moram*
*Rugis, & inſtanti ſenectæ*
*Adferet, indomitæque morti.*

Conueniens autem anni epitheton eſt eſſe labentem, quia, vtpotè pars temporis, eſt in continuo motu, nec quidquam ei repugnat magis, quam ſtatus. Hinc Iuuenalis ſatyra 9 verſu 126.

*Feſtinat enim decurrere velox*
*Floſculus anguſtæ, miſeræque breuiſſima vitæ*
*Portio, dum bibimus, dum ſerta, vnguenta, puellas*
*Poſcimus, obrepit non intellecta ſenectus.*

Et Horatius libro 1. Carminum Ode 11.

*Spem longam reſeces, dum loquimur fugerit inuida*
*Ætas, carpe diem, quam minimum credula (poſtero.*

Labentes autem, poſſunt dici errantes: vita enim præſens erroris eſt plena, nec eſt niſi peregrinatio, abſque firmo domicilio: & ita locutio eſſet metonymica, dum per tempus, vel temporis adiunctum, ſignificaretur res tempori ſubiecta. Et non eſt his ſenſus intentus. Et etiam metonymicè, labentes poſſunt intelligi exoleſcentes, ſiue deficientes: per annos enim, & ætatem, res quælibet ad interitum vergunt, & defectum. Et nec hic ſenſus eſt intentus. Tertio propriè anni labentes intelliguntur, quia ſunt in continuo fluxu, vt labuntur, qui veſtigia in lubrico figere conantur: & ita anni, ex velociſſimo Cœli motu perpetuo fluentes, labentes dicti ſunt.

*APPONIT* eſt appingit, ſiue ad aliquid ad-

mouet,vel iuxta ponit, vt apponere menſam. Sic Plautus Pſeudolo Actu 3. ſcena 2.

*Non item cœnam condio, vt alij coqui,*
*Qui mihi condita prata in patinis proferunt,*
*Boues,qui conuiuas faciunt,herbaſq; oggerũt,*
*Eas herbas, herbis alijs porrò condiunt*
*Indunt coriandrum,feniculum,allium,atrum olus,*
*Apponunt rumicem,braſsicam,betam,blitum.*

Et Ouid.pro addere dixit lib.3.Triſt.eleg.14.

*Hoc quoq;neſcio quid noſtris appone libellis,*
*Diuerſo miſſum, quod tibi ab orbe venit.*

Et ita nunc ſumitur. Placet tamen verbum hoc eſſe temporis præſentis, potius quam futuri, Apponet,vt volebat Caſaubonus,contra communem exemplariorum fidem.Nam quãuis,quando negocium eſt abſolutum,vel vitæ curſus terminatus,non numerentur anni, niſi cõpleti,vnde ſunt illæ formulæ:Vixit tot annis, menſibus, vel diebus : dum tamen negocium, vel vita adhuc agitur, numerantur anni etiam inchoati: & ideo dicimus aliquem illa, vel illa feciſſe, aut dixiſſe,tali vel tali vitæ, vel regiminis anno. Vnde quia Macrinus adhuc viuebat, & eo die inchoabat alium vitæ annum, dictus eſt dies ille,apponit, ſiue addit de præſenti, non vero de futuro apponet, ſeu àddet.

*FVNDE merum Genio, non tu prece poſcis emaci, Quæ niſi ſeductis nequeas committere Diuis.* Ordo eſt: Funde merum Genio:tu non poſcis prece emaci, quæ nequeas committere Diuis,niſi ſeductis. Fundere eſt diſpergere, ſiue emittere, & propriè dicitur de humidis,

ſeu

ſeu liquidis: quæ, quum malè termineentur termino proprio, ſibi relicta, facilè diſperguntur ad quærendum terminum alienum: vt videmus in aqua, vino, oleo, & ſimilibus: & etiā in metallis igne reſolutis, & liquefactis. Sic Plinius lib. 34. cap. 8 ait: *Theodorus, qui Labyrinthum fecit Sami, ipſe ſe ex ære fudit, præter ſimilitudinem mirabilem, fama magnæ ſubtilitatis celebratus. Dextra limam tenet, læua, tribus digitis quadrigulam tenuit, translatam Præneſtæ, tantæ paruitatis, vt totam eam, curruumque, & aurigam, integeret alis, ſimul facta muſca.* Sic Catullus de Coma Berenices, ſeu carmine 67. inquit.

*Eſtne nouis nuptis odio Venus? An ne parentū*
*Fruſtrantur falſis gaudia lacrymulis?*
*Vbertim thalami, quas intra limina fundunt?*
*Non: ita me Diui, vera gemunt, iuuerint.*

Funditur etiam lumen per aera: funduntur verba per inane: funduntur metaphoricè miſſilia, vt nummi, legumina, nuces, & alia; ſed hic propriè de vini fuſione dictum eſt.

*MERVM* adiectiuè eſt purum, ſolum, non mixtum, vnde merula, auis ſolitariè volans. Sic Plautus Curculione Actu 1. ſcena 1.

*Malus, clādeſtinus eſt amor, damnū 'ſt merū.*

Et idem Aſinar. Actu 1. ſcena 3.

*Nec rectè quæ in nos dicis aurum, atque argentum merum 'ſt.*

Et Pſeudolo Actu 4. ſcena 1.

*Ita me Dij ament.*
*Ita non faciunt, mera iam mendacia fundes.*

At ſubſtantiuè merum propriè intelligitur vinum non dilutum aqua, Sic Ouid. lib. 1. Triſt.

*Nec*

*Nec fuit opprobrio celebraſſe Lycorida Gallo,*
*Sed linguam nimio non tenuiſſe mero.*

Sic Plautus Curculione Actu 1. ſcena 3.

*viden' vt anus tremula medicinam facit:*
*Eapſe merum condidicit bibere, foribus dat*
*aquam, quam bibant.*

Sic Virgil. 3. Æneid. verſu 525.

*Tum pater Anchiſes magnum cratera corona*
*Induit, impleuitq; mero diuoſque uocauit.*

Sic Plinius cap.23. lib. 1. *In diutina tuſsi ſorbetur merum vtiliter à ieiunis.* Et ibidem infra. *Meracis potionibus per viginti dies ante canis ortum, totidemque poſtea, ſuadet Heſiodus vti. Merum quidem remedio eſt contra cicutas, coriandrum, aconita, viſcum, meconium, argentum viuum, apes, veſpas, crabrones, phalangia, ſerpentium, ſcorpionumque ictus, contraque omnia, quæ refrigerando nocent.* Sic Ouid. 9. Metamor.

*At tu Iouis inclyta proles*
*Arboribus cæſis, quas ardua geſſerat OEte,*
*Inq; pyram ſtructis, arcũ, pharetramq; capacem*
*Regnaq; viſuras iterum Troiana, ſagittas*
*Ferre iubes Pœante ſatum, quo flãma miniſtro*
*Subdita, dumque auidis comprenditur ignibus ager*
*Congeriem ſiluæ Nemæo uellere ſummam*
*Sternis, & impoſita clauæ ceruice recumbis,*
*Haud alio vultu, quam ſi conuiua iaceres*
*Inter plena meri redimitus pocula ſertis.*

Et idem Ouid. lib.15. Metamorph.

*Clitorio quicumque ſitim de fonte leuauit,*
*Vina fugit, gaudetque meris abſtemius vndis:*
*Seu vis eſt in aqua calido contraria vino,*
*Siue, quod indigenæ memorant, Amythaone*
*natus* Proe-

*Proetidas attonitas poſtquam per carmen, & herbas*
*Eripuit furijs, purgamina mentis in illas*
*Miſit aquas, odiumq; meri permanſit in vndis.*
*Huic fluit effectu diſpar Lynceſtrius amnis,*
*Quem quicumque parum moderato gutture traxit,*
*Haud aliter titubat, quã ſi mera vina bibiſſet.*

*GENIO.* Genius à quibuſdam creditur, vniuſcuiuſque anima rationalis; ideoque ſingulis hominibus, ſingulos adeſſe dicebant Genios: & ſic accepiſſe videntur adiurantes per Genium alterius, aut Principis, quod iuramentum fallere, capitale erat. De Genio, Cenſorinus aſſerebat ita dictum, quod curaret, vt gignamur, vel quia nobiſcum vna gignatur, vel quia nos genitos ſuſcipiat, & tueatur. Alij Genium eumdem eſſe dixerunt, ac Larem: quod innuit Plautus prologo Aululariæ, & ſentit Euclides Socraticus: addens, duos ſingulis aſſiſtere Genios, quorum vnus bona, mala ſuggerat alius, vt nos de Angelo, & cacodæmone catholicè credimus. Nec defuere, qui dicerent, Genios eſſe planetas, & ſigna Zodiaci, à quibus, vt à principijs actiuis, & vniuerſalibus, omnia gignantur. Alexander ab Alexandro Dierum genialium lib. 6. cap. 4. ait: Geniales Deos multi putant Aquam, Terram, Ignem, & Aerem, his addunt Solem, & Lunam, ex quibus ſeminibus gignuntur omnia: quibus, natali die quiſque ſacrum facit, quod gignendarum rerum vim haberent. Qui Genius Deorum filius, & parens hominum habetur. Tametſi binos Genios ab ipſo natali

die

die cuique mortali, Deorum munere datos, bonum ſcilicet, & malum, Empedocles reputarit, Menander, vnum: Alij Iunonem, & Genium ſuum ſingulis dederunt, quaſi præſides, & oppugnatores. At Lactantius lib. 2. cap. 15. inquit: *Spiritus contaminati, & perditi, per omnem terram uagantur, & ſolatium perditionis ſuæ perdendis hominibus operantur. Itaq; omnia inſidijs, fraudibus, erroribus complent, adhærent enim ſingulis hominibus, & omnes oſtiatim domos occupant, ac ſibi Geniorum nomen aſſumunt, ſic enim Latino ſermone dæmonas interpretantur. Hos in ſuis penetralibus conſecrant, his quotidie merum profundunt, &, ſcientes, dæmones venerantur, quaſi terreſtres Deos, & quaſi depulſores malorum, quæ ipſi faciunt, & irrogant. Qui quoniam ſunt ſpiritus tenues, & incomprehenſibiles, inſinuant ſe corporibus hominum, & occultè in viſceribus operti, valetudinem uitiãt, morbos citant, ſomnijs animos terrent, mentes furoribus quatiunt: ut homines his malis cogant ad eorum auxilia decurrere.* Genio autem nulla mactabatur victima, quia vt libro de Numeris ait Varro. Id moris, inſtitutique maiores tenuiſſe, vt quum die natali, munus annuum Genio ſoluerent, manum à cęde, & ſanguine abſtinerent, ne, die qua ipſi lucem accepiſſent, alijs demerent. Hæc ergo ſacra fiebant, Lari ſeu Genio effundendo vina in illius cultum, vt hic dicit Perſius, & Lar apud Plautum prologo Aulularię.

*Huic, filia una eſt, ea mihi cottidie,*
*Aut thure, aut uino, aut aliquo ſemper ſupplicat,*

Fie-

Fiebant etiam ipſos epotando calices, epuliſq; abundantius indulgendo. Vt enim ait Herodotus in Clio: [ Ex omnibus diebus præcipuè colendum cenſent ſuum quiſque natalem, nimirum hoc die plus alijs æquum cēſent ciborum apponere: & ditiores integros boues, camelos, equos, aſinos, eoſque in fornace toſtos, illo die in menſam apponunt. Pauperes natalem minoribus pecoribus honorant, cibis vtuntur perpaucis, bellarijs multis, neque iis admodum bonis. Hinc eſt, quod Perſæ dicunt, Græcos paſtos, tam demum non eſurire amplius; nempe ipſis à cœna cibi apponuntur pretij nullius, & ſi quid apponatur, non ceſſant, quin edant. Vinum largius illis apponitur. Eiſdem nec vomere coram, nec vrinam facere licet, quæ etiam nunc ita obſeruantur. Poti, de rebus maximè ſerijs conſultare conſueuerunt.] Et id dicebant genialiter viuere, Genio indulgere, Genium placare. Vbi Genij nomine, ſenſitiuam intelligebant cuiuslibet naturam. Sicut fraudare Genium, vel cum Genio belligerare, eſt naturæ negare, quod cupiat. Hoc modo Genio ſacrificabant nedum die natali, ſed quoties aliqui opiparè, lautè & hilariter ſe excipiebant, toties Genio ſacrificare dicebantur: ſicut quoties ſordidè quis ſibi obſonaret, Genium fraudare dicebatur. Sic Ter. Phorm. Actu 1. ſcena 1.

*Quod ille unciatim uix demenſo de ſuo,*
*Suum defraudans Genium comperſit miſer,*
*Id illa uniuerſum abripiet, haud exiſtimans*
*Quanto labore partum.*

Et Plaut. Aulul. Actu 4. ſcena 6.

tan-

*tantum auri*
*Perdidi, quod cuſtodiui ſedulo: egomet me*
*fraudaui,*
*Animumque meum, Geniumq; meum: nunc eo*
*alij lætificantur meo malo, & dãno. Pati nequeo.*
Rectè ergo monet, vt Genio, die natali, in eius honorem, merum fundat, quia vini meri effuſione, ei ſacrificabatur.

*NON tu prece poſcis emaci.* Macrinum his verbis laudat à modeſtia, iuſtitia, continentia, & alijs virtutibus, vtpotè qui nihil à Dijs peteret, vnde erubeſceret ſi id homines reſcirent, immo nec diuitiarum aceruationem, vt de ſe etiam fatetur Horatius 3. Carm. ode 29.

*Non eſt meum, ſi mugiat Africis*
*Malus procellis, ad miſeras preces*
*Decurrere, & votis paciſci*
*Ne Cypriæ, Tyriæque merces*
*Addant auaro diuitias mari.*

Macrinus enim non remotis arbitris, nec Dijs in partem ſeuocatis, ſua inſuſurrabat vota, nec cum eis aliquam exercebat nundinationem, offerendo munera, aut preces pro re iniuſta obtinenda; ſed omnibus audientibus, honeſta precando, facilè exorabat. Precem autem emacem, quidam interpetrantur eam, cui adiunguntur victimæ, hoſtiæ, & oblationes, quibus quamdam quaſi nundinationem ſe credunt cum Deo inſtituere, vt illa vota nequeant non exaudiri, quæ, maximè aſſociata muneribus, Deo offeruntur. Verum quia vt ait Seneca lib. 2. de beneficijs cap. 1. *Non tulit gratis, qui, quũ rogaſſet, accepit, quoniam, vt maioribus noſtris, grauiſſimis viris, viſum*
*eſt,*

*eſt, nulla res carius conſtat, quam quæ precibus empta eſt. Vota homines parcius facerent, ſi pala in facienda eſſent, adeo etiam Deos, quibus honeſtiſſime ſupplicamus, tacitè malumus, & intra noſmetipſos precari*, precem emacem intelligo ipſam rogationem, effuſam pro re impetranda, maximè ſi multoties fuit repetenda, dum prima, vel ſecunda vice non eſt conceſſa. Et nihilominus petere monemur, vt deſiderata accipiamus, & vt loquitur Beda in cap. 11. Lucæ: *Neceſſe eſt, ut ſeduli, ſine intermiſſione oremus, pulſemus infatigabili deſiderio, nec deſiſtamus*, quia vt ait Auguſtinus Tract. 102. in Ioa: *Qui petit in nomine Chriſti, accipit quod petit, dummodo non contra ſuam ſalutem ſempiternam petat: accipit autem quando debet accipere. Quædam enim non negantur, ſed ut congruo dentur tempore differuntur.* Ideo ad Deum iterandæ ſunt preces, & ijs, quodammodo de congruo, promerenda res poſtulata, quod eſt prece emaci.

*EMAX* autem ille dicitur, qui facilis, procliuis & inclinatus eſt ad emendum. Sic Cato de re Ruſtica cap. 2. *Patrem familias uendacem, non emacem eſſe oportet.* Et Cicero in paradoxo ſolum ſapientem eſſe diuitem: *Non extimatione cenſus, uerum uictu, atque cultu, terminatur pecuniæ modus. Non eſſe cupidum, pecunia eſt: non eſſe emacem, uectigal eſt: contentum uero ſuis rebus eſſe, maximæ ſunt, certiſſimæque diuitiæ.* Sic Ouid lib. 1. de arte:

*Inſtitor ad dominam ueniet diſcinctus emacem*
*Expediet merces, teque ſedente ſuas.*

At hic ſumitur metonymicè pro pretio, quo

res emi poteſt,ſiue tale pretium ſit pecunia, ſiue hoſtiæ, victimæ, & oblationes, vt alij volunt; ſiue preces repetitæ, vt nos diximus.

*SEDVCTIS*. Seducere eſt ſeorſum ab alijs ducere, quaſi ſecreto collocuturus. Sic Teren. Hecyra Actu 1. ſcena 2.

*diebus ſanè pauculis*
*Poſt Pamphilus me ſolum ſeducit foras.*

Sic Plaut. Aulul. *Actu* 2. ſcena 1.

*Et nunc ego ſecreto te huc foras ſeduxi,*
*Vt tuam rem ego tecū hic loquerer familiarē.*

Et idem Plautus Aſinaria Actu 2. ſcena 2.

*Nam me hodie ſenex ſeduxit ſolum ſeorſum ab ædibus*
*Mihi tibique interminatu'ſt nos futuros ul- (meos*
*Niſi hodie Argyrippo uiginti eſſent argenti minæ.*

Seorſum autem ducere, eſt ita alium alloqui velle, vt nec (quod eſt in prouerbio) Coricęus quidem audiat. Hoc autem prouerbium natum eſt ex eo, quod Coricæi erant latrones, *Aſiæ* montem, vel Gretæ incolentes promontorium, vnde digreſſi per varios portus, quaſique aliud agentes, explorabant quid mercatores loquerētur, quas ferrent merces, quoque nauigationem inſtituerent, ſicque gnari rerum omnium, & ad ſuos remigrantes, conſcenſis nauibus, illos adoriebantur, eorumque merces diripiebant. Ex quo factum, vt curioſi Coricæi diceretur, & quum ſecretum aliquod innoteſcebat conſilium, Coricæum illud auſcultaſſe diceretur: Quia vero, qui aliquem decipere volunt, eum ſeorſum ducunt, vbi nemo ſit, qui eorum intelligat dolos, metaphoricè

ricè ſeducere ponitur pro decipere & qui Deo ita loquitur, vt nemo ſua audiat vera, eum decipere velle videtur.

*AT bona pars procerum tacita libabit acerra.* Laudato Macrino, qui ita cũ Dijs loquebatur, vt nõ vereretur ſuarum petitionum homines habere teſtes, nunc Procerum aggreditur reprehenſionem, inhoneſta à Dijs petentium, contra quam moneat Seneca, dicens epiſt.10. *Roga bonam mentem, bonam ualetudinem animi, deinde corporis. Quidni tu iſta uota ſæpe facias? Audacter Deum roga: nil illum de alieno rogaturus. Sed ut more meo cum aliquo munuſculo epiſtolam mittam, uerum eſt, quod apud Athenodorum inueni. Tunc ſcito te eſſe omnibus cupiditatibus ſolutum, quum eo perueneris, ut nihil Deum roges, niſi quod rogare poſſis palam. Nunc enim quanta dementia eſt hominum? turpiſſima uota Dijs inſuſurrant, ſi quis admouerit aurem, conticeſcent: & quod ſcire homines nolunt, Deo narrant. Vide ergo ne hoc præcipi ſalubriter poſſit: ſic uiue cum hominibus, tamquam Deus uideat: ſic loquere cum Deo, tamquam homines audiant.* Et concordat Lactantius dicens lib.5.cap.20. [ Noſtra religio eo firma eſt, & ſolida, & immutabilis, quia iuſtitiam docet, quia nobiſcum ſemper eſt, quia tota in animo colentis eſt, quia mentem ipſam pro ſacrificio habet. Illic nihil exigitur aliud, quam ſanguis pecudum, & fumus, & inepta libatio: Hic bona mens, purum pectus, innocens vita. Illuc veniunt ſine delectu adulteræ impudicæ, lenæ procaces, obſcœnæ meretrices; veniunt gladiatores, latrones, fures, vene-

fici,

ſici, & precantur nihil aliud, quam vt ſcelera impune committant. Quid enim latro ſacrificans, aut gladiator roget, niſi vt occidãt? quid venenarius, niſi vt fallat? Quid meretrix, niſi vt plurimum peccet? quid adultera, niſi aut mortem viri, aut vt ſua impudicitia celetur? quid lena, niſi vt multos bonis exuat? quid fur, niſi vt plura compilet? Hic vero etiam leui, communique peccato locus eſt nullus. Et ſi quis ad ſacrificium non integra conſciẽtia venerit, audit, quæ illi Deus comminetur, ille qui latebras cordis videt, qui peccatis ſemper infeſtus eſt, qui exigit iuſtitiam, qui fidem poſcit. Quis hic malæ menti, aut malæ preci locus eſt. At illi infelices, nec ex ſceleribus ſuis intelligunt, quam malum ſit, quod colunt, quandoquidem flagitijs omnibus inquinati, veniunt ad precandum, & ſe piè ſacrificaſſe opinantur, ſi cutem lauerint, tamquam libidines intra pectus incluſas, vlli amnes abluant, aut vlla maria purificent. Quanto ſatius eſt mentem potius eluere, quæ malis cupiditatibus ſordidatur.] Quod autem ait: *At bona pars procerum*, idem eſt, ac ſi dixiſſet magna vel maior eorum multitudo. Sic Hor. 1. ſermon. ſatyra 1.

*At bona pars hominum decepta cũpidine falſo*
*Nil ſatis eſt inquit, quia tanti, quantum habeas ſis.*

Et Saluſtius de bello Iugurthino.

*At bona pars militum inde diſceſſerat.*

Proceres autem, qui ſint, dictum eſt ad illa verba ſatyræ 1. verſu 5:

*Non ſi qua elegidia crudi dictarunt proceres.*

*Li-*

*LIBAVIT.* Libare eſt leuiter, & quaſi ſummis labijs attingere, & guſtare: vnde quidam putant libare dictum à labijs, quaſi foret labiare. Sed huius verbi origo Græca eſt. Græci enim λειβω dicunt, quod Latini mutata diphtongo in i longum, libo. Sic Virgilius de apibus 4. Georg. verſ. 51.

*Quod ſupereſt, vbi pulſam hyemem, ſol aureus egit*
*Sub terras, Cœlumq; æſtiua luce recluſit,*
*Illæ continuo libant, ſiluaſq; peragrant,*
*Purpureoſq; metunt flores, & flumina libant*
*Summa leues.*

Et quia libare, eſt leuiter guſtare, metaphoricè ſumitur pro leuiter tangere. Et ſic Virgil. lib. 1. AEneid. verſ 260.

*Oſcula libauit natæ.*

Sed quandoque eſt, partem ſacrificij Dijs dare. Sic Ouid. 3. Faſtorum.

*Carminis huius opus, cauſas exponere, quare*
*Vilis anus populos ad ſua liba uocet:*
*Ante tuos ortus, aræ ſine honore fuerunt,*
*Liber, & in gelidis herba reperta focis.*
*Te, memorant Gange, totoq; Oriente ſubacto,*
*Primitias magno ſepoſuiſſe Ioui.*
*Cinnama tu primus, captiuaque thura dediſti,*
*Deq; triumphato viſcera toſta boue.*
*Nomine ab autoris ducunt libamina nomen,*
*Libaq; quod ſanctis pars datur inde focis*
*Liba Deo fiunt, ſuccis quia dulcibus idem*
*Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt.*

Immo vniuerſalius libare, pro ſacrificare ponitur, & ſic referunt dixiſſe Lactantium lib. 6. cap. 1. *Nihil ſancta, & ſingularis illa maieſtas*

*aliud*

*aliud ab homine deſiderat, quam ſolam innocen-tiam quem ſi quis Deo obtulerit, ſatis piè, ſatiſ-religiosè libabit.* Verum alij, & emendatiore pro *libabit*, *litauit* habent. Vnde melius e Virgilij ad hanc rem teſtimonium, qui ſic ai lib 3. AEneid. verſu 176.

*Corripio è ſtratis corpus, tendoque ſupinas*
*Ad Cælum cum voce manus, & munera libo*
*Intemerata focis.*

Cuius ratio eſt, quia quæ Dijs offeruntur, o numinis reuerentiam, leuiter tanguntur. E ſic nunc ſacrificare ſignificat.

*ACERRA* eſt thuribulum, ſeu arcula, in-qua, prunis plena, thus ponitur, ad ſuaues ſuf-fitus excitandos. Sic Virg. 5. AEneid. verſ. 743

*Hæc memorans, cinerē, & ſopitos excitat igne*
*Pergameumque Larem, & canæ penetrali*
*Veſtæ*
*Farre pio, & plena ſupplex veneratur acerra.*

Quod autem cognominetur tacita, quidam interpretantur tunc dici tacitam, quando no obtinentur poſtulata: ſed non conſonat ſenſu poetæ. Alij dicunt tacitam eſſe, quando eſt ſi-ne ſacrificio. Sed præſtat intelligere eam dic tacitam, qua vota, & deſideria clam, ſilenterq muſſitantur, vt libare acerra tacita ſit, Deo orare tacitis poſtulationibus: in quo eſt me-tonymia ſubiecti pro adiuncto, nam tacitur-nitas propria hominis ſua muſſitantis vota, & orantis ſub ſilentio, tribuitur arculæ, qua tempore orationis, thus Deo adoletur.

*HAVD cuiuis promptum eſt, murmurque hu-mileſque ſuſurros tollere de templis, & aperto viuere voto.* Quaſi diceret: Maxima ſacrifican-

tium

tium pars, verbis deuoratis,& voce ſubmiſſa, iniuſta, & ſcelerata à Dijs petere non verentur. Et quũ Seneca Epiſt. 11. dicat: *Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, vt ſic, tamquam illo ſpectante viuamus, & omnia tamquam illo vidente faciamus. Hoc, mi Lucili, Epicurus præcepit, cuſtodem nobis, & pædagogum dedit, nec immerito: magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius autoritate, etiam ſecretum ſuum ſanctius faciat. O felicem illum, qui non adſpectus tantum, ſed etiam cogitatus emendat! O felicem, qui ſic aliquem vereri poteſt, vt ad memoriam quoq; eius, ſe componat, atque ordinet? Qui ſic aliquem vereri poteſt, cito erit uerendus*: iſti, hominum teſtimonia vitantes, Deum metuere non videntur, cui ſua impia aperiunt deſideria: immo Deum ipſum ſuorum deſideriorum miniſtrum volunt, & executorem, quo nihil ineptius poteſt cogitari. Aſſerit ergo hic poeta, non omnibus datum eſſe ita viuere, vt velint ſuarum cogitationum alios homines eſſe teſtes, immo pleroſque, talia à Dijs rogare, quæ ſi homines reſcirent, ipſi erubeſcerent. Quibus verbis non eas reprehendit precationes, quæ, ſiue conceptis, & præſcriptis verbis, ſiue eis, quæ affectus dictauerit, vel etiam abſque verbis, ſanctis meditationibus concipiũtur, & fiunt, etiam in templis, & à quolibet de populo, vel nulla, vel tacita, & ſubmiſſa voce, quum Seneca relatus 2. de beneficijs cap. 1. dicat: Nos Dijs ſubmiſſa voce ſupplicare: ſed eas tantum tacitas precationes è templis pu-

tat arcendas, quibus ea petuntur à Dijs, quæ ſi hominibus innoteſcerent, precantes confunderentur. Talia enim, nec à Dijs ſunt poſtulanda, nec ab hominibus cogitatione verſanda, iuxta Ciceronem dicentem 3. officiorum libro: *Ea deliberanda omnino non ſunt, in quibus eſt turpis ipſa deliberatio, atque etiam in omni deliberatione celandi, & occultandi ſpes opinioque remouenda eſt. Satis enim nobis (ſi modo in philoſophia aliquid profecimus) perſuaſũ eſſe debet, ſi omnes Deos hominesq; celare poſſimus, nihil tamen auarè, nihil iniuſtè, nihil libidinosè, nihil incontinenter eſſe faciendum. Hinc ille Gyges inducitur à Platone &c.* Et vt docet Marcus Imperator. Aſſuefacere te debes, ea ſolum cogitare, de quibus, ſi quis repentè te interroget: Quid nunc cogitas? liberè ſtatim poſſis reſpondere, Hoc, vel, Illud: vt ex ijs continuo fiat manifeſtum, omnia in te ſimplicia eſſe, & mitia, & animanti ad communicationem nato, conuenientia, quod omnia ſpernat ad voluptatem ſpectantia. Huiuſmodi ergo tacita, nempe impia, & ſcelerata vota, iudicat è templis eſſe ableganda, & viuendum voto aperto, vt non verearis à quopiam conſpici. Vnde Seneca epiſtola 43. inquit: *Tunc felicem te eſſe iudica, quum poteris in publico viuere, quum te parietes tui tegent, non abſcondent, quos plerumque circumdatos nobis iudicamus, non vt tutius viuamus, ſed vt peccemus occultius. Rem dicam, ex qua mores extimes noſtros; vix quemquam inuenies, qui poſſit aperto oſtio viuere: ianitores, conſcientia noſtra, non ſuperbia, oppoſuit. Sic viuimus, vt deprehendi ſit, ſubita*

*ſubito aſpici. Quid autem prodeſt recondere ſe,? & oculos hominum, aureſque vitare? Bona conſcientia turbam aduocat: mala, etiam in ſolitudine anxia, atque ſollicita eſt. Si honeſta ſunt, quæ facis, omnes ſciant: ſi turpia, quid refert neminem ſcire, quum tu ſcias! O te miſerum ſi contemnis hunc teſtem.* Et conſonāt verba Redemptoris Ioannis 3. *Omnis qui malè agit, odit lucē, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.*

*MVRMVRQ; humileſque ſuſurros tollere de templis.* Murmur eſt leuis rumor, qualem edit aqua placidè fluens: ſed extenditur ad ſignificandum quemcumque alium ſtrepitum, etiam eum qui ventum antecedit. Hinc Virgil. 10. Æneid. verſu 96.

*Talibus orabat Iuno, cunctique fremebant*
*Cęlicolæ aſſenſu vario, ceu flumina prima,*
*Quū deprenſa fremunt ſiluis, & cæca volutant*
*Murmura, venturos nautis prodentia ventos.*

Sic Ouid. 1. Metamorph.

*qui poſtquam voce, manuq;*
*Murmura compreſſit, tenuere ſilentia cuncti.*

Suſurrus vero eſt paruum, & ſubmiſſum murmur, ſeu ſonus tenuis, ſimilis ei, quem edunt arborum frondes ab aura agitatæ. Sic Horat. lib. 1. Carminum ode 9.

*nunc & campus, & areæ,*
*Leneſque ſub noctem ſuſurri*
*Compoſita repetantur hora.*

Sic Virgilius Ecloga 1. verſu 54.

*Hinc tibi, quę ſemper vicino ab limite ſæpes*
*Hyblæis apibus florem depaſta ſalicti,*
*Sæpe leui ſomnum ſuadebit inire ſuſurro.*

Et talem videntur edere ſonum, quum multi ſimul ſilenter, intrà labia, loquuntur, vel precantur, quos dicimus ſuſurrare: & ſuſurrones, qui ſecreto de abſentibus, vel non audientibus obloquuntur. Vnde murmur, & leuis ſuſurrus referuntur ad vocem modicam, ſiue tenuem, imperceptibilem à longe poſitis, ideoque amandandã à templis iuxta Perſium Ethnicum, ſed D. Saluianus lib. 3. de Gubernatione Dei ait. [ Eccleſias, vel potius templa, atque altaria Dei, minoris reuerentiæ quidam habent, quam cuiuslibet minimi, ac municipalis iudicis domum: ſiquidem intra ianuas, non modo illuſtrium poteſtatum, ſed etiam præſidum, aut præpoſitorum, non omnes paſſim intrare præſumunt, niſi quos aut iudex vocauerit, aut negotium traxerit, aut ipſa honoris proprij dignitas introire permiſerit: itaut ſi quiſpiam fuerit inſolenter ingreſſus, aut cædatur, aut propellatur, aut aliqua verecundia, atque exiſtimationis ſuæ labe mulctetur. In templa autem, vel potius in altaria, atque ſacraria Dei, paſſim omnes ſordidi, ac flagitioſi, ſine vlla penitus reuerentia ſacri honoris, irrumpunt: non quia non omnes ingredi poſſint ad exorandum Deum, ſed quia qui ingreditur ad placandum, non debet egredi ad exacerbandum. Neque enim eiuſdem officij eſt indulgentiam poſcere, & iracundiam prouocare. Nouum ſiquidem monſtri genus eſt, eadem pene omnes iugiter faciunt, quæ feciſſe ſe plangunt. Et qui intrant Eccleſiaſticam domum, vt mala antiqua defleant, exeunt, & quid dico, exeunt,

in

in ipſis pene hoc orationibus ſuis, ac ſupplicationibus moliuntur. Aliud quippe ora hominum, aliud corda agunt:& dum verbis præterita malè plangunt, ſenſu futura meditantur, ac ſic oratio eorum rixa eſt magis criminum, quam exoratrix: vt verè illa in eis Scripturæ maledictio compleatur, vt de oratione ipſa exeant condemnati, & oratio eorum fiat in peccatum. Denique ſi vult quiſpiam ſcire, quid in templo huiuſmodi homines cogitauerint, videat quid ſequatur. Siquidem conſummatis ſollemnibus ſacris, ſtatim ad conſuetudinaria omnes ſtudia diſcurrunt, alij ſcilicet vt furentur, alij vt inebrientur, alij vt fornicentur, alij vt latrocinentur, vt euidenter appareat, hoc eos eſſe meditatos, dum intra templum ſunt, quod poſtquam egreſſi fuerint, exſequuntur. ]

*MENS bona fama fides, hæc clarè, & vt audiat hoſpes.* Hæc erant quæ, quicumque ſacrificantes, palam precabantur, quatenus à Dijs ſibi obuenirent. Mentem enim ſanam optare, precarique ſibi, vel ſuis, ſollemne omnibus erat. Vnde Propertius inquit lib.3.eleg.22.

*Mens bona, ſi qua Dea es, tua me in ſacraria dono.*

Et Iuuenalis ſatyra 10. verſu 354.

*Vt tamen, & poſcas aliquid, voueaſq; ſacellis*
*Exta, & candiduli diuina tomacula porci,*
*Orandum eſt, vt ſit mens ſana in corpore ſano,*
*Fortē poſce animum, et mortis terrore carentē,*
*Qui ſpatiū uitæ extremū, inter munera ponat*
*Naturæ, qui ferre queat quoſcumq; dolores,*
*Neſciat iraſci, cupiat nihil, & potiores*

*Herculis ærumnas credat, ſæuoſq; labores,*
*Et Venere, & cœnis, & plumis Sardanapali,*
*Mōſtro, quod ipſe tibi poſſis dare, ſemita certa*
*Tranquillæ per uirtutem patet unica uitæ.*
*Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia. Sed te*
*Nos facimus fortuna Deam, cœloq; locamus.*

Seneca tamen negat bonam mentem à Dijs eſſe petendam, quum quiſquis voluerit, poſſit à ſemetipſo eam impetrare. Sic enim ait epiſtola 41. *Facis rem optimam, & tibi ſalutarem, ſi, ut ſcribis, perſeueras ire ad bonam mentem, quam, ſtultum eſt optare, quum poſsis à te impetrare. Non ſunt ad Cælum eleuandæ manus, nec exorandus æditunus, ut nos ad aures ſimulachri, quaſi magis audiri poſſimus, admittat. Prope eſt à te Deus, tecum eſt, intus eſt. Ita dico, Lucili, ſacer intra nos ſpiritus ſedet, bonorum, malorumque noſtrorum obſeruator, & cuſtos. Hic, prout à nobis tractatus eſt, ita nos ipſe tractat, Bonus uir, ſine Deo nemo eſt. An poteſt aliquis ſupra fortunam, niſi ab illo adiutus, exurgere? Ille dat cōnſilia magnifica, & erecta. In unoquoque uirorum bonorum (quis Deus incertum eſt) habitat Deus.* Sed Seneca in his ipſis verbis ſibi contradicit, dum negans poſſe quempiam ſine Dei adiutorio ſupra fortunam exurgere, vult etiam, pro tali auxilio, non eſſe Deum rogandum, quia illud, & eiuſdem effectum poſſit à ſe habere. Rectè quidem ſentit, nihil prodeſſe externam, & corporalem manuum eleuationem, aut ſimulachri admotionem, quum Deus ſit nobis intimè præſens, & purus ſpiritus, qui corporalibus non capitur. Nec inde fit nos eſſe idem cum Deo, aut poſſe

à nobis vincere naturæ procliuitatem ad malum. Nam quum liberum arbitrium fuerit in nobis, per originale peccatum, vulneratum, nequimus ea bona opera præſtare, quæ, voluntate, propoſueramus. Vnde Apoſtolus Rom. 9. ait: *Non enim, quod uolo bonum hoc ago, ſed quod odi malum illud facio. Si autem, quod nolo illud facio, conſentio legi, quoniam bona eſt. Nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Scio enim, quod non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum: Nam uelle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Non enim, quod volo bonum hoc facio, ſed quod odi malum, hoc ago: ſi autem quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me, peccatum. Inuenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet: condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem: uideo autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Valeat ergo Seneca inaniter promittens triumphaturum quemquam de ſuis hoſtibus, peccatis, etiã ſi intra ſe Deum habeat, mediante auxilio generali, ſi ſpeciali deſtituatur ad hanc, vel illam ſuperandam tentationem, vel virtutem acquirendam, quum re vera, vt dicitur 1. Cor. 3. Nec cogitare quidem ſufficientes ſimus aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo ſit, qui, vtpotè *ſine quo*, vt ait Ioann. 1. *factum eſt nihil*, profitetur Ioannis 15. *Sine me nihil poteſtis facere*: immo ipſe, vt ſcriptum eſt Philipp. 2. *Operatur in nobis uelle, & perficere.* Quapropter

ter rogandus eſt, vt, ſicut dedit velle habere, bonam mentem, eamdem ipſe largiatur, donans delictorum abſolutionem, & gratiam, qua mens rectificetur. Et qui ſic operatur, cito bonam mentem adipiſcitur, abſque longa oratione. Vnde Nyſſenus lib. 1. de oratione Dominica ait: [ Orantes inquit, (Matthæi 6.) ne ſitis battologi, ſicuti Gentiles. Arbitrantur enim ſe, propter multiloquium ſuum exauditum iri. Ac ſententia quidem doctrinæ forſitan per ſeſe perſpicua eſt; vtpotè nudis verbis nobis expoſita, nec vllam ſubtiliorem deſiderans cõſiderationem, præterquamquod operepretium eſt quærere, quid ſignificet verbum battologiæ, vt intellecta ſententia, vitemus id, quod vetitum, & interdictum eſt. Videtur ergo mihi caſtigare inflationem, atque tumorem mentis eorum, qui ſeſe vanis cupiditatibus immergunt, reprimere, atque compeſcere ambitionem, & idcirco peregrinam, & nouam hanc dictionem excogitaſſe, ad arguendam amentiam eorum, qui vanarum pariter, & inutilium rerum cupiditatibus diffluunt, atque diſtrahuntur. Nam cordatus, doctus, & prudens, & vtilitatem ſibi propoſitam habens, ſermo, propriè ſermo dicitur; at quæ per inanem voluptatem cupiditatibus vanis, quaſi ſuperfunditur oratio, non amplius λόγος, ideſt ſermo, ſed *βαττολογία* eſt, (quaſi dicas linguæ volubilitas, & vanus ſermo, ( vt aliquis Græcè melius explicans dixerit τοῦ νοῦ φλυαρία hoc eſt quaſi mentis efferueſcentia, atque effutitio λῆρος καὶ φλύαρος, hoc eſt deliramenta

atque

atque nugæ, ac ſi quod aliud vocabulum eiuſmodi ſignificationis. Quid igitur nobis ſermo conſulit? Ne idem committamus in tempore orationum, qualis in mente furioſorum, ac delirorum abſurda perturbatio conflatur. Quemadmodum enim mente imperfecta præditi, non cogitant, vt aliquid ſibi ex ſententia obueniat, ſed pro arbitrio felicitates quaſdam ſibi fingunt, theſauros, & nuptias, & regna, magnaſque, ipſorum appellationibus cognominatas Ciuitates ſibi proponentes, in eo ſe verſari in mente ſua imaginantur, quodcumq; cogitationum vanitas eis ſuggeſſerit: nonnulli vero etiam vehementius hac vanitate correpti ſunt, ac modum naturæ ſupergreſſi, vel volucres exiſtunt, vel ſtellarum in modum lucent, vel montes in manibus geſtant, vel cœlum ſibi peruium faciunt, vel ad innumeros vſque annos viuunt, iuuenes ex ſenibus euadentes, ac quæcumque alia talia magis vecordibus, bullarum in modum, vana atque inania figmenta in corde ingenerantur. Vt igitur in rebus gerendis, is, qui non ea cogitat, per quę ſibi, deliberanti, aliquid boni contingat, ſed vanis cupiditatibus nequicquam immoratur, ſtultus quidam & miſer eſt, in hæc inſomnia occaſionem deliberationis aliquid agendi, quod ex vſu ſit inſumens: ita qui in tempore orationis, in ea, quæ animæ conducunt, intentus non eſt, ſed vitioſis, & perturbatis animi ſui motibus, Deũ obſequi poſtulet, nugator quidem reuera, atque blaterator eſt, quippe qui oret, vt Deus ſuarum ineptiarum, & vanitatum adiutor, & miniſter fiat. Quale quiddam, exempli gratia in medium af-

ſero. Accedit aliquis ad Deum per orationem, & non perpenſa apud animum ſublimitate potentiæ, ad quam accedit, turpibus, & ſordidis petitionibus maieſtatem Diuinam dedecorat imprudens. Vt ſi quis, præ nimia paupertate, aut ruſticitate, vaſa ex luto fictilia, pretioſa putet: deinde ad Regem, ſolidas diuitias, & dignitates diſtribuere paratum, accedat, atque omiſſis ijs rebus, quæ à Rege peti ſolent, tanta dignitate præditum roget, vt ex luto ſubacto, atq; concinnato, efficiat aliquid quod ſibi cordi ſit: Ita etiam is, qui imperitè vtitur oratione, non ad dantis altitudinem ſe ſe erigit, ſed ad ſordidas, humiles, & terram ſapientes cupiditates ſuas, Diuinam potentiā deſcendere deſiderat, atque huius rei gratia vitioſos, & perturbatos animi impetus, & motus, corda cernenti profert, non vt ſanet abſurdos animi motus, ſed vt auxilio Dei, repreſentato prauo impetu, deteriores efficiantur. Quoniam enim ille moleſtus eſt, atque odio cor meum laborat, percute eum, ad Deū dicit, modo nō illud clamans: meus animi motus in te ſit, ac mea malitia, atque nequitia ad te tranſeat.] Sed vt, ſalua veritate, aliquid etiam Senecæ tribuamus, dicimus, ita nos virtutes, bonam mentem, vel paſſionum victoriam, poſſe à nobis impetrare, ſi taliter ad earum conemur acquiſitionem, quaſi illas, noſtris viribus aſſequi poſſe ſperaremus: quemadmodum Ethnici, freti ſolo Dei auxilio generali, & allecti ſola virtutum pulchritudine, abſque ſpe, vel notitia beatitudinis ſupernaturalis futuræ, eas obtinuerunt. Ex alia vero parte, propriæ conſcij infirmitatis, quotidiè

Di-

Diuinum auxilium ſpeciale; ſine quo nihil omnino boni facere valemus, flagitare debemus. Nam ſi quis virtutum adeptionem, totaliter ſibi velit adſcribere, quaſi independenter à Deo, temeritatis vel præſumptionis reatum non effugiet, ob quod, à Deo elongatus, infelicitatis, & peccatorum in barathrum incidet. Si vero conſiderans, omne bonum deſurſum eſſe, nolit ipſe, per liberum arbitrium, quidquam operari, ſed otio ſe tradat, non ſeruans id, quod Apoſtolus Hæbreorum 12. præcipit *Contemplantes, ne quis deſit gratiæ Dei*, excitanti quidem, & operanti, ſed non ſoli, immo ſimul cum libero arbitrio, potente illi reſiſtere, per deſidiam, & negligentiam, vt non ſequatur effectus, numquam virtutes acquiret, & ita vtraque operatio modo explicato eſt neceſſaria. Sic Nazianzenus in illud Euangelij Matthæi 19. *Non omnes inquit,* capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt, *Quum audis hoc, Datum eſt, ne hæretica vlla opinione inficiaris, ne naturas comminiſcaris, & introducas, ne terrenos, & ſpirituales, & medios. Sunt enim quidam ita peruersè affecti, vt alios omnino perditæ naturæ eſſe, alios beatæ, & ſaluandæ, alios autem prout eos, vel ad virtutem, vel ad vitium libera uoluntas duxerit, ita ſe habere arbitrentur. Ego uero aptitudinem quidem alios, aliis uel maiorem, uel minorem habere fateor: cæterum ad perfectionem adipiſcendam nequaquam aptitudinem ſolam ſufficere contendo: Rationem enim eſſe, quæ eam excitet, ut natura in opus prodeat, quemadmodum ſilex ferro pulſatus, atque ita ferrum fiat. Quum audieris. Quibus datum*

*eſt,adde. Volentibus datum eſt,atq; iis,qui ani-mi inclinatione ita feruntur. Etenim quum il-lud audis. Non eſt uolentis, neque currentis,ſed miſerentis Dei, idem tibi exiſtimandum cenſeo. Quoniam enim nonnulli ſunt,qui ob rectè facta, ita animis efferuntur, ut id totum ſibiipſis ad-ſcribant, nec quidquam creatori, ſapientiæque eorum autori, ac bonorum omnium ſuppeditato-ri,his uerbis eos docet Paulus,quod ipſum etiam rectè uelle,Diuino auxilio indiget, immo ut re-ctius loquar, propoſitum quoque ipſum, atque electio eorum,quæ recta,& cum officio coniuncta ſunt, Diuinum quoddam beneficium eſt, atque à Dei benignitate manans: idcirco ait,Non uolen-tis,ideſt non ſolum uolentis, Nec currentis ſolũ, ſed etiam miſerantis Dei.Ita quoniam uelle quo-que ipſum à Deo eſt,optimo iure totum Deo aſſi-gnauit: Quantumlibet curras,quantumlibet cer-tes, opus habes eo, qui det coronam.* Niſi Domi-nus ædificauerit domum,in vanum laboraue-runt,qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſto-dierit ciuitatem, fruſtra vigilant, qui cuſto-diunt eam. Scio inquit,quod nec leuium cur-ſus eſt, nec bellum potentum, nec pugnan-tium victoria,nec proſperè nauigantium por-tus, ſed Dei eſt,& victoriam adferre, & inco-lumen ſcapham in portum perducere.

*FAMA* quamuis dicatur etiam de deterio-ri,nempe,infamia, propriè tamen eſt nominis celebritas cum laude, ideoque computatur inter bona honeſta, & quæ clara voce à Dijs petebatur: nam vt ait Sapiens Prouerbior. 22. *Melius eſt nomen bonum, quam diuitiæ multæ.* Satis enim diues eſt,qui, quamuis nihil exte-

rio-

teriorum poſſideat, famam tamen ſeruauit, iuxta Plautum dicentem Moſtellaria Actu 5. ſcena 3.

*Ego, ſi bonam famam mihi ſeruaſſo, ſat ero diues.*

FIDES, de qua hic eſt ſermo, non eſt illa virtus Diuina, ſeu Theologica, de qua Apoſtolus Hæbreor. 11. *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumētum non apparentium:* huius enim, quum nec Perſius, nec alius Gentilis, meruerit habere cognitionem, eam in votis habere non potuerunt. Sed eſt virtus moralis, qua, quum quis præditus fuerit, talis euadit, vt res ei tuto credi poſſint: tam enim rerum, quam verborum depoſitum, fideliter cuſtodit. De ea ſic Cicero lib. 1. Officiorum: *Fundamentum eſt iuſtitiæ fides, ideſt dictorum, conuentorumque conſtantia, & ueritas, ex quo (quamquam hoc uidebitur fortaſſe cuipiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui ſtudiosè exquirunt, unde uerba ſunt ducta) credamuſque, quia fiat quod dictum eſt, appellatam fidem.* Vult autem Caſaubonus hic interuenire Mimeſin, quaſi poeta introducat perſonam ſic precantem, & optantem dari ſibi à Dijs mentem bonam, famam, & fidem: Sed quum deſit tam verbum, quam deſiderij expreſſio, melius dicemus eſſe verba ipſius poetæ, abſque perſonę introductione, referentis, quę ſacrificantes clara, & aperta voce precarentur, abſque tropo vel ſchemate: quemadmodum immediatè poſt ſubiungit, quæ illi met poſtularent voce ſubmiſſa.

HOSPES eſt, qui amico aduenæ, gratis hoſpi-

ſpitalitatem exhibet: nam ſi mercede id faciat, non hoſpes, ſed caupo dicetur. Inſtituebantur autem olim hoſpitia, dabanturque teſſeræ hoſpitales, quarum exhibitione, aduenæ, humanè, & religiosè excipiebantur, etiam ab hæredibus. Sic Plautus Pœnulo Actu 5. ſcena 2.

*teſſeram*

*Conferre ſi vis hoſpitalem, eccam attuli*

Agoraſt. *Agedum huc oſtende: eſt par probe,*
*nam habeo domi.*

Poenus. *O mi hoſpes ſalue multum. Nam mihi*
*tuus pater,*

*Pater tuus ergo mihi hoſpes Antidamas fuit,*

*Hæc mihi hoſpitalis teſſera, cum illo olim fuit:*

Agoraſtocles. *Ergo hic apud me hoſpitium tibi præbebitur,*

*Namque haud repudio hoſpitium.*

Sumitur etiam hoſpes tam pro eo, qui aduenientem hoſpitio recipit, quam pro eo, qui recipitur. Sic Ouidius 1. Metamorph.

*Viuitur ex rapto non hoſpes ab hoſpite tutus.*

Et Cicero pro Rege Deiotaro: *Per dexteram iſtam, quam hoſpes hoſpiti porrexiſti.* Appellatur autem hoſpes, vel eo, quod noſtrum petat oſtium, vt vult Priſcianus: vel quod ore, nempe oſculo nos petat, & viciſſim petatur. Quia vero, qui hoſpitio recipitur, aduena eſt, (nam Noſtras, fixum habet domicilium, vt hoſpitalitate alterius non indigeat) hinc hoſpes pro extraneo, & eo qui eſt quaſi in tranſitu, ſumitur. Sic Terentius Andriæ Actu 4. ſcena 6.

*nunc me hoſpitem*

*Lites ſequi, quam hic mihi ſit facile, atq; vtile;*

*Alia-*

*Aliorum exempla commonent.*

Vnde hic vult dicere: Vota illa, quibus precantes petunt ſibi bona honeſta, adeo clara, & intelligibili voce concipiuntur, vt nedum ab amicis, & concomitantibus, ſed etiam ab hoſpitibus, qui ab incolarum ſacris arcebantur, immo & à prætereuntibus, vel aliud agentibus, audire facilè poſſint.

*ILLA ſibi introrſum, & ſub lingua immurmurat.* Introrſum, ſiue introrſus, eſt Intro verſus, hoc eſt verſus loci, ſiue rei partem interiorẽ. Sic Seneca de Tranquill. animi cap. 10. *Non ſunt præterea cupiditates in longinquum mittendæ, ſed in vicinum illas egredi permittamus; quoniam includi ex toto non patiantur. Relictis his, quæ aut non poſſunt fieri, aut difficulter poſſunt, prope poſita, ſpeique noſtræ alludentia, ſequamur: ſed ſciamus omnia æquè leuia eſſe, extrinſecus diuerſas facies habentia, introrſus pariter vana.* Sic Cæſar lib. 2. de bello Gallico: *Loci natura erat hæc, quem locum noſtri caſtris delegerant. Collis ab ſummo æqualiter decliuis, ad flumen Sabin, quod ſupra nominauimus, vergebat: ab eo flumine pari accliuitate collis naſcebatur aduerſus huic, & contrarius. paſſus circiter ducentos infimus, apertus, à ſuperiori parte ſilueſtris, vt non facile introrſus perſpici poſſet. Intra eas ſiluas hoſtes in occulto ſeſe continebant.*

*IMMVRMVRAT*, ideſt intus murmurat, quod eſt exilem aliquem, & qui vix audiatur, edit ſonum. Sic Virg. 4. Georg. verſ. 260.

*Tũ ſonus auditur grauior, tractimq; ſuſurrans*
*Frigidus, vt quondam ſiluis immurmurat Auſter.*

Sumitur etiam pro ſilenter ad aurem loqui; Sic Ouid. 3. Metamorph.

*pars quid velit, aure ſuſurrat:*
*Obſtupui, capiatque aliquis moderamina dixi,*
*Meq; miniſterio, ſceleriſq; artiſq; remoui:*
*Increpor à cunctis, totumque immurmurat agmen.*

Itaque nunc, immurmurare, eſt ſecretè loqui: quod magis declaratur, quum dicitur, immurmurat ſub lingua.

*O SI ebullet patrui præclarũ funus.* Hinc incipiunt impia ſubmiſſa voce, & ſub lingua concepta vota, ne ea mortalium quiſquam exaudiret. O ſi, aduerbium eſt optantium, idẽ valens, ac, ò vtinam, & ardens præſefert deſiderium. Sic etiam Horatius 2. ſerm. ſat. 6.

*O ſi angulus ille*
*Proximus accedat, qui nunc deformat agellũ!*
*O ſi vrnam argenti ſors, quæ mihi monſtret, ut illi*
*Theſauro inuento, qui mercenarius agrum*
*Illum ipſum mercatus arauit, diues amico Hercule.*

Sic Virgil. 11. Æneid. verſu 415.

*Quamquã, ò ſi ſolitæ quidquã virtutis adeſſet,*
*Ille mihi ante alios fortunatuſque laborum,*
*Egregiuſq; animi, qui, ne quid tale videret*
*Procubuit moriens, & humum ſemel ore momordit.*

Exprimitur aliquando hoc deſiderium etiam omiſſa particula ò, vel ſi. Sic Virgilius 6. Æneid. verſu 186.

*Si nunc ſe nobis ille aureus arbore ramus*
*Oſtendat nemore in tanto.*

Et

Et idem Ecloga 2. verſu 28.

*O, tantum libeat mecum tibi ſordida rura,*
*Atque humiles habitare caſas.*

Et Ecloga 4. verſu 53.

*O mihi tam longè maneat pars vltima vitæ*
*Spiritus, & quãtum ſat erit tua dicere facta.*

Concipiebantur hæc vota ſilenter, ne hominibus innoteſcerent; vnde precantes, eorum cognoſcerent iniquitatem. Sic Horat. lib. 1. epiſt. 6.

*Labra mouet, metuẽs audiri. Pulchra Lauerna*
*Da mihi fallere, da iuſtum, ſanctumq; videri,*
*Noctem peccatis, & fraudibus obiice nubem.*

Niſi quod apud Horatium, preces funduntur tantum Lauernæ, quæ erat ſpecialis, & propria Dea furum: Perſius vero ſentit has petitiones fieri paſſim à ſacrificantibus, cuicumque Deorum. Primum autem auari votum erat, quo precabatur à Deo patrui mortem, quo ex illius diteſceret hæreditate. Quod votum vtinam tantum Perſij temporibus, & apud infideles fuiſſet, nec diffuſum, eheu, etiam apud Chriſtianos, doctos terrena deſpicere, & amare Cœleſtia. Immo, quod eſt magis erubeſcendum, quando illi ſuis votis aliquam prætexebant beneuolentiæ ſignificationem, vt, ne ſuos viderent adeo cum morbis conflictari, aut ſaltem ſplendidam illis exequiarum promittendo pompam, (quod hic appellat, funus præclarum,) Chriſtianorum nonnulli, immites erga ægrotos, ſine ſacris volunt hæreditatem. Et quod de voto dicitur, idem & de iuramento dictum puto, de quo audi D. Salianum ſic loquentem lib. 4. de Guberna-

tione

tione Dei. [ Quum ſcriptum ſit ( Non nominabis nomen Domini Dei tui in vanum , ) in id reuerentia Chriſti decidit, vt inter cæteras ſeculi vanitates, nihil iam pene vanius, quam Chriſti nomen eſſe videatur. Denique multi non otioſas tantummodo res, & aniles, ſed etiã ſcelera quædam, ſe iurant per Chriſti nomen eſſe facturos. Hic enim loquendi vſus eſt talibus, Per Chriſtum quia tollo illud, Per Chriſtum quia cædo illum, Per Chriſtum quia occido illum. Ad hoc res cecidit, vt quum per Chriſti nomen iurauerint, putant ſe ſcelera etiam religioſè eſſe facturos! Denique quid mihi ipſi euenerit, dicam: Quum ante aliquantulum tempus, victus cuiuſdam pauperis prece, præpotentiori cuidam ſupplicarem, obſecrans, ne homini miſero, & egeſtuoſo, rem ac ſubſtantiam ſuam tolleret, ne ſubſidium, ac ſtipem, quo paupertas illius nitebatur, auferret. Tum ille, qui eius rebus ſiti rabida inhiauerat, ac prædam iam ſpe, & cupiditate ardẽtiſſima deuorauerat, reſpiciens, ac vibrans in os meum oculos truces, vtpotè qui tolli ſibi à me putaret, quod ipſe alteri non tuliſſet, nequaquam hoc, quod peterem facere ſe poſſe, reſpondit: quaſi vero iuſſu, aut ſcripto id ſacro faceret, quod penitus præterire non poſſet. Quumque ego cauſam, qua hoc fieri non valeret, quærerem, dixit rem violentiſſimam, & cui contradici penitus non deberet: Iuraui, inquit, res illius à me eſſe tollendas: vide ergo an poſſim, vel non debeam efficere, quod, etiã interpoſito Chriſti nomine, me iuraui eſſe facturum. Tum ego, quid enim amplius facerem?

rem ?

rem, quum res tam iuſta obtendebatur, & ſancta?audita religioſiſſimi ſceleris ratione, diſceſſi. Hic nunc interrogo omnes, qui ſanæ mentis ſunt. Quis vmquam crederet, vſque in hanc contumeliam Dei, progreſſuram eſſe humanæ cupiditatis audaciam, vt id ipſum, in quo Chriſto iniuriam faciunt, dicant ſe ob Chriſti nomen eſſe facturos? O ineſtimabile facinus, & prodigioſum! Quid non auſæ ſint improbę mentes? armant ſe ad latrocinandum per Chriſti nomen, autorem quodammodo ſui ſceleris Deum faciunt: & quum interdictor, ac vindex malorum omnium Chriſtus ſit, dicunt ſcelus, quod agunt, agere pro Chriſto.]

*EBVLLET.* In aliquibus codicibus eſt, ebulliat: quæ lectio non probatur, ſic enim pes eſſet antibrachius ex duabus longis, & vna breui, quem pedem verſus heroicus non admittit: Alij legunt Ebullit, quæ lectio placuit Caſaubono, vt ſit ebullit, pro, ebullierit, per ſyncopen, ſicut dicimus dedim pro dederim: ſed nec probatur, ſiquidem O ſi, oſtendit deſiderium, quod ſemper tẽdit ad rem futuram, numquam vero ad præteritam, cuiuſmodi eſt ebullierit. Alij legunt, ebulliat, per verbum quartæ coniugationis. Eſt autem bullio, ferueo ita, vt bullas emittam. Communior ergo lectio eſt Ebullet, per verbum primæ coniugationis: quod eſt eiuſdem ſignificationis cum ebullio quartæ. Hinc Cato de re ruſtica cap. 105. inquit: *Vinum Grecum ſic facito, Muſti quadrantalia viginti, in ahenum, aut plumbum infundito, ignem ſubdito: vbi bullabit vinum,*

*ignem*

*ignem ſubducito.* Et Celſus lib.7.cap.4. *Solent inter coſtas fiſtulæ ſubter exire, quod ubi incidit, eo loco coſta ab vtraque parte decidenda, & eximenda eſt, ne quid intus corruptum relinquatur: ſolent, vbi coſtas tranſierint, ſeptum id, quod tranſuerſum à ſuperioribus viſceribus inteſtina diſcernit, uiolare, quod intelligi, & ex loco, & ex magnitudine doloris poteſt, & quia nonnumquam ſpiritus eò, cum humore quaſi bullante, prorumpit.* Ebullire ergo, ſiue ebullare, ratione præpoſitionis additæ, præter feruorem bullas excitantem, deſignat, illum talem eſſe, vt inter bulliendum, aqua, bullæque extra fundantur, ut videmus in aheno, uel olla feruenti; Sumitur etiam metaphoricè pro gloriari, oſtentare, & iactare ſeipſum, aut ſua bona. Et ſic dicit Cicero 3. de Finibus: *Dixerit Epicurus, ſemper beatum eſſe ſapientem, quod quidem ſolet ebullire nonnumquam.* Et ita h.c metaphoricè ſumitur, vt quia iuxta Varronem, *Homo bulla*, ad bullæ ſimilitudinem ſuper aquam euaneſcentis, diſpareat patruus, feralium portitorum humeris delatus ad ſepulturam: vel ad inſtar bullæ effuſæ, & exeũtis è vaſe, exeat patruus è vita, & domo. Et hoc repente, ſicut bulla ſubito formatur, & mox euaneſcit.

*PRÆCLARVM funus. Funus* eſt pompa, quę fit in exequijs clarorum hominum: ſic dictum à funalibus incenſis, quæ cum cadauere ferebantur, quum noctu peragerentur. Niſi mauis dictum à φόνος, vel potius Ionicè à φῦνος, cæde, ſiue clade, quicumq; enim ad ſepulturam deferebatur, quacumq; occubuiſſet

morte

morte, cæſus ſiue occiſus dicebatur. Sic funus nominat Ouid. 3. Triſt. eleg. 14.

*Sũt quoq; mutatę ter quinq; volumina formæ,*
*Carmina, de Domini funere rapta ſui.*

Et 5. Triſt. eleg. 1.

*Sic ego Sarmaticas longe proiectus in oras.*
*Efficio, tacitum ne mihi funus eat.*

Et Seneca de Tranquillitate animi c. 12. *Quorumdam, quaſi ad incendium currentium, miſereberis, vſq; eo impellunt obuios, & ſe alioſq; pręcipitant: quum interim cucurrerint, aut ſalutaturi aliquẽ, non reſalutaturum, aut funus ignoti hominis proſecuturi, aut iudicium ſępe litigantis, aut ſponſalia ſæpe nubentis, & lecticam aſſectati, quibuſdam locis, & ipſi tulerint. Deinde domum, cum ſuperuacua redeuntes laſſitudine, iurant neſciſſe ſeipſos quare exierint, ubi fuerint, poſtero die erraturi per eadem illa veſtigia.* Interdum funus ponitur metonymicè pro cadauere. Sic Terentius Andriæ Act. 1. Sc. 1.

*funus interim*
*Procedit, proſequimur, ad ſepulturã venimus.*
*In ignem impoſita eſt, fletur.*

Sic Ouid. 4. Triſtium Eleg. 4.

*Nec tamẽ hunc ſua mors, nec mors ſua terruit illum.*
*Alter ab alterius funere mæſtus erat.*

Potuit ergo appellari funus præclarum ipſe rogus, vel rogiflamma, qua cadauera cremabantur. Sed quia hęc erat in omnibus funeribus, potuit dici pręclarũ à multitudine funalium, à qua, & copioſa ingentis rogi claritate, adherere potuit funeri epitheton præclari, vt non ſit opus recurrere ad theſauros, cũ

quo-

quorumdam cadaueribus abſcondi, & infodi ſolitos, quo nihil minus auarus hic hæres cogitabat, eſto promittens funus præclarum, animum preſeferat magnificum, & beneuolum erga patruum, vt mortis illius deſiderium, nō videatur natum ex auaritia. Vult autem Vlpianus, eum, qui in funerando locuplete, modicum fecit ſumptum, contumelioſum eſſe in defunctum. Rectè ergo hic, funus promittit præclarum, ſiquidem hæreditas ſupponitur copioſa.

*ET ò ſi ſub raſtro crepet argenti mihi ſeria dextro Hercule.* Aliud auari, & impij ſacrificātis votum, tendit ad theſauri inuentionem, nam dicit. O vtinam, fauente mihi Hercule, dum terram ferreo aliquo inſtrumento, nouare tendo, in vas impingam argēto plenum, quod ex impactionis dignoſcam ſonitu. Quod etiam expreſſit Horatius 2. ſer. ſat. 6. ſupra relatus. *Raſtrum* autem aliquando ſumitur pro ſarculo, vel inſtrumento ferreo, terræ effodiendæ idoneo. Aliquando pro inſtrumento quo vites, vel aliæ arbores ablaqueantur. Sic Virgil. 2. Georg verſu 420.

*Contra non vlla eſt Oleis cultura, neq; illæ*
*Procuruam expectant falcem, raſtroſq; tenaces*
*Quum ſemel hęſerunt aruis, auraſq; tulerunt.*

Sed ſępius ſumitur pro inſtrumento dentato, apto glebis confringendis. Sic Virg. 1. Georg. verſu 94.

*Multũ adeo raſtris glebas qui frangit inertes*
*Vimineaſq; trahit crates, iuuat arua.*

Et Plinius lib. 18. c. 20. *Arationem per tranſuerſum iteratam, occatio ſequitur, vbi res poſcit, crate,*

*crate, uel raſtro, & ſato ſemine, iterata*. Et idem Virgilius 1. Georg. verſu 155.

*Quod niſi, & aſſiduis terrā inſectabere raſtris*
*Et ſonitu terrebis aues, & ruris opaci.*
*Falce premes umbras, uotiſq; uocaueris imbrē.*
*Heu, magnū alterius fruſtra ſpectabis aceruū,*
*Concuſſaq; famem in ſiluis ſolabere quercu.*

Verum hic raſtri nomine conuenientius ſarculum, vel bipalium intelligimus, quo terra effoditur, ſic enim raſtrum impingere potuit in vas argento plenum.

*CREPET*, ſonet, quod accidit, dum corpus durum, maxime ſi latum, aut concauum, ſuper aliud ſimiliter durum, impingit: vel quum telæ, membranæ, aut nubes, vel ſimilia, violēto ſcinduntur impetu. Sic Plautus Menechmis Actu 5. ſcena 5. Medicus. *Dic mihi an vnquam tibi inteſtina crepent, quod ſentias?* Menechmus. *Vbi ſatur ſum, nulla crepitant, quando eſurio, tunc crepant.*

*SERIA* eſt vas fictile, vinarium, figura oblongum. Eius meminit Liuius lib. 24. cap. 10. *Prodigia eo anno multa nunciata ſunt, quæ, quo magis credebant ſimplices, ac religioſi homines, eo etiam plura nunciabantur. Lanuuii in æde intus ſoſpitæ Iunonis, coruos nidū feciſſe: in Apulia palmam viridem arſiſſe: Mantuæ ſtagnum effuſum Mincio amni, cruentum viſum; & Calibus, creta: & Romæ in foro boario, ſanguine pluiſſe; & in vico Iſtrico, fontem ſub terra, tanta vi aquarum fluxiße, vt ſerias, doliaq; quæ in eo loco erant prouoluta, velut impetus torrentis tulerit.* Sic Terentius Heautontumerumeno Actu 3. ſcena 1.

*Nam vt alia omittam, pitiſſando modo mihi.*
*Quid vini abſumpſit? ſic, hoc, dicens, aſperum*
*Pater eſt, hoc aliud lenius, ſodes, vide.*
*Releui dolia omnia, & omnes ſerias.*

In eiuſmodi etiam ſerijs ſeruabatur oleum, vnde Varro de R.R.lib.3.cap.2.ait. *Nec tamẽ ibi ſe uidiſſe tabulam pictam, neq; ſignum eneũ, aut marmoreum vllum : nihilo magis torcular, uaſa uindemiatoria, aut ſerias olearias, aut trapeta.* In talibus etiam vaſibus pecuniæ mittebantur, & cum eis, vel condebantur intra parietes, vel terræ infodiebantur, ne à furibus, vel prædonibus tollerentur. Et tale vas cupit hic inuenire.

*DEXTRO Hercule.* Alludit ad verba, & prouerbium citatum ex Horatio 2. ſerm. ſatyr. 6. *Diues amico Hercule.* Habitus eſt enim Hercules theſaurorum preſes, vnde quidam eum. *Incubonem*, quaſi theſauris, & diuitijs incubãtem, appellant. Ex quo antiqui, tam Greci, quam Romani, ſuorum bonorum, & prædæ, decimam Herculi ſacrabant, putantes ita, & magis ditari, & vniuerſam vitam feliciter ducere. Sicut ex loco relato Horatij 2. ſer. ſat. 6. colligitur: Mercenarius quidam, Herculem aſſidue precabatur, vt aliquid ſibi boni donaret: cuius precibus Hercules motus, eum ad Mercurium adduxit, egitq; vt illi theſaurum monſtraret, in eo ipſo agro reconditum, quẽ, mercede operabatur. Ille lætus, theſauri effoſſi parte, agrum quem mercede colere ſolitus fuerat, in proprietatem ſibi comparauit: reliqua vero parte diues manſit, nec tamen propterea deſtitit labori ſolito operam dare.

Quur

Quur autem iſte ditari cupiens theſauri inuentione, Herculem ſibi fauentem potius optet, quam Mercurium, ratio eſt, quia Mercurius, vt cui à mercibus ſit nomen, illis tantũ lucris ſit præpoſitus, qui ex noſtra forenſi veniunt induſtria, vt ex mercimonijs, & ſimilibus: Hercules ſit præpoſitus diuitijs, quæ veniunt, vel iure belli, vel caſu aliquo fortuito: nam quum creditum fuerit, ipſum ſemper ſecum habuiſſe cornu Amalthææ, inde diuitiarum copiam largiri poſſe ſperabatur. Et ideo iſte ditari auens theſauri inuentione, & impactione ſarculi in vas argento plenum, merito Herculem vult ſibi fauere. Niſi mauis Herculem creditum theſauris præpoſitum, quia diuitiæ maximis laboribus, & ærumnis comparantur, ac conſeruantur, vt Hercules gloriam eſt conſecutus, ærumnas deuorando.

*PVPILLVMVE vtinam, quem mihi proximus hęres impello, expungam, namque eſt ſcabioſus, & acri bile tumet.* Ordo eſt: Vel vtinam expungam pupillum mihi, quem impello proximus hæres, namque eſt ſcabioſus, & tumet acri bile. Hoc eſt tertium, & ſceleſtius auari votum, quo mortem pupilli ſibi proximi exoptat, ac precatur, vt illius poſſideat hæreditatem. Cui adeo impio deſiderio, compaſſionis prætendit ſpeciem, quaſi dolens illius languorem, nam erat ſcabioſus, & cum hydropiſi colluctabatur. Pupillus autem, ſi ethymologiam ſpectemus, eſt diminutiuum à pupo, quaſi paruus pupus: pupus autem eſt puer paruus, ſiue infans tenellus, & lactens. Re autem pupillus nonnihil abit ab ethymologia: nam pupus eſt

puer lactens, etiam ſi patrem habeat, ac matrem: at pupillus, qui ętate impuberi, ideſt ante annum quartumdecimum patrem amiſit, vel ſub patris deſijt eſſe poteſtate. Vnde Hieronymus ait: *Pupillus eſt, qui nō habet patrem, orphanus vero, qui nec patrem habet, nec matrem.* Sic Horat. lib. 1. epiſt. 1.

*Vt nox longa, quibus mentitur amica: dieſque*
*Longa videtur opus debētibus: vt piger annus*
*Pupillis, quos dura premit cuſtodia matrum*
*Sic mihi tarda fluunt, ingrataque tempora.*

*IMPELLO*, ideſt incito, vel induco ad aliquid dicendum, aut faciendum. Ita Saluſtius in Catilinario: *Lentulus, ſicuti Catilina praeceperat, quoſcumque moribus, aut fortuna nouis rebus idoneos credebat, aut per ſe, aut per alios ſollicitabat: neque ſolum ciues, ſed cuiuſcumque modi genus hominum, quod modo bello vſui foret. Igitur P. Vmbreno cuidam, negotium dat, vti Legatos Allobrogum requirat, eoſque ſi poſſit impellat ad ſocietatem belli.* Et paulò poſt, eodem libro: *Allobroges ex pręcepto Ciceronis, per Gabinium cæteros conueniunt; ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Caſſio poſtulant iuſiurādum, quod ſignatum ad Ciues perferant: aliter haud facilè eos ad tantum negotium impelli poſſe.* Sic Terent. Andriæ Act. 1. ſcena 5.

*Dum in dubio eſt animus, paulo momento huc, illuc impellitur.*

Aliquando ſignificat expellere, ſeu loco mouere. Sic Iuuen. ſat. 10. verſu 108.

*altior eſſet*
*Caſus, & impulſę preceps immane ruinę.*

Accidit autem impulſus ſæpius, quum impellens

lens in impulſi locum ſuccedit, ad inſtar vndę, vndam in fluminis curſu impellentis, vel eorum, qui in turba, acri contentione properantes, inuicem ſe trudunt, & expellunt, quo præexiſtentium occupent locum. Sic Iuuenal. ſat. 3. verſ. 127.

*Si curet nocte togatus*
*Currere quum Prætor lictorē impellat, & ire*
*Præcipitem iubeat.*

Et hoc modo hic auarus pupillum impellit, vt in illius vacuam immittatur hæreditatem.

*EXPVNGAM*, eſt deleam, quod ſcriptum fuerat, ſicut rationes expungi dicuntur, quum calculo vltima manus fuit adhibita; non enim ſunt amplius neceſſariæ; quando reliquæ ſummæ in vnam contractæ fuere & ideo illæ expunguntur, hoc eſt delentur, vt earum nulla habeatur ratio, Plaut. Ciſtell. Actu 1. ſc. 3.

*Nunc quod reliquum reſtat volo perſoluere,*
*Vt expungatur nomen, ne quid debeam.*

Verbum eſt tractum à militia, vbi expuncti dicuntur milites, quum morte, vel miſſionę, ex militum albo raduntur, vt ſtipendia amplius non faciant. Sic Plautus Curculionę Actu 4. ſcena 4.

*Miles pulchrè centuriatus eſt, expuncto inę manipulo.*

Quo etiam modo expuncti dicuntur Iudices, quorum nomina ex Iudicum ſerie deleta fuere, ne amplius valeant iudicare. Et ita cupidus optat pupilli nomen expungi ex hæreditatis ſucceſſione, per illius mortem, vt ipſę hæres fieret.

*SCABIOSVS*, eſt qui ſcabie laborat. Sca-

bies autem eſt cutis aſperitas cum prurītu, naſcente ex eo,quod natura,ad expurganda interiora corporis,foras emittit humores noxios,qui cutis aſperitatem, & pruritum excitant. Talis aſperitas admixtam habet lenem cutis exulcerationem,aliquando tantum prurientem, aliquando etiam rodentem, iuxta varias ſcabierum ſpecies, de quibus Medici, inter quos Celſus lib.5.cap.28.§.de ſcabie ait: *Scabies eſt durior cutis, rubicundior, ex qua puſtulæ oriuntur, quædam humidiores, quædam ſicciores. Exit ex quibuſdam ſanies, fitque ex his continuata exulceratio pruriens, ſerpitq; in quibuſdam cito: atque in alijs quidem ex toto deſinit, in alijs vero certo tempore anni reuertitur. Quo aſperior eſt, quoque magis prurit, eo difficilius tollitur: itaque eam, quæ talis eſt ἄγριαν, ideſt feram, Græci appellant.* Quodcumque etiam vituperatur, ſcabioſum dici poteſt,inde ſcabioſum pomum, & far ſcabioſum infra ſatyra 5. verſu 74. Vnde appellando hunc pupillum ſcabioſum, ſignificat illum multis morbis implicitum, & non vitalem, vt illi expediat ſi cito moriatur.

*ACRI bile*. Acer, & acris dicitur de vino verſo in acetum, vel de alijs acidis. Sed Medici (quorum eſt, ex ſaporibus ſimplicium medicamentorum vires diſcernere)ſaporem acrem ab acido diſtinguunt,aſſerentes acre illud dici,quod ori admotum,& ab eo calefactum, illum viciſſim recalfacit, accendit, & mordet, atque leuitate ad caput ſubleuatum, obuia quæque incidit, teſte Galeno lib.1. de facultatibus ſimplicium medicament. Acris

autem

autem bilis hic nominata, eſt vnus ex quatuor humoribus, ex quibus quodcumq; mixtum, etiam humanum corpus, coaleſcit, qui humor dicitur etiam flaua bilis, & cholera, & eſt calidus, & ſiccus. Sed vbi paſſim hic legitur Acri bile, Cornutus, & Plautius legunt Atra bile, Atra autem bilis peſſimi ſanguinis purgamentum dicitur, & ſi in homine exuberauerit, mentis gignit alienationem, & aliquando in tantum exagitat, vt hominem adigat ad noctu vagandum, vel etiam laqueo, aut præcipitio ſibi mortem inferendam. Ex atra etiam bile, Incidunt homines in morbum comitialem, aut fiunt attoniti: certè ex ea, quæ melancholia appellatur, multi & grauiſſimi naſcuntur morbi. Cæterum bilis acris, ſeu cholera, quæ eſt quaſi ſanguinis ſpuma, quum non eſt corrupta, tam corpus, quam ſanguinem optimè nutrit: facilè tamen deprauatur, quum vel à ſeipſa degenerat, vel ei alij admiſcentur humores. Et ſiquidem ei tenuiori miſceatur pituita, dicetur citrina, à citri videlicet colore: craſſiori vero mixta pituita, facit vitellinum, ab oui vitelli colore. Si vero bili acræ miſceatur atra, hanc illa ita adurit, vt humor mixtus ex ambobus, rubeat, vnde appellatur bilis rubra. Quum vero flaua bilis à ſeipſa degenerat, fit vel praſina, nempè herbacea, & viridis: vel zinaria iuxta Arabes, nempe ęnea, Arabes enim æris æruginem, cui aſſimilatur, zinam vocant. Cæterum de noxia bile inquit Celſus lib. 4. cap. 11. *Faciēda eſt mentio choleræ, quia commune id ſtomachi, atque inteſtinorum vitium uideri poteſt. Nam*

*ſimul & deiectio, & uomitus eſt, præterque hæc inflatio eſt, inteſtina torquentur, bilis ſupra infraque erumpit, primum aquæ ſimilis, deinde ut in ea recens caro lota eſſe uideatur: interdum alba, nonnunquam nigra, uel uaria* H c ergo humor ab auri colòre, flaua bilis appellatus, calidus eſt, & ſiccus, ſicut ei oppoſitus, melācholia, ſiccus, & frigidus. Et de hac Cicero: Græci volunt illi quidem, ſed parum valent verbo, quem nos furorem, maliacholiam ipſi vocant, quaſi vero atra bile ſolum mens, ac non ſæpe, vel iracundia grauiore, vel timore, vel dolore moueatur.

*TVMET*, ideſt turgeſcit, inflatur, & protuberat. Ouid. 3. Metamorph.

*Igne micant oculi, corpus tumet omne ueneno.*

Et eodem libro 3. Metamorphoſeos.

*plenis tumuerunt ora uenenis.*

Sic Virgil. 2. Georg. verſu 324.

*Vere tument terræ, & genialia ſemina poſcūt.*

Et Tibull. lib. 1. eleg. 9.

*Et tua iam fletu lumina feſſa tument.*

Dicendo autem, quod pupillus ille tumeſceret, & inflaretur, potuit ſignificare id accidiſſe ex flaua bile, nam iuxta Celſum laudatum, hæc etiam inflat: niſi mauis intelligere illum, aqua intercuti laborare, quæ certè maximè inflat. Sed commodius dicemus, vſum ſenecdoche, nedum ſpeciei pro ſpecie, ſed etiam ſpeciei pro genere, & ferè ſingulis ſpeciebus vt dictus fuerit tumere acri bile, quacumque detineretur infirmitate: vult enim puerum illum cachexia, ideſt morbis omnibus eſſe corruptum.

NE-

*NERIO iam tertia ducitur uxor.* Hæc eſt le-ctio communis: alicubi tamen legitur Nerio, iam tertia conditur vxor. Continetur his verbis quartum impij precatoris votum, ſiue deſiderium. Interpretantur paſſim hæc verba, quaſi poeta, ex precantis perſona diceret: Iam Nerius tertiam ad ſepulturam effert vxorem, & ita tribus eſt iam dotibus locupletatus. Nam vt obſeruat hic Cornutus (niſi repudium interueniret) poſt vxoris obitum, dos marito lucrabatur, etiam ſi ex ea liberos non ſuſcepiſſet: at nunc, ſi filij non ſint ſuperſtites, dos ad dotantem reuertitur. Tacitè igitur innuit, ſe Nerij inuidere felicitati, quod tot ſuſtulerit vxores, & earum habuerit dotes: & ita optare videtur vxoris mortem, vt illius dote locupletetur. Nec tamen id expreſsè audet rogare, nam valdè impium videbatur talia rogare, ſed tantum innuitur, ſicut Myrrha apud Ouid. 10. Metam.

*O, dixit, felicem coniuge matrem.*

Certè talis expoſitio textui, & ſenſui à poeta intento conſonat, & iuxta Seruium in illud Virg. 4. Georg. verſu 255.

*Corpora luce carentum*

*Exportant tectis, et triſtia funera ducunt,*

verbum duco, totum eſt funebre. Recordatione ergo felicitatis, quæ Nerio tres vxores tumulanti, & tribus dotibus aucto, contigerat, oſtendit ſe quoque id in votis habere, & fortè etiam ille, de quo Hieronymus ſcribit in hæc verba: [ Rem dicturus incredibilem, multorum teſtimonijs approbabo. Ante annos plurimos, quum in chartis Eccleſiaſticis iuuarem

Damaſum Romanæ Vrbis Epiſcopum, & Orientis, ac Occidentis Synodicis conſultationibus reſponderem, vidi duo inter ſe paria, viliſſimorum è plebe hominum, comparata, vnum qui viginti ſepelliſſet vxores, alteram quæ vigeſimumſecundum habuiſſet maritum, & extremo ſibi, vt ipſi putabant, matrimonio copulatos, ſumma omnium expectatione virorum pariter, & fœminarum, poſt tantas rudes, quis prius ſepulturæ efferret. Vicit maritus, & totius Vrbis populo confidente, coronatus, & palmam tenens, adoranſque per ſingulos ſibi acclamantes, vxoris multinubæ feretrum præcedebat. ] Nihilominus animum inducere non potui, vt huic acquieſcerem interpretationi, ſiquidem nulla ſit hic funeris mentio, vt ſit tam in citato loco Virgilij, quam in illo Iuuenal. ſat. 1. verſ. 156.

*Ducitur iratis plaudendum funus amicis.*

Et ſic in alijs: hic vero non funus, nec corpus, ſed vxor dicitur duci, & duci Nerio, vt in Nerij ſit poteſtate, vt illius vxor, non vero ab ipſo abduci, vt ſepeliatur. Hinc exiſtimo intelligendum hic, Nerio duci tertiam vxorem in matrimonium. Quæ locutio ortum habuit ex eo, quia inter virum, & vxorem coemptio quædam videtur intercedere; in auctionibus autem, emptori dicebatur, vt rem iam emptã, ſibiq; addictam, ſumeret, duceretque quo vellet: & propterea vxor duci dicebatur: Nec tamen deeſt huius voti impietas, etiam ſi Nerius non ad ſepulturam, ſed domum tertiam duxiſſet vxorem; ſiquidem ſupponebatur, qui ter-

tertiam ducebat, iam ſecundam tumulaſſe, & ita duabus dotibus locupletatus, quando ipſe priori vxore adhuc incolumi, nec vnam fuiſſet lucratus, & ſic etiam vxoris mortem precatur. Talia erant iſtius vota, vt etiam illa apud Arbitrum dicentem: *Quis vnquam venit in templum, & votum facit, ſi ad eloquentiam perueniſſet? quis ſi philoſophiæ fontem inueniſſet?* ac *ne bonam quidem mentem, aut bonam valetudinem petunt: ſed ſtatim antequam limen Capitolij tangant, alius donum promittit, ſi propinquum diuitem extulerit: alius, ſi theſaurum effoderit, alius ſi ad trecenties H.S. ſaluus peruenerit. Ipſe Senatus, recti bonique præceptor, mille pondo auri Capitolio promittere ſolet, & ne quis dubitet pecuniam concupiſcere, Iouem quoque peculio exorat.* Quis autem fuerit Nerius, de quo nunc loquitur, exiſtimat Cornutus nomen eſſe fictum. Sed puto intellexiſſe de illo, cuius meminit Horatius 2. ſerm. ſat. 3. *Scribe decem Nerio*, qui fœnerator extitit, & vxorum dotibus locupletatus: & per ſenecdochen, de quolibet fœnus exercente, & dotibus aucto.

*HÆC ſanctè vt poſcas, Tiberino in gurgite mergis, Mane caput bis, terq; & noctem flumine purgas.* Irridet nunc poeta, impij precatoris ſuperſtitionem, quia animam habens tot ſceleribus maculatam, talia vota à Dijs impetrare ſe poſſe ſperabat, ſi corpus flumine abluiſſet. Vigebat autem apud Ethnicos hæc ſuperſtitio: nam credentes neminem, peccatis inquinatum, à Dijs exaudiri, etiam ſi hoſtijs, & victimis eos placare contendiſſet: qui culpis ſe inquinatos ſentiebant, ab his ſe mundari

putabãt,ſi corpus viua,ideſt fluuiali, vel fontali abluiſſent aqua, quaſi exterior hæc corporis lotio, ad animam, in qua culpa reſidet, purgandam ,pertingere poſſet ; quum id fieri nullatenus naturaliter poſſit. Itaque Tibullus lib.2. Elegia 1.ait:

*Vos quoq,abeſſe procul iubeo, diſcedite ab aris*
*Queis tulit heſterna gaudia nocte Venus*
*Caſta placent ſuperis, pura cum veſte venite,*
*Et manibus puris ſumite fontis aquam.*

Sic Virgil 2. Æneid.verſu 717.

*Tu, Genitor, cape ſacra manu, patrioſque Penates;*
*Me bello è tanto digreſſum,& cede recenti*
*Attrectare nefas,donec me flumine viuo*
*Abluero.*

Sic Iuuenalis ſatyra 6.verſu 521.

*In tunicas eat,& totum ſemel expiet annum*
*Hybernum,fracta glacie, deſcendet in amnem*
*Ter matutino Tyberi mergetur, & ipſis*
*Verticibus timidum caput abluet.*

Nec viuentes tantum,etiam cadauera ſic purgabant; vnde Virgilius 6.Æneid. verſ.739.

*Ergo exercentur pœnis, veterumq; malorum*
*Supplicia expendunt: aliæ panduntur inanes*
*Suſpenſæ ad ventos, alijs ſub gurgite vaſto*
*Infeſtum eluitur ſcelus,aut exuritur igni.*

Ferunt,vt qui ſuperos placare volebant, corpus vel illius partem abluebant: ita qui inferos,aquam tantum aſpergebant.Vnde Virgil. 4. Æneid. verſu 634.

*Annam,cara mihi nutrix,hic ſiſte ſororem,*
*Hæc corpus properet fluuiali ſpargere lympha.*

Et idem Virgil.6.Æneid.verſ.635.

Oc-

*Occupat Æneas aditum, corpuſque recenti*
*Spargit aqua.*

Et Ouid. 7. Metamorph.

*Sidera ſola micant, ad quæ ſua brachia tendẽs*
*Ter ſe conuertit, ter ſumptis flumine crinem*
*Irrorauit aquis.* Et ibidem:
*Terque ſenem flamma, ter aqua, ter ſulphure*
*luſtrat.*

Fatua certè, & inanis ſuperſtitio, quum nec totus Oceanus, animam criminibus maculatam abluere, vel attingere poſſit, niſi, cum tali ſenſibili ſigno, virtus concurrat Diuina, animam verè purgans, vt fit Chriſtianorum baptiſmi Sacramento, quod, Dei ſimia diabolus, imitari volens, ſibi credentibus perſuaſit hanc ablutionem, quaſi nihil foret aliud in noſtro baptiſmo: quod falsũ omninò credimus. Immo noſter quoque baptiſmus, vt perennem habeat effectum, pacti ac fœderis eo cum Deo initi obſeruationem exigit. Vnde Nazianzen. Oration. in ſanctum Baptiſma ait: *Maximo in metu omnes eſſe debemus, atque animas noſtras accuratiſſima cuſtodia ſeruare, ne falſam confeſſionem edidiſſe comperiamur. Nam quum ad mutua hominum pacta obfirmanda Deus medius adhiberi ſoleat, quanto tandem periculoſius eſt, magiſque extimeſcendum, ne fœdera cum Deo ipſo contracto perfregiſſe reperiamur? ac præter alia peccata, ipſius quoque mendacij apud veritatis Tribunal, rei peragamur? idque quum nulla iam poſt hac altera regeneratio reliqua erit, nec inſtauratio, nec in veterem ſtatum reſtitutio, quamlibet eam obnixis precibus, multorum luctu, ac gemitu, lachrymiſque requiramus: qui-*

*bus licet cicatrix ægrè tamen obducatur, vt quidem ipſe ſtatuo (obducitur quippe, idque indubia fide tenemus, ac præclarè mecum agi putarem, ſi ipſæ quoque vulnerum notæ delerentur, quandoquidem, & ipſe miſericordia opus habeo) præſtat tamen ſecunda purgatione minimè indigere, verum in prima conſiſtere, quæ omnibus communis eſt, & labore vacua, cunctiſque ex æquo patet.* Ethnicorum autem varia baptiſmata corpora tantum abluebant, nec quidquam eorum ad animam referebatur.

*TIBERINVS* fuit Rex Latinorum, vt ſentit Liuius: dicens lib. 1. cap. 3. *Pax ita conuenerat, vt Etruſcis, Latiniſque fluuius Albula, quem nunc Tiberim vocant, finis eſſet. Siluius deinde regnat, Aſcanij filius, caſu quodam in ſiluis natus: is Æneam Siluium creat, is deinde Latinum Siluium: ab eodem coloniæ deductæ aliquot, priſci Latini appellati. Manſit Siluij poſtea omnibus cognomen, qui Albæ regnarunt. Latino Alba ortus: Albæ Atys: Aty Capys: Capy Capetus, Capeto Tiberinus, qui in traiectu Albulæ amnis ſubmerſus, celebre, ad poſteros nomen flumini dedit.* Sic Ouid. 2. Faſtor.

*Albula, quem Tiberim, merſus Tiberinus in vndis*
*Reddidit, hybernis fortè tumebat aquis.*

Eamdem nominis originem alij tradidere: ſed Virgilius, quem ſequitur Seruius 8. AEneid. verſu 330. putat factum ab Etruſcorum Rege Thymbro, Latium latrocinijs infeſtante, & circa hunc fluuium occiſum, dicens:

*Tum reges, aſperque immani corpore, Thybris*
*A quo poſt Itali fluuium cognomine Thybrim*

*Diximus, amiſit verum vetus Albula nomen.*
Et, ſi ab hoc Thybri deriuetur, ſcribendum per T, aſpiratam, & ypſilon, & ita perpetuo ſcribit Virgilius: ſi vero à Rege Tiberino, ſcribẽdum per T ſimplicem, & iota, & ita paſſim ab omnibus ferè ſcribitur. Tiberinus etiam dicitur, Deus huius fluuij præſes, apud Virgil. 9. AEneid. verſ. 31.

*Huic Deus ipſe loci fluuio Tiberinus amœno*
*Populeas inter ſenior ſe attollere frondes*
*Viſus, eum tenuis glauco velabat amictu*
*Carbaſus, & crines vmbroſa tegebat arundo.*

Verum nunc Tiberinus ſumitur adiectiuè, pro re ad fluuium iſtum pertinente, nempè pro aqua, vel gurgite ipſius. Eſt autem fluuius iſte notiſſimus, è media ferè Appœnini naſcens longitudine, circa fines vrbis Aretij, qui exinde multis auctus fluminibus, Etruriam à Latio, Ianiculumque ab Vrbe Roma diſterminat, & quintodecimo ab Vrbe lapide, duobus oſtijs, modico ab inuicẽ direptis interuallo, eo loco vbi ab Anco Martio colonia deducta, & Oſtia Tiberina extructa fuit, in Tyrrenum euoluitur mare. In hoc ergo fluuio, & per ſenecdochen in quacumque aqua viua, ait lauare ſacrificaturum.

*GVRGITE.* Gurges dicitur per onomatopoeiam, & ſoni imitationem, vnde eſt gargarizare. Eum expreſſit ſonum Virg. 11. AEneid. verſu 296.

*Vix ea legati, variuſq; per ora cucurrit*
*Auſonidũ turbata fremor, ceu ſaxa morantur,*
*Quũ rapidos amnes clauſo fit gurgite murmur,*
*Vicinæque fremunt ripæ crepitantibus vndis.*

Propriè eſt locus profundus in fluuio, in quo aqua, alicui obſtanti impacta, retrouertitur, & gyrat: vnde hunc locum imitatus Iuuenalis loco citato ſatyra 6. verſu 524. pro gurgite vortices nominauit: vortices autem conſtat à vertendo, & gyrando dictas. Hinc Martial. lib. 4. Epigr. 66.

*Raptus flumineo venit de gurgite piſcis.*

Immo generaliter omnis aquarum congeries, vortex eſt. Hinc Virg. 1. AEn. verſ. 117.

*Vnam quæ Lycios, fidumq; vehebat Orontem*
*Ipſius ante oculos, ingens à vertice pontus,*
*In puppim ferit, excutitur pronuſq; magiſter*
*Voluitur in caput, aſt illum ter fluctus ibidē*
*Torquet agens circum, et rapidus vorat æquore vortex.*

Sic Propert. lib. 1. Eleg. 17.

*Ah pereat quicumq; rates, & vela parauit*
*Primus, & inuiſo gurgite fecit iter.*

Et idem lib. 2. Eleg. 20.

*At tu nix primas extollens gurgite palmas,*
*Sæpe meum nomen iam peritura uocas.*

Et Tibull. lib. 4. ad Meſſalam:

*Illum inter geminæ nantem confinia mortis,*
*Nec Scyllæ ſæuo coercuit impetus ore,*
*Quum canibus rapidas inter freta ſerperet vndas;*
*Nec uiolenta ſuo conſumpſit more Carybdis,*
*Vel ſi ſublimis fluctu conſurgeret imo,*
*Vel ſi interrupto nudaret gurgite pontum.*

Et Ouid 3. Triſt. Eleg. 10.

*Et quamquam Boreas iactatis inſonet alis*
*Fluctus in obſeſſo gurgite nullus erit.*

Et quamuis propriè ſit in fluuio, hic tamen

ponitur pro quacumque aqua viua, ideſt non ſtagnante, qualis eſt in puteis, & ciſternis, ſed decurrente, qualis eſt fontalis, aut fluuialis: nam talibus vtebantur aquis in his lotionibus, & expiationibus, ſeu baptiſmatibus ad iuſtitiam carnis inuentis: credentes ita purgari à nocturnis inquinamentis: alioquin credebant non exaudiri eorum preces. Sic Propert. lib. 3. Eleg. 9.

*Tuque, ò cara mihi, felicibus edita pennis*
*Surge, & poſcentes iuſta precare Deos,*
*Ac primum, pura ſomnii tibi diſcute lympha,*
*Et nitidas, preſſo pollice, finge comas.*

Nox autem inquinare credebatur, ſiue noctis nomine ſomnus intelligeretur, quem polluere, credebant ſopitos, non minus, ac pollueretur, qui cadauer tetigiſſet: per ſomnum enim fit quis defuncto ſimilis, quum & mortis frater ſomnus dicatur, vnde non mirum, ſi eo pollui crederetur. Siue noctis nomine, opera intelligerentur Venerea, quæ, etiam cum propria, & legitima vxore exercita, ob nimiam concretionem ad carnem, ſpiritui, quo Deus colitur, contrariam, animam polluunt, adeo ut Hieronymus doceat in Iouinianum, in veteri lege, eos qui pro populo hoſtias offerebant, non ſolum in domibus ſuis non fuiſſe, ſed etiam ab vxoribus ſuis ſeparati, purificabantur, alioquin ſi nocte, aliaue ratione pollutus, quis fuiſſet precatus, vel ſacrificium obtuliſſet, nõ litabat, nec exaudiebatur, immo ſacrificium reſpuebatur: & multo magis nos Chriſtiani, qui iuxta Apoſtolum, Hebræorum 13. *Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui*

*qui tabernaculo deſeruiunt:* quæ verba explicans ſuper eum locum D. Thomas ait.: *Iſtud altare, uel eſt crux Chriſti, uel ipſe Chriſtus: De iſto ergo altari, non habent poteſtatem edere, ideſt fructum paſſionis Chriſti percipere, & ipſi tamquã capiti incorporari, qui tabernaculo corporis deſeruiunt., qui carnales delectationes ſequuntur, Romanorũ 13. Carnis curam ne feceritis in deſideriis, talibus enim nihil prodeſt, 1. Cor. 2. Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit. Dicitur autem corpus tabernaculum, quia in ipſo tamquam in bello habitamus contra hoſtes, & modicum manet. 2. Petri 1. Velox eſt depoſitio tabernaculi mei, & ideo non eſt ei deſeruiendum.* Et ſi in rebus, alioquin licitis, abſtinentiam ſeruare debemus à voluptatibus corporeis, quando ad altare, & ad percipienda Chriſti ſacramenta debemus accedere, quorum rei erunt ſuppliciorum, qui non verentur ex recenti fornicatione, vel etiam grauiori crimine, ad hoc altare, etiam ad immolandum tremendum accedere ſacrificium. Non enim ſufficit confeſſum eſſe peccatum, & abſolutionem obtinuiſſe, ſiquidem hoc admiſſo, macula reſidet in anima, non delenda niſi per iugem pœnitentiam, quæ non eſt vnius tantum diei. Erubeſcant, in comparatione Ethnicorum, qui tanta diligentia eluere ſuas animas ſatagebant ab eis, quæ forte culpæ non erant, quando noſtri ſacerdotes, nec vera, & grauiſſima crimina curant. Hæc obiter.

*HEVS age, reſponde: minimum eſt quod ſcire laboro; De Ioue quid ſentis? eſtne ut prɇponere*

*cures,*

*cures, hunc cuiquam? Cuinam? Vis Staio? an*
*ſcilicet heres? quis potior iudex? puerisue quis*
*aptior orbis? Hoc igitur, quo tu Iouis aurem im-*
*pellere tentas, Dic agedum Staio: proh Iuppiter*
*ò bone clamet, Iuppiter at ſeſe non clamet Iup-*
*piter ipſe?* His verbis, graui interrogatione, primo quærit, & deinde reddit cauſam, quare huiuſmodi preces nedum non ſufficiant fle-ctere Deos, vt petita concedant, verum etiam illos ad iracundiam, & ad ſumendam de impu-dentibus petitoribus vltionem prouocent. Heus autem aduerbium eſt vocantis, quod aſpiratur magis ex vſu, quam quod id expo-ſcat origo, Feſto namque autore, deriuatur à Græco *αἰ*, quæ eſt vox doloris, à qua ſumpt: eſt ęgritudo, & iuxta Euſtathiũ eſt *δυσφόρικον*; qua vtimur, ſignificantes nos ęgrè aliquid fer-re. & eſt etiam *μέμπτικον*, ideſt, qua vtimur alicui ſuccenſentes, & idem valet heus, ſed ſpecialiter hoc aduerbio vtimur, quum ali-quem aduocamus, vel excitamus ad reſpon-dendum. Et ita Virg. 1. AE 1. verſu 325.

*Ac prior, heus inquit, iuuenes mõſtrate mearũ*
*Vidiſtis ſi quam hic errantem fortè ſororum.*

Sic Terent. Heautontum Actu 2. ſcena 2.

*Syre, ſyre inquam, heus, heus Syre.*

Et Plautus Curcul. Actu 2. ſcena 2.

*Pultabo, heus, & quis iſtas aperit mi fores.*

Et hoc modo pro interrogatione, & excitatio-ne ad reſpondendum, nunc ponitur.

*MINIMVM eſt, quod ſcire laboro*, quaſi di-ceret: Quæſtio eſt, quam facillimè ſoluere poſſis, nempe: Quid tu de Ioue ſentias, ſeu quam habeas de Ioue opinionem. Et ne putes

me

me petere explicatam penitiſſimam Diuinæ naturæ quidditatem, dico, id tantum me ſcire velle, an putes Iouem eſſe talem, vt ſit melior alio quopiam? Et quia fuerunt credẽtes, mortalem aliquem in innocentia, iuſtitia, & alijs virtutibus, vt Seneca, & Stoici dixerunt, & Lucanus lib. 1. verſu 128.

*Victrix cauſa Dij placuit, ſed uicta Catoni,*

poſſe Deos æquare, ideo deſcendit ad vnum ſingularem, eumque improbum, & nequiſſimum, quærens num dubitet affirmare, Iouem eſſe illo meliorem, potiorem in iudicando, & aptiorem in vindicandis, fouendiſque orphanis, & pupillis? & ſubdit: Vota igitur quæ proponis Ioui tam iuſto, pupillorumque fautori, expone homini iſto tam nefario, & videbis eum, alioqui ſceleſtum, auerſaturum, & præ horrore ad Deum exclamaturum: quomodo ergo Deus ſeipſum non inclamabit? Sic Horat. lib. 1. ſerm. ſat. 2.

*Quis non Iuppiter exclamet ſimul, ac audiuit?*
*EST ne ut præponere cures hunc cuiquam?*

Verba ſunt poetæ interrogantis auarum precatorem, num crederet Iouem eſſe pręſtantiorem alio aliquo. Et quum ille rogaret: Quo alio, meliorem Iouem iudicare deberet, poeta ſubiungit, ſaltem Staio. Quæ lectio planiſſima, conſonat omnibus fere codicibus, vt fatetur etiam Caſaubonus, qui, eo quod legerit in neſcio quibus membranis. Eſtne vt præponere cures hunc. Cuinam? cuinam? vis Staio? hanc nobis exhibet, lectionem, iuxta quam ſic ſermo erit ordinandus, vt prius poeta quęrat ab aduerſario, num talem habeat de Ioue opi-

opinionem, vt cenſeat illum anteponendum; & quum ſubdere vellet, cui Iouem præferendum iudicare deberet, abrumpatur eius ſermo, importuna interrogatione ſciſcitantis, Cuinam meliorem credere Iouem deberet? Et tunc poeta, ſtomachabundus, ob impiam opinionem dubitãtis, num Iuppiter excellentior ſit quocumque mortalium, & immortalium, replicet cum eodem tono: Cuinam? quaſi diceret, audes tu de hoc dubitare? Sed vis Staio? vt enim tuam perſtringam temeritaté, tuumque obſtruam os, quæro num putes Iouem eſſe Staio meliorem, quum ille ſit Deus immortalis, hic mortalis homo: iuſtiſſimus ille, hic nequiſſimus: ille pupillorum protector, hic oppreſſor. Hæc igitur vota, quibus tu Iouem flectere ſperas, vt tibi patrui, aut pupilli, vel vxoris mortem concedat, expone Staio, & hunc videbis ea auerſaturum: quanto ergo magis ab his concedendis Iuppiter abhorrebit?

*STAIVS* à Caſaubono Staienus, Stalenus vero à Cicerone dictus, iudex fuit omnium iniuſtiſſimus, & inquinatiſſimus, de quo Cicero pro Cluentio ait; *Hæc, Iudices, quæ verè dicuntur à nobis, facilius credetis, ſi cum animis veſtris longo interuallo recordari C. Staleni vitam, & naturam volueritis. Nam perinde, vt opinio eſt de cuiuſque moribus, ita quid ab eo factum, & non factum ſit, extimari poteſt. Quum eſſet egens, ſumptuoſus, audax, callidus, perfidioſus, &c.* Hic ergo Stalenus, ſiue Staienus, aut Staius, ab Oppianico Cluentij aduerſario, ſeſtertios ſexcẽtos quadragintamillie acceperat,

vt

vt iudices corrumperet, efficeretq; quatenus Oppianicus ipſe, propinati veneni, & aliorum nefandorum criminum reus, vt innocens abſolueretur. Sed Stalenus, accepta pecunia, nulli coniudicantium, partem illius promiſſam, numerauit, immo, quaſi ad vlciſcendum, quod Oppianicus promiſſis non ſtetiſſet, ſuis artibus effecit, vt tam ſuo, quam aliorum coniudicantium ſuffragijs, damnaretur. Hoc igitur iniquiſſimo iudice, Staleno, quærit poeta, num aduerſarius putet, Iouem eſſe meliorem.

*HAERES*. Hæreo eſt infideo, vel coniunctus ſum, extrinſecè tamen, vt facilè ſeparetur. Sic Virgil. 2. Æneid. verſ. 442.

*Hærent parietibus ſcalæ.*

Et quia qui de re aliqua dubitãt, facilè ab illa diuelluntur, vtpotè, quæ nondum ſit penitus eorum animis infixa, ideo hærere pro dubitare metaphoricè ponitur. Sic Plautus Captiuis Actu 3. ſcena 3. inquit:

*Niſi ſi meo aliquam corde machinor aſtutiam.*
*Quam? Malum. Quid machiner? quid comminiſcar? Maximas*
*Nugas ineptiaſque incepiſſo: hæreo.*

Et hoc modo nunc ponitur pro dubitare, & fluctuare animo.

*ORBVS*, eſt oculis, ſiue luminibus captus, quia priuatus orbibus oculorum. Sic Plinius lib. 7. cap. 43. *Metellus orbam luminibus exegit ſenectam, amiſſis incendio, cum Palladium raperet ex æde Veſtæ, memorabili cauſa, ſed euentu miſero. Quo fit, vt infelix quidem dici non debeat, felix tamen non poſſit. Tribuit ei populus* Ro-

Ro. *quod numquam vlli alij ab condito æuo, vt quoties in Senatum iret, curru veheretur ad Curiam: magnum & ſublime, ſed pro oculis datũ.* Et idem Plinius loquens de Apelle lib. 35. cap. 10. ait: *Pinxit, & Antigoni Regis imaginem altero lumine orbam primus, excogitata ratione vitia condendi: obliquam namque fecit, vt quod corpori deerat, picturæ potius deeſſe videretur.* Sed metaphoricè orbi dicuntur, priuati caro aliquo proximo, vt vxor amiſſo viro, pater, aut mater amiſſis filijs: filius amiſſis parentibus, eos enim tamquam oculos caros habere ſupponuntur. Hinc Terent. Phormione Actu 1. ſcena 2.

*Lex eſt, ut orbæ, qui ſint genere proximi*
*Ijs nubãt, et illos ducere eadem hæc lex iubet.*

*IMPELLERE*, aliter hic accipitur, ac ſupra verſu 13. vbi ait: *pupillum quẽ mihi proximus hæres impello*: ibi enim erat loco moueam, & expellam ab hæreditate, vt in pupilli locum ſuccedam: hic vero eſt vrgere, & flectere, nam precando, vrgemus, ac flectimus eos, ad quos preces fundimus, vt nobis dent petita.

*IGNOVISSE putas, quia quum tonat ocyus ilex ſulphure diſcutitur ſacro, quam tuq; domuſque.* Nunc tacitę reſpondet obiectioni auari, & ſuperſtitioſi euchetis, exiſtimantis Deos non eſſe indignatos, ob ſuam impiam petitionem, alioquin ſe punuiſſent: ſed quum videat fulmina potius ſilueſtres arbores, etiam Ioui ſacras, aliaſque res inſenſibiles, quam ſe percutere, credit Deos nequaquam eſſe ſibi iratos. Verum lenta Numinis animaduerſio, non eſt indultæ veniȩ argumẽtum, quinimmo

po-

potius reprobationis, nã vt dicitur Hebræorum 12. *Quem diligit Dominus, caſtigat, flagellat autem omnem filium, quẽ recipit,* ne inemẽdatum gehennæ tradat puniendum, ſiquidem tarditatem ſupplicij, grauitate compenſat. Vtriq; ergo ſtomachatur Deus impijs mortalium votis, quamuis multoties ſeræ maleficijs pœnæ inferantur: ſiquidem laneos habere pedes Dij dicuntur, quia pœna tacitis venit pedibus, & quando eam minime expectabas: & nihilominus ſecundum Suidam: Nemeſis iuxta pedes graditur, nam quum ſuperborum ſit vltrix, ſontes punit quando minus cogitant, & vt ait Hieronymus ad Caſtrucium: Magna eſt ira Dei, quando peccatori non iraſcitur, nam tunc magis iraſcitur Deus; quum non iraſcitur.

*ILEX*, ab eligendo dicta, vt lex à legendo, quia ante repertas fruges, hanc ſibi arborem homines elegerant, vt eius nucibus, ſiue glandibus victitarent: eſt arbor Ioui ſacra, non minus, ac quercus, & glandifera, tenuem habens corticem, folia vero dura, aculeata, & ſẽper virentia. Eſt etiam robore, ſiue quercu celſior, quæ eius proceritas forte in cauſa eſt, vt quamuis Ioui ſit ſacra, Iouis frequenter fulmine percutiatur. Eius meminit Virg. Ecloga 7. verſ. 1.

*Forte ſub arguta conſederat ilice Daphnis.*

Et Horat. Epodo ode 11.

*Arctius, atq; hedera procera adſtringitur ilex.*
*Lentis adhærens brachijs.*

Et Ouid. l. 3. Faſtorum.

*Lucus Auentino ſuberat niger ilicis vmbra.*

*Quo*

*Quo poſſis viſo dicere, Numen ineſt.*

Hic ponitur, per Senecdochen, pro quauis arbore, quæ culpæ neſcia, fulmine tangatur. Et eſt mira exaggeratio, nam ſi ilex Ioui ſacra, abſq; vlla ſua culpa, fulminatur, quanto magis id tibi, tam impio et iniquo, debetur?

*SVLPHVRE ſacro.* De ſulphure, hæc habet Plinius lib. 35. cap. 15. [ Mira eſt natura ſulphuris, quo plurima domantur. Naſcitur in inſulis Æolijs inter Siciliam, & Italiam, quas ardere diximus: ſed nobiliſſimum in Melo inſula. In Italia, quoq; inuenitur in Neapolitano Campanoq; agro, collibus, qui vocantur Leucogæi. Quod & cuniculis effoſſum, perficitur igni. Genera quatuor: viuũ, quod Greci apyron vocant, naſcitur ſolidum, hoc glebosum: eo ſolo ex omnibus generibus Medici vtuntur: cætera enim liquore conſtant, & cõficiuntur oleo incocta. Viuum autem effoditur, tranſlucetq; & viret. Alterum genus appellant glebam, fullonum tantum officinis familiare. Tertio quoq; generi vnus eſt vſus, ad ſuffiendas lanas, quoniam candorem tantum, mollitiemq, confert: egula vocatur, hoc genus. Quarto autem ad ellychnia maxime conficiẽda. Cætero tanta vis eſt, vt morbos comitiales deprehendat nidore, impoſitum igni. Luſit, & Anaxilaus eo, cadens in calice nouo, prunaq; ſubdita circumferens, exardeſcentis repercuſſu pallorem dirum, velut defunctorum, offundente conuiuis. Natura eius calfacit, concoquit, ſed & diſcutit collectiones corporum; ob hoc talibus emplaſtris, malagmatibuſq; miſcetur; renibus quoq; & lombis in dolore, á adi-

adipe, mire prodeſt, impoſitum, aufert, & lichenas à facie, cum terebinthi reſina, & lepras: harpacticon vocatur à celeritate auellendi, auelli enim ſubinde debet. Prodeſt, & ſuſpirioſis linctum. Puruléta quoq; ex tuſſientibus, & contra ſcorpionum ictus. Vitiligines, viuum nitro mixtum, atq; ex aceto tritum, & illitum tollit. Item lendes è palpebris, aceto ſandarachato admixto. Habet, & in religionibus locũ ad expiandas ſuffitu domos, ſentitur vis eius & in aquis feruentibus. Neq; alia res facilius accenditur, quo apparet ignium vim magnam etiam ei ineſſe. Fulmina, & fulgura quoq; ſulphuris odorem habent, ac lux ipſa eorum ſulphurea eſt.] Et hinc habere potes, quid intellexerit nomine ſacri ſulphuris, fulmen enim ita appellauit, non quod ſulphur non fuerit habitum inter res maxime ſacras, adeo vt cognominaretur Θεῖον, quaſi Deorum proprium eſſet, & in omni adhiberetur expiatione: ſed quia tam ipſum fulmen, quã proxima loca ijs, quæ fulmine tacta fuerunt, ſulphuris referunt odorem, vt innuit Virg. 2. Æneid. verſu 698.

*Late circum loca ſulphure fumant.*

Sacrum vero, vel eo quod à Cœlo, & Ioue veniat: vnde Plautius refert ex Pompeio, fulmina dici Iouis Manubrias. Sed Manubriarum quædam erant minores, & pacatæ, quando res ijs tactæ, manebant: aliæ maiores, quæ cum fragore venientes, res tactas euellebant, & diſcutiebant: & de his nunc loquitur. Niſi ma[...]u s, fulmen dici ſulphur ſacrum, ideſt verendum, & execrandum, eodem modo, vt illud

Virg.

Virg. 3. AEneid. verſu 56.

*Auri ſacra fames.*

*DISCVTITVR.* Diſcutere, ex dis, & quatio, eſt, quatiendo, ſiue conquaſſando, in diuerſas partes ſeparare, diuidere, & diſſipare. Sic Ouidius lib. 2. Metamorph.

*Haud aliter quàm quum ſpectante iuuenca*
*Lactentis vituli, dextra libratus ab aure,*
*Tempora diſcuſſit claro caua malleus ictu.*

Et Celſus lib. 8 cap. 3. *Lamina ænea eſt firma, paullum reſima ab eſteriori parte læuis, quæ demiſſa eſt, vt exterior pars eius, cerebro propior ſit, ſubinde ei ſubijcitur, quod ſcalpro diſcutiendum eſt.* Et ſic nunc propriè fulgurita diſcuti, nempe diſijci, quaſſari, & diſſipari dicta ſunt.

*AN quia non fibris ouium, Ergennaq; iubente triſte iaces lucis, euitandumq; bidental, icirco ſtolidam præbet tibi vellere barbam Iuppiter. Fibræ,* quid ſint, dictum eſt ad illa verba ſatyræ 1. verſu 47.

*Nec enim mihi cornea fibra eſt:*

Sunt enim cuiuſq; rei extremitates. Vnde hic nomine fibrarum ouium, intelligit extremitates cordis, pulmonis, & aliorum interiorum, quæ ab Aruſpicibus inſpiciebantur, & ex eis, dæmonum opere, futura aliqua prænoſcebant, & prænunciabant.

*ERGENNAQ; iubente.* Ergenna nomen proprium eſt, ſed Etruſtum, ſicut Porſenna, Siſenna, Perpenna, & alia eiuſdem terminationis. Conſtat autem, ab Etruria Romam veniſſe, Aruſpicum diſciplinam, ſeu artem diuinandi ex inſpectione fibrarum, ſiue extorum ſacrificij, & conſideratione fulminum, & tonitruorum,

rum: vnde Ergenna, hic poſitus eſt pro Etruſco, nempe Aruſpice, & ſacrorum interprete, qui ex fibrarum inſpectione, vel natura fulminis, ventura, vel Deorum nunciet voluntatem. Vnde Dionyſius Halicarnaſſæus lib. antiquitatum Romanarum 4 cap. 8 narrato prodigio, quod accidit, dum Tarquinius fundamenta foderet templi extruendi in colle Tarpeio, ſubdit. *Tarquinius viſo hoc portento, iuſſit operas à terra fodienda abſtinere, & conuocatis vatibus indigenis, ex ipſis quæſiuit, quid ſibi vellet illud prodigium; illis vero nihil declarantibus, ſed concedentibus facile Etruſcis talium rerum ſcientiam &c.* Et lib. 3. cap. 13. de Accio Neuio Etruſco refert, quomodo tam celebris augur euaſerit. Seneca etiam lib. 2. quæſtionum naturalium cap. 32. loquens de fulminibus ait. *Quid quod futura portendunt, nec unius tantũ, aut alterius rei ſigna dant, ſed ſæpe totum fatorum ſequentium ordinem nunciant, & quidem decretis euidentibus, longeq; clarioribus, quam ſi ſcriberentur? Hoc autem inter nos, & Tuſcos, quibus ſumma perſequendorum fulminum eſt ſcientia, intereſt: Nos putamus, quod nubes colliſæ ſunt, ideo fulmina emitti: ipſi exiſtimant, nubes collidi, ut fulmina emittantur. Nam quum omnia ad Deum referant, in ea ſunt opinione, tamquam non quia facta ſunt, ſignificent, ſed quia ſignificatura ſunt, fiant.* Hæc ille, & quidem rectius, quam ipſe, ſentiebant Etruſci, omnia ad Deum referentes, cuius prouidentia infallibilis, attingit à fine vſq; ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter, vt, quæ reſpectu ſecundarum cauſarum fortuita ſunt, reſpectu

ſpectu Diuinæ ſapientiæ, ad certum finem ſint deſtinata: vnde ſapienter illi volebant, rem potius fieri, vt ſignificet, quam ſignificare, quia facta eſt; Et in his verbis adeſt ſchema Hendiadion, ſiquidem inſpectio fibrarum, & Ergēna, non ſunt duo conſultores, ſiue iubentes, ſed vnus cum inſtrumento, nempe ipſe Ergenna, qui ex inſpectione fibrarum, conſulit, aut iubet, quid facto ſit opus. Quod monuimus etiam in Inſtitut. Orat. lib. 3. Tract. 3. cap. 4.

*BIDENTAL* eſt locus tactus à fulmine, ſic dictus, vel à duabus pecudibus, ibi mactandis, vel ab vna tantum bidente, nempe oue, quæ ad prodigij procurationem, & videndum quid Dij factum vellent, ibidem à Sacerdote, vel aruſpice immolabatur. Refert autem Plautius aruſpices peritos diſcipline Etruſcorum, Romam adductos pro apparatu fulminum, quæ infra terram recondita, in lapides erant mutata, oues immolaſſe, eumq; locum, ſicut, & fulmen ipſum, bidental appellaſſe, quia vbi fulmen ceciderat, bidentes mactabantur, vel quia fulmen duos habet dentes; ſiue quia locus ſecundo à fulmine percuſſus, ab aruſpicibus erat conſacratus, vt expiari abſq; hoſtiæ immolatione, non poſſet. Denominatur autem triſte, quia fulminis caſu territi homines, triſtes moeſtiq; redduntur: & euitandum, quia erat execratum a Ioue fulminante, vt nefas eſſet, eum, pedibus calcare, quia inauſpicatū, & mali ominis. Sic de Empedocle ait Horat. ad Piſones.

*Nec ſatis apparet quur verſus factitet, utrum*
*Minxerint in patrios cineres, an triſte bidētal*

*Moueris inceſtus: certe furit, ac uelut urſus*
*Obiectus caueæ ualent ſi frangere clathros.*

Moris inſuper fuit, vt qui fulguriti perijſſent, quo loco fuiſſent extincti, eodem relinquerẽtur, vt nec cremarentur, nec darentur ſepulturæ, & ipſe locus haberetur ſacer, vt certis cæremonijs ſacra in eo fierent, tam quando caſus accidebat, quam deinceps quotannis: locatis enim ibi aris, & reliquo ſacrificiorum apparatu, locus religioſè ſeruabatur. Et hoc innuitur, quum homo fulguritus dicitur bidental, quamuis propriè bidental, non dicatur de re mobili: ſed, ſicut Lucilius, hominem carcere dignum, & quo ſępe detentus fuerat, carcerem appellauit, ita bidental dici potuit is, cui alicubi bidental factum fuit. Quod etiam bidental denominetur euitandum, reſpicere potuit ad id quod lib. 23. refert Marcellinus, nempe loca tacta à fulmine, non calcari, ex præcepto fulguralium librorum. Apte etiam vtitur verbo *Iaces*, nam vt ait Feſtus, cauetur legibus Numæ, ne, quem Iuppiter fulmine necauit, in genua tollant; Et ideo in nuda iacere, putreſcereq; debebat humo. Luci autem hic poſiti ſunt, tum quia illi frequentius fulminantur, qui in lucis degunt, & nemoribus. Tum etiam, nam quum fulguritus fiat bidental, & locus ſacer, quidquid in eo naſcitur, intactum manere debet, & ideo locus ille cito opacatur, & fit lucus.

*IDCIRCO ſtolidam prebet tibi uellere barbã Iuppiter.* Stolidus eſt fatuus, fungus, ſtupidus, excors, et emoti cerebri. Sic Ouid. 11. Metam.

*Pingue ſed ingeniũ manſit, nocituraq; ut ante*
*Rurſus*

*Rurſus erant Domino ſtolidæ præcordia mẽti s*
Et Plautus Epidico Actu 3.ſc.3.
*Ego illic me autem ſic aſſimulabam, quaſi*
*Stolidum, quum bardum me faciebam.*
Sed quum hic ſtoliditas tribuatur barbę, barbæ nomine, per ſenecdochen, ſignificatur Iuppiter, & forte alluſum ad illud ſenioris Dionyſij Syracuſani, qui auream Aeſculapij Epidaurienſis barbam detraxit, iocatus: indecens eſſe, imberbis patris, filium eſſe barbatum: quod ſacrilegium inultum Dij reliquerunt, quaſi barbam, ſibi velli ſiuiſſent. De hoc Dionyſio, ait Cicero lib.3. de natura Deorum, quod. *Quum phanum Proſerpinę Locris expilauiſſet, nauigabat Syracuſas, iſq; quum ſecundiſſimo uento curſum teneret, ridens, uidetiſne, inquit, amici, quam bona à Dijs immortalibus nauigatio ſacrilegis detur? Atquæ homo acutus quum bene, planeq; percepiſſet, in eadem ſententia perſeuerabat: qui quum ad Poloponneſum claſſe appuliſſet, & in fanum uenſſet Iouis Olympij; aureum ei detraxit amiculum grandi pondere, quo Iouem ornarat ex manubijs Carthaginenſium Tyrannus Hiero, atq; in eo etiam cauillatus eſt, æſtate grauem eſſe aureum amiculum, hyeme frigidum, eiq; laneum pallium iniecit, quum id eſſe aptum ad omne anni tempus diceret. Idemque Aeſculapii Epidauri barbam auream demi iuſſit, neq; enim conuenire barbatum eſſe filium, quũ in omnibus fanis pater imberbis eſſet. Iam menſas argenteas de omnibus delubri: iuſſit auferri, in quibus, quod more ueteris Gręcię, inſcriptum eſſet, bonorum Deorum, uti ſe eorum bonitate ue le dicebat. Idem uictoriolas aureas, & pateras*

*ras coronaſq;quę ſimulachrorum porrectis manibus ſuſtinebantur ſine dubitatione tollebat, eaq; ſe accipere, non auferre dicebat, eſſe enim ſtultitiam, à quibus bona precaremur, ab iis porrigentibus, & dantibus, nolle ſumere. eumdemq; ferunt hæc quæ dixi, ſublata de fanis, in forum protuliſſe, & per præconem uendidiſſe, exactaq; pecunia, edixiſſe, ut quod quiſq; à ſacris haberet, id ante diem certam in ſuum quiq; fanum referret. ita ad impietatē in Deos, in homines adiunxit iniuriam. Hunc igitur, nec Olympius Iuppiter fulmine percuſſit, nec Aeſculapius miſero diuturnoq; morbo tabeſcentem interemit, atq; in ſuo lectulo mortuus, in Tyrannidis rogum illatus eſt, eamq; poteſtatem, quam ipſe per ſcelus erat nactus, quaſi iuſtam, & legitimā, hereditatis loco filio tradidit.* Itaq; nunc ait: Permiſit ne tibi Iuppiter, vt ſimili modo barbam ſibi detraheres? Vel, barbam vellere intelligitur, ſicut dictū eſt ad illa verba verſus penultimi Satyræ primæ.

*Si Cynico barbam petulans Nonaria uellat.*
Nempe pro depilare, piloſq; radicitus extirpare, quod maximi contemptus eſt indicium, vt ſit ſenſus: Num quia tua ſcelera Dij vſque modo reliquerunt impunita, adeo eos habebis deſpectui, vt quaſi pilos de eorum barbis coneris euellere, tam impia vota eis mandans exequenda. Quod autem ſequitur. *Aut quid nam eſt*, venuſtiſſima loquēdi forma eſt in ſermone obiurgatorio, idem valens, ac ſi dictum fuiſſet, ſi quod dixi verum non eſt, dic quæ nā eſt alia ratio tantæ temeritatis.

*AVT quidnam eſt, qua tu mercede, Deorum emeris auriculas? pulmone, & lactibus vnctis?*

Emere

Emere mercede Deorum auriculas, eſt, præ-tioſis ſacrificijs, ſiue muneribus, Deos propi-tiare, vt ſint faciles ad noſtra vota exaudien-da. Ouidius, tamen ait Epiſtola 20.

*Non boue mactato Cæleſtia Numina gaudẽt.*
*Sed quæ præſtanda eſt, & ſine teſte fide.*

Et Xenophon in ſympoſio, ſiue conuiuio. [Ne-mo eſt qui ignoret, tum Græcos, tum Barba-ros in ea eſſe ſententia, vt putent Deos omnia ſcire, & inſtantia, & futura: itaq; omnes Ciui-tates, omneſq; gentes diuinatione vtentes, Deos præcantur, vt mala auertant, bona autẽ largiantur. Hi igitur qui omnia ſciunt, ac poſ-ſunt omnia, Dij, ſic mihi amici ſunt, vt quoniã mei curam gerunt, numquam eorum obliui-ſcar, neq; noctu, neq; interdiu, ſiue quid cogita-tione inſtituam, ſiue quid agendum ſuſcipiam. Quia autem præuident, quidquid ex ſingulis euenturum ſit, nuncios, rumores, ſomnia, aues mittentes, mihi ſignificant, quæ facienda ſunt, aut contra, quæ facere nõ deceat: quibus quũ pareo, numquam pœnitere neceſſe fuit; iam vero quum non obtemperauero, aliquoties caſtigatus ſum. Et Socrates: Horum, inquit, nihil incredibile eſt: illud tamen libenter ſci-ſcitarer, quo tãdem illos colens modo, ſic ami-cos habes? Profecto, inquit, Hermogenes, vili admodum: laudo enim illos, nullis ſumptibus factis: quæ autem largiuntur, ſemper comme-moro, laudoque quoad poſſum. & in quibus illos teſtes adhibeo, nihil in eis, ſciens, men-tior. Certe, inquit Socrates, ſi talis quum ſis, eos habes amicos, Dij, vt veriſimile eſt, virtu-te, bonitate, & probitate delectantur]. Immo

Pſalmo 49. dicitur *Deus, Deus tuus ego ſum, non in ſacrificijs tuis arguam te, holocauſta autẽ tua in conſpectu meo ſunt ſemper. Non accipiam de domo tua vitulos, neq; de gregibus tuis hircos: quoniam meæ ſunt omnes feræ ſiluarum, iumenta in montibus, & boues; Cognoui omnia volatilia cæli, & pulchritudo agri mecum eſt. Si eſuriere non dicam tibi, meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo eius. Numquid mãducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua: & in inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Et Iſaias cap. 66. *Qui immolat bouem, quaſi qui interficit virum: qui mactat pecus, quaſi qui excerebrat canem: qui offert oblationem, quaſi qui ſanguinem ſuillum offerat: qui recordatur thuris, quaſi qui benedicat idolo. Hæc omnia elegerunt in viis ſuis, & in abominationibus ſuis anima eorum delectata eſt: vnde & ego eligam illuſiones eorum, & quæ timebant adducam eis, quia vocaui, & non erat, qui reſpõderet, locutus ſum, & non audierunt, feceruntq; malum in oculis meis, & quæ nolui elegerunt.* Nulla ergo exteriori oblatione propitiabitur Deus, niſi ex pura, & incontaminata proceſſerit mente.

*LACTIBVS vnctis*, Lactes, ſi Cornutum hic audiamus, ſunt loca in lateribus, pubetenus ſub vmbilico, delicata, vt plagam ferre non poſſint. Cæterum communiter intelliguntur inteſtini graciliores, ventriculo coniuncti, per quos cibus labitur: qui, iuxta Plinium lib. 11. cap. 37. in homine tantum, & oue lactes dicũtus, in alijs vero animantibus, ile, Inuoluuntur

tur autem meſenterio (ſic dicto quod inter inteſtina medium occupet locum) craſsa nempe illa, & adipoſa membrana, quæ multis eſt in texta venis, & glandulis, vt à duro ſpinæ contactu muniantur. Earum meminit Plautus Curcul. Act. 2. ſcena 3.

*Os amarum habeo, dentes blennos, lippiunt fauces fame,*
*Ita cibi uaciuitate uenio laxis lactibus.*

Denominantur ab antiquo verbo lacio, cuius nunc compoſita, eiuſdem fere ſignificationis habemus, allicio, illicio, elicio, cibum enim lactes alliciunt, & ad ſe trahunt. Et conuenit eis Epitheton vncti, ratione pinguedinis, qua ſunt refertæ. Vbi nota ſatyricam irriſionem, qua ſceleſti illi carpuntur, qui ſacrificijs credebant propitios ſibi reddere Deos, & memorat oblata eſſe, pulmo, & lactes vnctæ, quibus certè nihil eſt vilius. Eſt autem præceptum rhetorum, vt in vituperando, viliſſimum commemores generis, in laudando vero præſtantiſſimum. Hinc ipſe vituperaturus, viliſſimum ponere debuit, nempe pulmonem, & lactes vnctas.

*ECCE auia, aut metuens Diuum matertera, cunis exemit puerum, frontemq; atq; uda labella infami digito, & luſtralibus ante ſaliuis expiat, urentes oculos inhibere perita.* Nunc tranſit ad aliud votorum genus, nempe vanorum potius, quam ſceleſtorum; optantur enim nunc diuitiæ, potentia, pulchritudo, & ſimilia, abſque aliorum pernicie. Quamuis autem quocumq; die poſſent à parentibus fieri vota pro liberis, erant nihilominus adhuc ſpecialiter quædam

tempora deſtinata, vt quum honores inibant, ſiue magiſtratus, quum nuptias celebrabant, ſed maxime dies Natalis. Merito ergo nũc luſtrico die, hæc vota nuncupata dicuntur. Dies autem luſtricus, non erat idem, cum eo quo infans edebatur in lucem: immo ab ortu pueri aliquot expectabant dies, & vt Feſtus docet, dies luſtricus puellarum erat octauus, puerorum vero nonus, nam ijs infantes luſtrabantur, eiſque imponebantur nomina. Et illi dies expectabantur, vt certificarentur, nũ proles edita foret vitalis, ne forte dies feſtus in luctum conuerteretur; & tunc explorata fœtus vitalitate, natiuitatis celebrabatur ſollemnitas tali ratione, nam infantium Dijs Pilunno, & Picunno pro puerpera lectus in atrio ſternebatur. Et vt ait Auguſtinus lib. 6. de Ciuitate Dei cap. 9. [Mulieri fœtæ poſt partum tres Deos cuſtodes cõmemorat adhiberi, ne Siluanus Deus per noctem ingrediatur, & vexet, eorumq; cuſtodum ſignificandorũ cauſa, tres homines noctu circumire limina domus, & primo limen ſecuri ferire, poſtea pilo, tertio deuerrere ſcopis: vt his datis culturæ ſignis, Deus Siluanus prohibeatur intrare, quia neque arbores cæduntur, ac putantur ſine ferro, nec far conficitur ſine pilo, nec fruges coaceruantur ſine ſcopis. Ab his autem tribus, tres nuncupatos Deos, Intercidonam, à ſecuris intercisione, Pilumnum à pilo, Deuerram à ſcopis, quibus Dijs cuſtodibus, contra vim Dei Siluani fœta conſeruaretur.] Et idẽ Aug. de C. D. lib 4. c. 21 [Si virtus non niſi ad ingenioſum poſſet venire, quid opus erat

Deo

Deo Catio patre, qui catos, ideſt acutos faceret, quum hoc poſſet conferre felicitas? ingenioſum quippe naſci fœlicitatis eſt: vnde etiã ſi non potuit à nondum nato coli Dea felicitas, vt hoc ei, conciliata, donaret, conferret hoc parentibus eius, cultoribus ſuis, vt eis ingenioſi filij naſcerentur. Quid opus erat parturientibus inuocare Lucinam, quum ſi adeſſet Felicitas, non ſolum bene parerent, ſed etiam bonos? Quid neceſſe erat Opi Deæ commendare naſcentes, Deo Vaticano vagientes, Deæ Cuninæ iacentes, Deæ Ruminæ ſugentes, Deo Statilino ſtantes, Deæ Adeonæ adeũtes, Abeonæ abeuntes, Deæ Menti vt bonam haberent mentem, Deo Volumno, & Deæ Volumnæ, vt bona vellent: Dijs nuptialibus, vt bene coniugarentur, Dijs agreſtibus, vt fructus vberrimos caperent, & maximè ipſi diuæ Fructiferæ: Marti, & Bellonæ, vt bene belligerarent, Deæ Victoriæ, vt vincerent, Deo Honorino, vt honorarentur, Deæ Pecuniæ, vt pecunioſi eſſent: Deo AEſculano, & filio eius Argentino, vt habeant æream argenteamque pecuniam. nam ideo patrem Argentini AEſculanum poſuerunt, quia prius ærea pecunia in vſu eſſe cœpit, poſt argentea. Miror autem, quod Argentinus, non genuit Aurinum, quia & aurea ſubſecuta eſt, quem Deum iſti ſi haberent, ſicut Saturno Iouem, ita & patri Argentino, & auo AEſculano, Aurinum præponerent.] Proponebatur, etiam per totam puerperij hebdomadam menſa Iunoni, vt refert Tertullianus his verbis lib. de Anima cap. 39. [Cui hominũ non adhærebit ſpiritus nequam, ab ipſa etiam

ianua natiuitatis animas aucupabundus, vel qua inuitatus tota illa puerperij ſuperſtitione? Ita omnes idololatria obſtetrice naſcũtur, dum ipſi adhuc vteri infulis, apud idola confectis redimiti genimina ſua dęmoniorum cãdidata profitentur, dum in partu Lucinæ, & Dianę eiulatur, per totam hebdomadam Iunoni menſa proponitur, dum vltima die fata ſcribunda aduocantur, dum prima etiam conſtitutio infantis ſuper terram, Statinæ Deæ ſacrum eſt. Quis non exinde, aut totum filij caput reatui vouet, aut aliquem excipit crinem, aut tota nouacula proſecat, aut ſacrificio obligat, aut ſacro obſignat, pro gentica, pro auita, pro publica, aut priuata deuotione. Sic igitur, & Socratem puerum adhuc ſpiritus dæmonicus inuenit: ſic & omnibus Genij deputantur, quod dæmonum nomen eſt, adeo nulla ferme natiuitas munda eſt, vtiq; Ethnicorum.] Tranſacta autem hebdomada, nempe octauo vel nono die, & cognito puerum eſſe vitalem, luſtricum ſolemnizabant, etiam Iudæi, qui ex Dei præcepto, octauo die circumcidebant, & conuenientibus amicis, atq; cognatis, cum maxima lætitia luſtricum celebrabant; qui dies dicebatur nedum luſtricus, ſeu expiatorius, ſed etiam Nominalis, quia tunc nato nomen imponebatur. Et in deligendo nomine, alia adhibebatur ſuperſtitio, dum pluribus eiuſdem ponderis, & longitudinis accenſis funalibus, ſiue cereis, eorum cuilibet nomen imponebatur, vt vnus diceretur Cato, alius Ceſar, & ſic de alijs; & illius quod, cæteris conſumptis, atq; extinctis, ſuperuixiſſet,

nomen

nomen imponebant infanti, credentes ita illũ diu in viuis futurum. Itaque hac die, luſtrationibus infans expiabatur, & pro eo preces fundabantur. *Ecce*, tranſitioni aptiſſimè deſeruit. *Auia*, eſt mater patris, vel matris: *Matertera* eſt ſoror matris, quaſi mater altera. Harũ meminit, quia quum quælibet ſupponatur vetula, & cognata, piatricis munus obire poterat. Luſtrandi enim partes, dabantur piatricibus, quæ erant anus decoctæ, & peritæ ſuperſtitionum, ſeu rituum, & cognatæ puero luſtrando, vt hic eſt factum.

*ECCE auia aut metuens Diuum.* Metuens Diuum, ſiue Diuorum, periphraſis eſt ſuperſtitioſi, nam vt ait Petronius in fragmentis ſatyrici, eumque imitatus Statius lib 3. Thebaidæ verſu 661.

*Primus in orbe Deos fecit timor.*

Siquidem in aduerſitatibus, quum ſumus in anguſtiis, Deum inuocamus, iuxta illud Pſalmi 119. *Ad Dominum quum tribularer clamaui, & exaudiuit me.* Vnde Gregorius etiam habet in cap. 31. Iob ideſt Moral. lib. 21. cap 4. *O quanta conſolatio ægrotis, & quantus mœror ſanis! Feſtina conſolatio bonorum eſt, conſideratus finis malorum. Dum enim ex eorum interitu, malum conſpiciunt, quod euadunt, leue exiſtimant quidquid aduerſi in hac vita patiuntur. Eant ergo nunc reprobi, & delectationum ſuarum deſideria compleant, in finis ſui damnatione ſenſuri ſunt, quia mortem, malè viuentes amauerunt. Tranſitorio autem verbere affligantur electi, vt à prauitate flagella corrigant, quos paterna pietas ad hæreditatem ſeruat. Nunc etenim flagellatur*

*iuſtus,*

*iuſtus, & verbere diſciplinæ corrigitur, quia ad æternę hæreditatis patrimonium præparatur. In ſuis autem voluptatibus relaxatur iniuſtus, quia tanto ei temporalia bona ſuppetunt, quanto æterna denegantur. Iniuſtus ad debitam mortem currens, effrenatis voluptatibus vtitur, quia & vituli qui mactandi ſunt, in liberis paſtibus relinquuntur: at contra iuſtus à delectationis trāſitoriæ iucunditate reſtringitur, quia & nimirum uitulus ad laboris vſum vitæ deputatus, ſub iugo retinetur. Negantur electis in hac vita bona terrena, quia & ægris, quibus ſpes viuendi eſt, nequaquam à medico cuncta, quæ appetunt, conceduntur: dantur autem reprobis bona, quæ in hac vita appetunt, quia & deſperatis ægris omne quod deſiderant, non negatur. Perpendant igitur iuſti, quæ ſint mala, quæ iniquos manent, & nequaquam eorum felicitati inuideant, quæ percurrit. Quid eſt enim, quod de eorum gaudijs admirentur, quod & ipſi per iter aſperum ad ſalutis patriam: & illi quaſi per amœna prata ad foueam tendunt?* Et in 40. caput Iob, ideſt Moralium lib. 33. cap. 17. ait: *Alta diſpenſatio iudiciorum Dei, idcirco ſæpe benè merentes famulos, vel minis impetit, vel flagellis premit, vel quibuſdam ſuperimpoſitis oneribus grauat, vel laborioſis occupationibus implicat, quia mira prouidentia pręuidet, quod ſi quieti, ac liberi in tranquillitate perſiſterent, tentationes ferre aduerſarij non valentes, mentis proſtrati vulneribus iacerent. Dum ergo eos foris, tolerandis flagellis, vel oneribus occupat, à ſuſcipiendis intus tentationum iaculis occultat. Aioris quidem medicinalis eſt, vt ſæpe feruorem*

ri-

*viſcerum in pruriginẽ cutis trahat, & plerumq; inde interius curat, vnde exterius ſauciat. Ita nonnumquam Diuinæ diſpenſationis medicamine agitur, vt exterioribus doloribus, internum vulnus adimatur, & flagellorum ſectionibus repellatur ea, quæ occupare mentem poterat, interior uitiorum, & tamen ſæpe dum patentis culpę ſibi homines conſcij non ſunt, & aut doloribus cruciantur, aut laboribus deprimuntur, contra iuſtum, atque omnipotentem iudicem, in querelam proſiliunt, ſcilicet minus intuentes, contra quam fortem aduerſarium bellum gerunt; cuius ſi intolerabiles vires ſollicitè attenderent, nequaquam de his, quę exterius tolerant, murmurarẽt. Sed ideo vidẽtur nobis hæc grauia, quia bella occulti aduerſarij nolumus penſare grauiora, à quibus plerumque bellis, vt diximus, dum flagellamur, defendimur, dum affligimur, occultamur. Caro enim noſtra, prius quam reſurrectionis incorruptione ſolidetur, ſi nullo mærore afficitur, in tentationibus effrænatur. Quis autem neſciat, quod melius ſit ardere flamma febrium, quam igne vitiorum? Et tamen, quum febre corripimur, quia vitiorum æſtum, qui occupare nos poterat, conſiderare negligimus, de percuſſione murmuramus.* Timor autem Dei laudabilis, eſt qui naſcitur ex recta Numinis cognitione, excitante ad illius offenſam vitãdam, & eiuſdem præcepta ſeruanda: Qui vero inducit ad eum colendum ritibus indecentibus, vel ad ſeruiendum eis, quibus ſeruitus non debetur, ſuperſtitioſus eſt, & vituperabilis, & hic induxit dęmonum cultum, & ritus vanos in cultu veri Dei. Vota autem concepta ab his

mu-

mulierculis, vt non ſunt impia, ſicut præcedentia, ſunt tamen inutilia, & ideo ponuntur concepta ab aliqua neſciente optare ſapientiam, bonam mentem, aut aliud verè bonum, ſed tantum exteriora, & plerumque nociua, vt diuitias immodicas, quæ multis exitio fuere; vel honores, qui nonnumquam honoratos peſſum dederunt: aut Regna, quorum plerumque exitus fuere Tragici; vel clara connubia, quæ ſæpe domos funditus vaſtarunt. Quanto ſapientius ita orabat Socrates: Iuppiter bona nobis precantibus concede, & non precantibus: mala vero ſimiliter, & à non precantibus amolire.

*CVNIS.* Cunæ, cunabula, & incunabula, pro eodem accipiuntur, nempe pro lectulis, vbi eum crepundijs, bullis, linteolis, faſcijs, & ſimilibus, pueri quieſcere ſolent. Quidam tamen cunas à cunabulis diſtinguunt, vt cunabula ſint iocalia iam dicta: cunæ vero ſint fulcra lignea, ſiue eburnea, aut ex alia materia, in quibus infantium lectuli ſternuntur: hinc Plautus Pſeudolo Actu 4. ſcena 7.

*Quid ais? tune etiam cubitare ſolitus in cunis puer?*

Dictæ cunæ, vt quibuſdam placet, à Græco κυνεῖν, quod eſt eniti: ſed alij eius originem deriuant à verbo cunire, quod eſt ſtercus facere, niſi iuxta Feſtum per oppoſitum, cunire ſit à cunis, quæ ſæpius infantium fędantur olctis. Diſtinxiſſe cunas à cunabulis, videtur Plautus Truculento Actu 5. ſcena 1.

*Opus eſt puluinis*
*Cunis, incunabulis, oleum opus eſt, farina opus eſt totum diem.*

Et

Et iſtis præeſſe credebatur Dea Cunina, quæ faſcinum à pueris amoliretur, vt refert, & irridet Lactantius lib.1. Diuinarum Inſtitutionum cap.1. dicens: *Colitur & Caca, quę Herculi fecit indicium de furto boum, diuinitatem conſecuta, quia prodidit fratrem: & Cunina, quæ infantes in cunis tuetur, ac faſcinum ſubmouet: Et Sterculius, qui ſtercorandi agri rationem primus induxit.* Et vt puero in cunis vagiente, ſacra pro illo fiebant Deę Cuninę, ita illo per ætatem è cunis egreſſo, ſacrificabatur Deæ Statinæ, vel Statano Deo, vt ex Varrone refert Nonius dicens: Statanus Deus puerilitatis præſes credebatur antiquis, in cuius tutela pueri eſſe credebantur, quum primum ſtare, atque incedere inciperent.

*EXEMIT*. Eximere ex præpoſitione ex, & verbo emo, eſt tollere, vel accipere; eſtque generalius, quam rapere, nam hoc eſt per vim de alterius quaſi manibus, & poteſtate auferre, eximere vero nullam præſefert violētiam. Sic Cato de R.R. cap. 112. *Vinum Coum facere ſi voles, vuas relinquito in vinea, ſinito vt benè coquantur, & ubi pluerit, & ſiccauerit, tunc delígito, & ponito in ſole biduũ, aut triduũ ſub dio, ſi pluuiæ non erũt. Si pluuia erit, in tecto in cratibus cõpoſito, & ſi qua acina corrupta erunt, depurgato. Cũ ſumito aquæ marinæ ſupraſcriptæ quadrantalia decem, & in dolium quinquagenarium infundito. Tum acina de vuis miſellis decerpito de ſcopio, & in idem dolium uſque dum impleueris manu comprimito, ut combibant aquam marinam: ubi compleueris doliũ, operculo operito, relinquito qua interſpiret. Vbi triduum*

*præ-*

*præterierit, eximito de dolio, & in torculari calcato, & id uinum condito in dolia lauta, pura, & ſicca.* Sic Plautus Menechmis Actu 1. ſc. 1.

*Homini miſero malum ſi accedit ad malum,*
*Maior lubido eſt fugere, & facere nequiter*
*Nam ſe catenis eximunt aliquo modo.*

Et Sticho Actu 2. ſcena 2.

*Non enim poſſū quin renortar, quin loquar, quin ediſſeram,*
*Hæramq; ex mærore eximam.*

Et Captiuis Actu 3. ſcena 5.

*ſperaui miſer*
*Ex ſeruitute me exemiſſe filium.*

Et ita hæc auia, ſiue matertera, exemit, ideſt ſuauiter ſuſtulit, & accepit puerum è cunis, vt pro eo vota conciperet.

*LABELLA*. Labellum, diminutiuum à labro, ſicut à flabro, flabellum. Cenſere autem periti labrum, ſiue labium de ſua primeua ſignificatione importare vas amplum, in quod aqua è fonte, vel vinum, aut oleum defluit è torculari. Et ita Plinius iunior lib. 5. epiſt. 6. ait: *Contra mediam ferè porticum diæta paulum recedit, cingit areolam, quę quatuor platanis inumbratur: inter has marmoreo labro aqua exundat, circumiectaſque platanos, & ſubiecta platanis gramina leni aſpergine fouet.* Inde quodcumque vas amplum, cuiuſmodi in balneis ad lauandum vtebantur, labrum, quaſi lauabrum, dicebatur. Sic Ouid. lib. 4. Faſt.

*Nec Dryades, nec nos uideamus labra Dianę.*

Inde vlterius labrum dicitur, cuiuſque rei extremitas, nam & vulnerum extrema ora, labra à Chirurgis dicta, vt à Celſo lib. 7. cap. 15.

De-

*Demittendum ita eſt, vt membranam quoq; traiſcat, qua caro ab interiore parte finitur;* eo tum *plumbea, aut ænea fiſtula inijcienda eſt, vel recuruatis in exteriorem partem labris, vel in medio circum ſurgente quodam nodo, ne tota intus delabi poſſit.* Et fluuiorum etiam extremitates, nempe ripæ, labra dictæ à Cæſare lib. 7. de bello Gallico: *Foſſam pedes viginti latam, directis lateribus duxit, vt eius ſolum tantumdem pateret, quantum ſumma labra diſtabant.* Sed ſæpius labrum appellatur oris operculum, & vallum à natura datum, ad tegendam dentium deformitatem. Sic Virgilius Ecloga 3. & 47.

*Nec dum illis labra admoui, ſed cõdita ſeruo.*

Labrorum autem, ſiue labiorũ diminutiuum eſt labellum, qua voce vſus Cicero 1. de Diuinatione, vbi ait: *Platoni quum in cunis paruulo dormienti, apes in labellis conſediſſent, reſponſum eſt, ſingulari illum ſuauitate orationis fore; ita futura eloquentia præuiſa in infante eſt.* Sic Plautus Pſeudolo. Actu 1. ſc. 1.

*Teneris labellis molles morſiunculæ.*

Et idem Plautus Aſinaria Actu 3. ſcena 3.

*Prehẽde auriculas cõpara labella cũ labellis.*

Et ita nunc ſumitur. Et dicta propriè vda, humectantur enim ſaliua continuè ſalicnte ex ore edentuli pueri.

*INFAMI digito.* Digitorum manus quilibet proprium habet nomen, nam primus, & maior, ſiue groſſior, dictus eſt pollex, pollet enim viribus in tantum, vt à Græcis ἀντιχὶρ quaſi altera manus dicatur. Secundus hunc ſequens, dictus Index; & Salutaris; Index quidem

dem, quia eo res indicamus præſentes; ſalutaris vero, quia non ſalutamus, niſi viſa, & præſētia; vel quia eo os ad ſilentiū comprimimus, quod eſt ſalutare præceptū. Ex alia vero parte manus, extremus digitus appellatur minimus, quantitate, & comparatione aliorū digitorum eiuſdē manus: & Auricularis, quia eo auriū ſordes expurgamus. Proximus illi eſt, quem dicūt medicum, & anularē: medicū certè, quia ad ipſum ex corde, ſiue hepate, terminatur vena quædam, vnde eſt medecina, ſaluſque animantis: Anularis vero, quia primitus eo geſtari anuli cœperūt, vnde Gellius lib. 10. cap. 10. inquit: *Veteres Græcos anulum habuiſſe, in digito accepimus ſiniſtræ manus, qui minimo eſt proximus, Romanos quoque homines aiunt, ſic plerumque anulis vſitatos. Cauſam eſſe huius rei Appion in libris Ægyptiacis hanc dicit, quod inſectis apertiſque humanis corporibus, vt mos in Ægypto fuit, quas Græci ἀνατομὰς appellant, repertum eſt neruum quemdam tenuiſſimum, ab eo vno digito, de quo diximus ad cor hominis pergere, ac peruenire: propterea non inſcitum viſum eſſe eum potiſſimum digitum tali honore decorandum, qui continens, & quaſi connexus eſſe cum principatu cordis uideretur.* Medius verò digitus, binos habens ex vtroque manus latere, nedum dictus eſt longus, proportione aliorum eiuſdem manus, ſed etiam famoſus, mala vtique fama, nimirum, vt hic appellatur, Infamis, & Impudicus, & Verpus, quæ tria vocabula ex vna, & eadem cauſa ei adhærere potuerunt. Verpus enim dictus eſt à verendo, ſiue ſcalpendo podice, cui miniſterio commodus

dus eſt, nam contractis intra volam manus extremis, extentoque medio, exprimitur virilis membri figura, vna cum teſtibus: indeq; ſummè contumelioſum erat hunc in aliquem tali modo formatum porrigere digitum, ſignificatur enim illum eſſe mollem, & catamitum. Vt dictum eſt etiam ad illa verba ſatyræ 1. verſu 28. At pulchrum eſt digito monſtrari. Quur autem ad auerrucandos vrętes oculos, hæc mulier verpo vteretur? quia nimirum credcrent hanc ineſſe vim rebus turpiculis, ideo mentula inter amuleta numerabatur, vide Plinius lib. 19. cap 4 ait: *Hortos, & foros tantum contra inuidentium effaſcinationes dicari videmus, in remedio ſatyrica ſigna quamquam hortos tutelæ Veneris aſſignante Plauto.* Vt propterea virile membrum faſcinum appellatum in Priapeia carmine 27

*Tu qui non benè cogitas, & ęgrè*
*Carpendo tibi temperas ab horto*
*Pędicaberis faſcino pedali.*

Et Horatius Epodo ode 8.

*Illiterati num minus nerui rigent,*
*Minuſq; languet faſcinum.*

Sic etiam Petronius in Satyrico: *Profert Enothea ſcoeteum faſcinum, quod ut oleo, & minuto pipere, atque vrticę trito circumdedit ſemine, paulatim cœpit inſerere ano meo.* Huius igitur faſcini, nempe virilis membri imagine, ad faſcinum (incantamentum, auferens corporis, & mentis integritatem) depellendum vtebantur. quod Gellius lib. 16. cap. 12. vult dictum ab inuidendo, ſic enim ait: *Faſcinū quaſi βάσκανον inuidum, & faſcinare quaſi βασκαίνειν, inuidere.*

re. Et quia faſcinum, ideſt virile membrum, repreſentabatur medio manus digito, ideo hoc in expiationibus vtebantur. Hinc Petronius in Satyrico inquit: *Cœpi inter arbores ducem itineris expectare Chryſidem; Hæc diu ſpatiatus, conſederam ubi heſterna die fueram, quum illa interuenit, comitem aniculam trahens: atq; ut me conſalutauit, Quid tu, inquit, faſtosè, & quid bonam mentem habere cœpiſti? Illa de ſinu licium protulit, uarijs coloris filis intortum, ceruicemque uinxit meam. Mox turbatum ſputo puluerem, medio ſuſtulit digito, frontemque repugnantis ſignauit. Hoc peracto carmine, ter me iuſſit expuere, terque lapillos conijcere in ſinum, quos ipſa precantatos, purpura inuoluerat.* Eundem digitum proferri in contumeliam innuit Iuuen. ſat. 10. verſ. 5 1.

*Ridebat curas, nec non & gaudia uulgi,*
*Interdum & lachrymas, quum fortunæ ipſe minaci*
*Mādaret laqueū, mediumq; oſtenderet unguē.*

Et Lampridius de Heliogabalo ait. Neque enim vnquam verbis pepercit infamibus, quū & digitis impudicitiam oſtentaret. Et Suetonius in Caligula cap 56. *Quum placuiſſet Palatinis ludis ſpectaculo egreſſum meridie aggredi, primas ſibi partes Caſſius Chærea tribunus Cohortis Prętorię depopoſcit, quem Caius ſeniorem iam, ut mollem, & effaminatum denotare omni probro conſueuerat. & modo ſignum petenti, Priapum, aut Venerem daret, modo ex aliqua cauſa agenti gratias, oſculandam manum offerre, formatam, commotamque in obſcænum modum.* Et hic nunc intelligitur digitus infamis, nempe medius.

LV-

*LVSTRALIBVS.* Luſtrale dicitur à luſtro: luſtrum autem ſi habet V tenue, & correptū, eſt à luto, & ſignificat ferarum cubilia, apri enim, ſues, & alia in locis lutoſis ſua habent ſpelęa. Et hinc metaphoricè luſtra dicuntur lupanaria, & popinæ. Sic Plautus Pſeudolo Actu 4. ſcena 7.

*qui liberos eſſe illico*
*Se arbitrantur, ex conſpectu heri ſui ſi ſe abdiderint*
*Luxuriantur, luſtrãtur, comedũt quod habent.*

Si autem habeat V longum, quaſi omicron ypſilon, ſignificat ſpatium quinque annorum, & Olympiada, nõ quod quinque anni debeãt eſſe completi, immo ſufficit ſi quartus annus ſit dierum 366, vt eſt in anno biſſextili: & hoc ideo, quia luſtrum à luendo, ideſt ſoluendo eſt dictum, quia cenſores antequam magiſtratum deponerent, cenſum, & vectigalia à mancupibus, & vectigalibus exigebant. Significat etiam populi luſtrationem, ſiue expiationem, quæ fiebat à cenſoribus cenſu peracto, ſacrificio ſuouetauralio, vt colligimus ex Dionyſio Halicarnaſſenſi lib 4 cap 2. dicente [ Tullius cenſu perfecto, quum iuſſiſſet omnes ciues cum armis adeſſe in campo, omnium qui ſunt ante vrbem maximo, & equites in turmas digeſſiſſet, & pedites in acie collocaſſet, & milites leuis armaturæ in ſuis quoſque ordinibus, illas luſtrauit tauro, ariete, & hirco ( niſi pro hirco, ſuem dicere voluerit ) quum autem iuſſiſſet has hoſtias ter circa exercitum circumagi, Marti illius campi præſidi eas immolauit. Romani autem

ad

ad meam vſque ætatem hac luſtratione poſt cenſum perfectum luſtrantur à ſacratiſſimo magiſtratu, eámque luſtrum vocant. ] Quia ergo cenſu peracto fiebant ſuouetaurilia ad vrbis expiationem, quod vocabant luſtrum condere, inde luſtrare pro expiare ponitur; inde Virgilius lib.3. Æneid. verſu 278.

*Ergo inſperata tandem tellure potiti*
*Luſtramurq; Ioui, votiſq; incendimus aras.*

Sic etiam Liuius lib.1.cap.44. [ Cenſu perfecto, quem maturauerat metu legis de incenſis latæ, cum vinculorum minis, mortiſque, edixit, vt omnes ciues Romani equites, peditesq; in ſuis quiſque centurijs, in campo Martio prima luce adeſſent. Ibi inſtructum exercitum omnem ſuouetaurilibus luſtrauit, idq; conditum luſtrum appellauit quia in cenſendo finis factus eſt. ] Luſtrale autem dici poteſt, tam ab ea luſtri ſignificatione, qua Olympiada ſignificat, vnde eſt cenſus luſtralis: quã ab ea, qua expiationem, & purgationem importat, & ita luſtrale dicitur, quod luſtrandi, ſeu purgandi, & expiandi vim habet: & ita etiã aqua ſanctificata per ſacerdotes apud fideles, qua aſperſi expiãtur à peccatis ſaltẽ venialibus luſtralis dicta. Quod imitatus diabolus docuit infideles, vndè Ouid 3. de Põt. el.2.

*Sparſit aqua captos luſtrali Graia ſacerdos,*
*Ambiat ut fuluas infula longa comas.*

Et idem 13. Metamorph.

*Dimaris exceptum, ſocio dignantur honore,*
*Iamq; mihi quæcumq; feram mortalia demant*
*Oceanum, & Tethymq; rogãt, ego luſtror ab illis,*
*Et purgante nefas nouies mihi carmine dicto*

Pe-

*Pectora fluminibus iubeor ſupponere centum.*

Sic Virgilius Ecloga 5. verſu 74.

*Hæc tibi ſemper erũt, & quum ſollemnia vota*
*Reddemus Nymphis, & quum luſtrabimus agros.*

Nec ſolum aqua expiabantur, ſed etiam alijs rebus ſacris: vnde Virgil. 8. Æneid. verſ. 183.

*Veſcitur Æneas, ſimul & Troiana iuuentus*
*Perpetui tergo bouis, & luſtralibus extis.*

*SALIVIS.* Saliua eſt oris excrementum, dicta, vel quod ex ore ſaliat, & effluat, vel quod ſalis referat ſaporem. De ea Plinius lib. 7. cap. 2. ait. [ Crates Pergamenus, in Helleſponto circa Parium, genus hominum fuiſſe tradit, quos Ophiogenes vocat, ſerpentum ictus cõtactu leuare ſolitos, & manu impoſita venena extrahere corpori. Varro etiam nunc eſſe paucos ibi, quorum ſaliuæ contra ictus ſerpentium medeantur. Similis, & in Africa gens Pſyllorum fuit, vt Agatharchides ſcribit, à Pſyllo rege dicta, cuius ſepulchrum in parte Syrtium maiorum eſt: horum corpori ingenitum fuit virus exitiale ſerpentibus, vt cuius odore ſopirent eas. Mos vero, liberos genitos protinus objjciendi ſæuiſſimis earum, eoque genere pudicitiam coniugum experiendi, non profugientibus, adulterino ſanguine natos, ſerpentibus. Hæc gens ipſa quidem prope internecione ſublata eſt à Naſamonibus, qui nunc eas tenent ſedes: genus tamen hominum ex his, qui profugerant, aut, quum pugnatum eſt, abſuerant, hodieque remanet in paucis. Simile, & in Italia Marſorum gente durat, quos à Circes filio ortos ferunt, &

ideo ineſſe eis vim naturalem eam. Et tamen omnibus hominibus contra ſerpentes ineſt venenum, feruntque ictas ſaliua, vt feruentis aquæ contactum fugere, quod ſi in fauces penetrauerit, etiam mori, idque maxime humani ieiuni oris. Et idē Plin. lib. 28. cap 2. ait: Saliua poſt aurem digito relata, ſollicitudinem animi propitiat. Eodemq; lib. 28. cap. 4. inquit: Hominum in primis ieiunam ſaliuam, contra ſerpentes præſidio eſſe, docuimus. Sed & alios efficaces eius vſus recognoſcat vita. Deſpuimus comitiales morbos, hoc eſt contagia regerimus: ſimili modo, & faſcinationes repercutimus, dextræque clauditatis occurſum: Veniam quoque à Deis ſpei alicuius audacioris petimus, in ſinum ſpuendo etiam. Eadē ratione terna deſpuere deprecatione, in omni medicina mos eſt, atq; effectus adiuuare. Incipientes furunculos ter præſignare ieiuna ſaliua. Mirum dicemus, ſed experimento facilè, ſi quem pœniteat ictus, eminus, cominu ſue illati, & ſtatim expuat mediam in manum, qua percuſſit, leuatur illico percuſſus à pœna: hoc ſępe delumbata quadrupede approbatur, ſtatim à tali remedio correcto animalis ingreſsu. Quidam vero aggrauant ictus, ante conatum ſimili modo ſaliua in manu ingeſta. Credimus ergo lichenas lepraſque ieiunæ illitu aſſiduo arceri; item lippitudines matutina quotidie velut inunctione: carcinomata, malo terræ ſubacto, ceruicis dolorem, ſal ua ieiuni dextra manu ad dextrum poplitem relata, læua ad ſiniſtrum. Si quod animal aurem intrauerit, & inſpuatur, exire. Inter amu-

amuleta eſt, editæ quemque vrinæ expuere, ſimiliter in calceamentum dextri pedis, antequam induatur: item quum quis tranſeat locum, in quo aliquod periculum adierit. Marcion Smyrnæus, qui de ſimplicibus effectibus ſcripſit, rumpi ſcolopendras marinas ſputo tradit, item rubetas, aliaſque ranas. Ophilius: ſerpentes, ſi quis in hiatum earum expuat. Salpe torporem ſedari, quocumque membro inſtupente, ſi quis in ſinum expuat, aut ſi ſuperior palpebra ſaliua tangatur. Nos ſi hæc & illa credamus ritè fieri, extranei interuentu, aut ſi dormiens ſpectetur infans à nutrice terna adſpui, quamquam religione mutatur, & faſcinus, Imperatorum quoque non ſolum infantium cuſtos, qui Deus inter ſacra Romana à Veſtalibus colitur, & currus triumphantium ſub his pédens defendit medicus inuidiæ, iubetque eoſdem recipere.] Alia multa de ſaliua feruntur, & maximè, quod admixta puluere, itaut ex ambobus fieret lutum, adhiberetur in expiationibus. Et de huiuſmodi ſaliua, puluere deturpata, & ex qua, & puluere factum fuerat lutum, poeta nunc loquitur, vt eruditis placet.

*EXPIAT.* Expiare, & impiare contraria ſunt, hoc enim eſt piaculum, ſiue impietatem contrahere: illud vero ab ea mundare, & purum reddere. Sic Plautus Moſtell. Act. 2. ſc. 2.

*Metuo te, atque iſtos, expiare vt poſſies.*

Sic Cicero in Piſonem: *A me quidem etiam pœnas expetiſtis, quibus coniuratorum manes mortuorum expiaretis: omne odium in luſum nefarijs ſenſibus impiorum in me profudiſtis,*

*quorum ego furori niſi ceſſiſſem, in Catilinæ buſto vobis ducibus mactatus eſſem.* Et circa finem eiuſdem orationis ait: *Tua ſcelera Dij immortales in noſtros milites expiauerunt, qui quum vno genere morbi affligerentur, neque ſe recreare quiſquam poſſet, qui ſemel incidiſſet, dubitabat nemo quin violati hoſpites, Legati necati, pacati, atque ſocij nefario bello laceſſiti, fana vexata, hanc tantam efficerent vaſtitatem.* Et Liuius lib. 1. ab V.C. cap. 26. ait: *Non tulit populus, nec patris lachrymas, nec ipſius parem in omni periculo animum, abſoluerúntque admiratione magis virtutis, quam iure cauſæ. Itaque vt cædes manifeſta, aliquo ſaltem piaculo lueretur, imperatum patri, vt filium expiaret pecunia publica.* Itaque expiare eſt purum reddere, ſiue lotionibus, ſiue precibus, ſacrificijs, aut alia ratione. Et hoc modo nunc ſumitur.

*VRENTES oculos.* Elegantiſſima periphraſi ita nominauit faſcinatores. Eſt autem faſcinum obligamẽtum, ſiue ligatura, & incantatio magica, ad quam tam ad ligandum, quam ad ſoluendum, & expiãdum, vtebantur licijs triscoloribus. Vnde Virgilius Ecloga 8. verſu 73.

*Terna tibi hæc primum triplici diuerſa colore*
*Licia circumdo, terque hæc altaria circum*
*Effigiem duco: numero Deus impare gaudet,*
*Ducite ab vrbe domum, mea carmina, ducite Daphnim,*
*Necte tribus nodis ternos Amarylli colores,*
*Necte Amarylli modo, et, Veneris, dic, vincula necto.*

Exiſtimant aliqui dici à fando, quia multoties lingua, & ſermone faſcinabantur, hic Catullus carmine 7.

*Quæ*

*Quæ nec pernumerare curioſi*
*Poſſint, nec mala faſcinare lingua.*

Credebant enim faſcinari ſi nimis laudarentur, vnde Virgil. Eclog. 7. verſ. 27.

*Aut ſi vltra placitum laudauit, baccare frontē*
*Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.*

Ad quod faſcinū auerruncandum, vel baccare coronabantur, vel præfiſcini dicebant, nam quando quis laudabatur, ni præfiſcini adderetur, faſcinari credebatur; præfiſcini enim, vt factum ex pre, & faſcino, tantumdem valet, quantum, Abſque inuidia, ſeu, vt dici ſolet, Abſit verbo inuidia: nam faſcinum dictum putatur à Greco βάσκανον ideſt iraſcor, indignor, aut inuideo, mutato B in F, eſt enim βάσκάνω vnde βάσκανος quaſi φαέσι καίνω ideſt oculis, vel aſpectu neco, nam oculis faſcinandi vim ineſſe conſtat ex Virgil. Eclog. 3. verſu 103.

*Neſcio quis teneros oculis mihi faſcinat agnos.*

Et ex illo Plinij lib. 7. cap. 2. *In Africa familias quaſdam effaſcinantium, Iſigonus, & Nymphodorus tradunt, quarum laudatione intereant probata, areſcant arbores, emoriantur infantes. Eſſe eiuſdem generis in Triballis, & Illirijs adijcit Iſigonus, qui viſu quoque effaſcinent, interimantque, quos diutius intueantur, iratis præcipuè oculis: quod eorum malum facilius ſentire puberes. Notabilius eſſe, quod pupillas binas in oculis ſingulis habeant. Huius generis, & fœminas in Scythia, quæ vocantur Bithyę prodit Apollonides. Philarchus, & in Ponto Tibiorum genus, multoſque alios eiuſdem naturæ, quorum notas tradit in altero oculo geminam pupillam,*

*in altero equi effigiem: eoſdem præterea non poſſe mergi, ne veſte quidem grauatos. Haud diſſimile ijs genus Pharmacum in Æthyopia prodidit Damon, quorum ſudor tabem contactis corporibus afferat. Fœminas quidem omnes vbique viſu nocere, quæ duplices pupillas habeant, icero quoq; apud nos autor eſt; adeo naturæ, quum ferarum morem veſcendi humanis viſceribus in homine genuiſſet, gignere etiam in toto corpore, & in quorumdam oculis quoque venena placuit, ne quid vſquam mali eſſet, quod in homine non eſſet.* Sic autem faſcinati, plerumque non ſunt amplius mentis cōpotes, & ita in extremam maciem, etiam vſque ad interitum veniunt. Nam ex inuido quorumdam maleuolorum aſpectu, non minus, ac ex intuitu reguli, venenum emittitur, quo primum aer, deinde inquinatur corpus diutius ſpectatum, & noxam vſque ad tabē, & interitum contrahit, vt ex diutina menſtruatæ inſpectione, ſpeculum inquinatur. Ad hoc malum auerrucandum, amuleta quædam præparabant, & in primis res turpiculas, & ſigna ſatyrica, nempè virile membrum, quod appellabant faſcinum, quod id depelleret, aut impediret, idque deferebant nedum pueri, ſed etiam Imperatores triumphantes, quod innuit Plinius lib. 28. cap. 4. dicens: *Religione mutatur, & Faſcinus, Imperatorum quoque, non ſolum infantium cuſtos, qui Deus inter ſacra Romana à Veſtalibus colitur, & currus triumphantium ſub his pendens defendit medicus inuidiæ, iubetque eoſdem recipere.*

*INHIBERE.* Quid ſit inhibere docet Tullius ad Atticum lib. 13. epiſtola 25. his verbis: *In-*

*Inhibere illud tuũ, quod valde mihi arriſerat, vehemẽter diſplicet. Eſt enim verbũ totũ nauticum, quamquã id quidẽ ſciebã: ſed arbitrabar ſuſtineri remos, quum inhibere eſſent remiges iuſſi: id nõ eſſe eiuſmodi, didici heri, quum ad villam noſtram nauis appelleretur: non enim ſuſtinent, ſed alio modo remigãt, id ab* ἐποχῆς (retẽtione) *remotiſſimum eſt. Quare facies, ut ita ſit in libro, quemadmodum fuit. Dices idem Varroni, niſi fortè mutauit. Nec eſt melius quidquam, quam ut Lucullus, ſuſtineat currum, ut bonus ſæpe agitator, equoſque ſemperque Carneades* προβολὴν (protectionem) *pugilis, & retentionem aurigæ, ſimilem facit* ἐποχῇ (retentioni) *Inhibitio autem remigum motum habet, & vehementiorem quidem, remigationis nauem conuertẽtis ad puppim.* Et quod dicit; Facies, vt ita ſit in libro, notat Dionyſius Lambinus intelligi librum 1. de Oratore, vbi circa medium illius Cicero ſcripſerat: *Vt concitato nauigio, quum remiges ſuſtinuerunt, retinet tamen ipſa nauis motum, & curſum ſuum, intermiſſo impetu, & pulſu remorum: ſic in oratione perpetua, quum ſcripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua curſum, ſcriptorum ſimilitudine, & ui concitata.* Sed quum Attici monitu verbum *ſuſtinuerũt,* mutaſſet in *inhibuerunt,* nunc mandat, vt reſtituatur quemadmodum fuit, ſiquidem inhibere eſt nauigare oppoſito modo, nempe ad puppim non ad proram. Sumitur tamen nonnumqnam pro ceſſare, ita Virgil. 12. Æneid, verſu 639.

*Parcite iam Rutuli, & uos tela inhibete Latini,*

Immo vniuerſalius inhibere eſt prohibere, vel impedire, ne res cœpta vlterius progrediatur. Et hoc modo nunc ſumitur, nam vetula iſta erat perita, ſiue docta, & experta, inhibere, & impedire, nec faſcinum vltra progrederetur, immo ne apprehenderet ad inferendum illi malum. Idque præſtabat ſacrificando Deæ Cuninæ, vel appendendo puero amuleta, vel admouendo illius fronti, & labris ſaliuam, infami, ideſt medio digito.

*TVNC manibus quatit, & ſpem macram ſupplice voto, nunc Licini in campos, nunc Craſſi mittit in ædes. Hunc optent generum Rex, & Regina, puellæ hunc rapiant, quidquid calcauerit hic roſa fiat.* Vetula illa, quæ puerum è cunis acceptum ſaliua expiauerat, eumdem manibus quatiendo, ſeu hac, & illac motitando; preces pro illo fundit, & vota concipit, ei, à ſe putata bona, rogando: & ita ſpem macram mittit in campos Licini, vel in ædes Craſſi: Spem autem putant quidam poſitam per metonymiam adiuncti, pro puero, cui felicitas deſiderabatur, vt apud Virg. 1. Æneid. v. 559.

*Sin abſũpta ſalus, & te, pater optime Teucrũ*
*Pontus habet Lybiæ, nec ſpes iam reſtat Iuli.*

Et lib. 10. verſu 524.

*Per patrios manes, & ſpes ſurgentis Iuli.*

Sic etiam Seneca apud Tacitum Neronem alloquitur lib. 14. Annalium cap. 7. *Quartusdecimus annus eſt Cæſar, ex quo ſpei tuæ admotus*. Cuius denominationis ratio eſſe poteſt, quia nihil boni eſt in pueris, niſi ſpes, ex qua toti pendent: Dicitur autem ſpes macra, vel quia ſæpius inanis, puero defuncto in teneris

annis,

annis, aut non euadente tali, qualis ſperabatur: Vel iuxta Cornutum, macra, eſt dubia, ſiue modica, nihil enim tā incertū, quā expectatio, mille expoſita caſibus, de infante. Vel ſic dicta per ironiam à poeta, quaſi res deſideratæ paruæ eſſent, & facilè obuenturæ. Vel potius, vt mihi videtur, ſpes ponitur pro deſiderio rei ſperatæ, quod deſiderium piatrix iſta cognata, pro puero mittit in campos Licini, vel in ædes Craſſi, optando eas puero, vt ita is felix euaderet. Hoc autem deſiderium rectè ſpes macra denominatur, ſiquidem effectu caret, nempe conſecutione rei ſperatæ. Nec erat aliquod fundamentum, vt talia poſſent ſperari ventura. Spes namque tunc impinguari creditur, quum plures adſunt rationes oſtentantes rei ſperatæ proximam conſecutionem; quum vero eiuſdem futuritionis nullum, vel exiguum adeſt fundamentum, ſpes languet, ac macreſcit. Et ita, quum nullum nunc ſupponatur fundamentum, promittens puero illi poſſe obuenire, hæreditate, donatione, vel aliter, campos Licini, vel ædes Craſſi, merito ſpes iſta vetulæ, & cognatæ piatricis, macra eſt denominata.

*LICINI in campos.* Conſtituunt quidam hic eudiadion, ideſt diuiſionē vnius Licinij Craſſi, in duos, Licinium, & Craſſum: ſed reuera loquitur de duobus. Fuere autem duo Licinij, vnus qui potentiſſimus, Auguſti ex tonſore Libertus, ab eo Galliæ præpoſitus, ex ea Prouincia per fas, & nefas, ingentes ſibi comparauit diuitias, eiuſque ſumptuoſo opere, monumentum videbatur via Salaria, ſecundo

ab Vrbe lapide, cum hac inſcriptione:

*Marmoreo Licinius iacet tumulo: at Cato paruo,*
*Pompeius nullo: Credimus eſſe Deos?*

Et quamuis de hoc Licinio velit poetam loqui Io: Antonius Vallo, Cõmentarijs in hũc locũ, nihilominus, quum ſermo non habeatur de quibuſcumque diuitijs, ſed ſpecialiter de agrorum poſſeſſione, puto intelligendum de C. Licinio Stolone; de quo réfert Liuius lib. 7. cap. 2. eum conſulatum geſſiſſe cum C. Sulpicio Pœtico, & quum legem tuliſſet, ne quiſpiam plus agri poſſideret, quam iugera quingenta, à M. Popilio Lenate Cenſore, vt eiuſdem ſuæ legis præuaricator, damnatus, multã ſoluit ſeſtertium decem mille, quia, in legis fraudem, filium emancipauerat, vt non videretur agrum mille iugerum, ſolus poſſidere, ſed medietatem ipſe, aliam medietatem filius iam emancipatus poſſidere videretur. Verba Liuij ſunt lib. 7. cap. 16. *C. Licinius Stolo, à M. Popilio Lenate, ſua lege, decem millibus æris eſt damnatus, quod mille iugerum agri cum filio poſſideret, emancipandoque filium, fraudem legi feciſſet.* Huius ergo C. Licinij Stolonis, agrum agro copulantis, campos, ſuo optat alumno, piatrix hæc muliercula, maximam felicitatis partem ſitam exiſtimans in tali camporum poſseſſione.

*CRASSI mittit in ædes.* Craſſi multi fuere, indeque dubitant interpretes determinare, de quo hic locus ſit intelligendus. Inclinant plerique in Marcum Craſſum, qui quum eſſet Romanorum ditiſſimus, negauit poſſe quempiam diuitem dici, qui nequiret annuo exer-

citum

citum alere prouentu:nihilominus ob ingentem diuitiarum poſſeſſionem,diues audiebat. Et quum (non modico ſuo dolore,ob præteritę felicitatis recordationem)decoxiſſet,adhuc diues ſalutabatur. Hic geſto feliciter bello ſeruili aduerſus Spartacum, poſtquam diu, vna cum Cæſare, atque Pompeio, princeps Reipub. fuiſſet,ſiue gloriæ,ſiue, vt communis ferebat opinio, pecuniarum ductus cupiditate, bellum inauſpicatum aduerſus Parthos ſuſcipiens,ab his,non tam viribus,quam aſtu & inſidijs ſuperatus, captus, & interfectus fuit,itaut in demortui os, liquefactum infundentes aurum, acre illud replicarēt ſarcaſmū: *Aurum ſitiſti,aurum bibe.* Sed non puto locutū de hoc Craſſo, quum locus iſte non de quarūcumq;diuitiarum poſſeſſione, ſed de ædium tantum mentionem faciat. Potius ergo intelligit de L. Craſſo,eximio Oratore,quem in libris de Oratore Cicero inducit cum Antonio,& alijs diſputantem.Hic ſiquidem,Romæ magnificam habuit domum, cuius quum deſiderio teneretur Cn. Domitius,ſuus,in Cenſura, Collega, pro ea obtulit ſextertiorum millia mille. Qui etiam, Plutarcho teſte, diuitias aceruauit crebris domorum emptionibus, ac venditionibus. De hoc ergo intelligimus.

*HVNC optent generum Rex, & Regina.* Alterum, nempe tertium nutriculæ votum, his verbis exprimitur: Optat enim puero alumno, ſiue nepoti, tantum gratiæ,ſiue potentiæ, aut ſimilium dotium, vt Rex, atque Regina concorditer, illum exambiant ſibi generum

ſuæque filiæ maritum. Et hoc votum maximam continet imprudentiam; prouerbium enim eſt Si vis nubere, nube pari: iugum enim matrimonij, niſi à paribus bubus, ſiue equis, commodè geſtari nequit, ne ſi mulier ſit viro multo generoſior, quaſi ex equa & aſino, mulus naſcatur. Inde lege Decemuirali, ſeu duodecim Tabularum, cautum, ne Patribus cum plebeijs communia eſſent connubia: quam legem ſuſtulit Canuleius Tribunus plebis, cum Patrum indignatione.

*PVELLÆ hunc rapiant.* Quartum votum quo infanti tanta optatur formæ præſtantia, venuſtas, pulchritudo, & oris dignitas, vt huius merito inſanientes procaces puellæ, certatim illum ad ſe trahant, ſollicitentque ad concubitum, vt Salmace Hermaphroditum, & Echo Narciſſum. Rapere autem propriè importat cum furore, & feſtinatione violenter aliquid auferre. Et frequenter ſumitur pro eo, quod eſt per vim ſtuprum inferre. Sic Iuuen. ſat. 10. verſu 329.

*cui nubere Cęſaris vxor*
*Deſtinat; optimus, hic, & formoſiſſimus idem*
*Gentis Patriciæ, rapitur miſer, extinguendus*
*Meſſalinæ oculis.*

Sic apud Liuium loquitur Vibius Virius Cãpanus princeps defectionis à Romanis lib. 26. cap. 13. *Non videbo Appium Claudium, & Q. Fuluium, victoria inſolenti ſubnixos, neque vinctus per Vrbem Romam triumphi ſpectaculum trahar, vt deinde in carcere, aut ad palum deligatus, lacerato virgis tergo, ceruicem ſecuri Romanæ ſubyciam, nec dirui, incendique patriam*

vi-

*videbo, nec rapi ad ſtuprum matres Campanas, virgineſque, & ingenuos pueros.* Hic ergo ſignificatur certamen pellicatus, quo puellæ ambiunt huius pueri nuptias.

*QVIDQVID calcauerit hic roſa fiat.* Hoc eſt vltimum deſipientis aniculæ votum, quo, ſuo videri, alumno precatur plenam, numeriſque omnibus abſolutam felicitatem. Sic Claudianus in laudibus Serenæ Reginæ ait:

*Nec tua mortalis meruit cunabula nutrix.*
*Vbera prima dabāt gremijs redolentibus Horæ*
*Ternaque te nudis innectens Gratia membris*
*Adflauit, docuitq; loqui. Quocumq; per herbā*
*Reptares, fluxere roſæ, candentia naſci*
*Lilia, ſi placido ceſſiſſent lumina ſonno*
*Purpura fulgebat violæ ſactura cubile*
*Gramineum, vernanſque tori regalis imago.*

Eſt autem roſa flos Veneri ſacer, ob pulchritudinem, & odoris ſuauitatem: niſi mauis ideo hunc florem Veneri ſactum, quia venerea voluptas breui viget, & dum momento obſoleſcit, non relinquit, niſi pœnitentiæ, infirmitatis, & paupertatis, ac dedecoris ſpinas.

*AT ego nutrici non mando vota, negato Iuppiter hæc illi, quamuis te albata rogarit.* Aſſerit ſe nō dediſſe nutrici in mādatis, vt pro puero vota conciperet: quare Iouē precatur, ne anilia exaudiat vota, quāuis à ſacerdotibus oblata. Et hoc ideo, quia iuxta Platonis, & Stoicorum placitum, conuenientia concipere vota, nemo nouit niſi ſapiens, cuiuſmodi eſſe non poterat anus illa delira. In quo innuit, mulieres plerumque, quamuis benè affectas erga pueros, & alumnos, tamen neſcientes

vera bona à falſis ſecernere,mala illis pro bonis precari ſolitas,vt diuitias,agrorũ poſſeſſiones,præclaras nuptias, dignitatem, potentiã, & ſimilia, quæ poſſeſſoribus exitio ſæpe fuere. Vnde Senec.ep.32.ait:*Vis ſcire,quid ſit quod faciat homines auidos futuri? Nemo ſibi contigit. Optauerunt vtique tibi alia parentes tui: ſed ego tibi cõtra, omnium eorũ contemptum opto, quorũ illi copiam. Vota illorum multos compilant, vt te locupletent,quidquid ad te transferunt,alicui detrahendum eſt. Opto tibi tui facultatem, vt vagis cogitationibus agitata mens, tandem reſiſtat, & certa ſit,vt placeat ſibi,& intellectis veris bonis, quæ ſimul intellecta ſunt, poſſidentur, ætatis adiectione non egeat. Ille demum neceſſitates ſupergreſſus eſt, & exauctoratus, ac liber, qui uiuit vita peracta.* Et idem Seneca epiſt.60. *Queror, litigo, iraſcor. Etiam num optas, quod tibi optauit nutrix tua, aut pædagogus, aut mater? Nondum intelligis quantum mali optauerint? O quam inimica nobis ſunt vota noſtrorum! eo quidem inimicitiora, quo ceſſere felicius. Iam non admiror ſi omnia nos à prima pueritia mala ſequuntur, inter execrationes parentum creuimus.* Sic Horat.lib.1.epiſt.4.

*Quid voueat dulci nutricula maius alumno,*
*Quã ſapere,et fari ut poſſit,quæ ſentiat, vtque*
*Gratia,fama,ualetudo,contingat abunde,*
*Et mundus uictus,non deficiente crumena.*
*Inter ſpem,curamque timores inter,& iras*
*Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum.*

Sic etiam Iuuenalis ſatyra 10.verſu 346.

*Nil ergo optabunt homines? ſi conſiliũ uis*
*Permittes ipſis expendere Numinibus, quid*

*Conueniat nobis, rebuſq; ſit utile noſtris.*
*Nam pro iucundis, ap iſſima quæq; dabũt Dij.*
*Carior eſt illis homo, quam ſibi, Nos animorũ*
*Impulſu, & cæca magnaq. cupidine ducti*
*Coniugium petimus, partumq; uxoris, at illis*
*Notum qui pueri, qualiſq; futura ſit uxor.*
*Vt tamen & poſcas aliquid, noueaſq; ſacellis*
*Exta, & candiduli Diuina tomacula porci,*
*Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano,*
*Fortem poſce animũ, et mortis terrore carentẽ,*
*Qui ſpatium uitæ extremum, inter munera ponat*
*Naturæ, qui ferre queat quoſcumq; labores,*
*Neſciat iraſci, cupiat nihil, & potiores*
*Herculis ærumnas credat, ſæuoſq; labores,*
*Et Venere, & cænis, & plumis Sardanapali.*

Albata autem dicitur, albis & mundis induta veſtibus: ſacrificantes enim, & reliqui ad Deos adeuntes, albis veſtibus eſſe debebant, vnde Plautus Rudente Actu 1. ſcena 5.

*Vnde ire nos, cum uuida ueſte dicam.*
*Obſecro tam mæſtiter ueſtitas. P. Illico nos hic imus,*
*Haud longulè ex hoc loco, uerum longe hinc abeſt unde uectæ*
*Sumus. S. Nempe equo ligneo per uias cæruleas eſtis uectæ.*
*P. Admodum. S Ergo uos æquius erat candidatas uenire hoſtiataſque*
*Ad hoc fanũ ad iſthunc modũ non ueniri ſolet.*

Candor enim veſtium internum animi, & conſcientiæ indicat candorem, quem poſſidere debet, qui Deum cupit ſibi propitiare, non enim Deus dona, aut phaleratam recipit ora-

tionem, abſque morum ſanctitate. Inde Cicero lib.2. de legibus ait: *Caſtè iubet lex adire ad Deos, animo uidelicet, in quo ſunt omnia: nec tollit caſtimoniam corporis. Sed hic oportet intelligi, quum multum animus corpore præſtet, obſeruetur que ut caſta corpora adhibeantur, multo eſſe in animis, id ſeruandum magis.* Et à fortiori nõ ſufficit candor externarum veſtium corporis, abſque gratia, & virtutibus, quæ ſunt veſtes animæ.

## PARAPHRASIS TEXTVS PRIMI SATYRÆ SECVNDÆ.

MAcrine hunc diem natalis tui, quem celebras, ſignare debes albo, & præſtantiore lapillo, ſiquidem idem recurrens addit tuæ vitæ annos fluentes: ideoque nunc Genio meraciſſimum fundere debes vinum, in gratiarum actionem, quod non poſcas à Dijs iteratis precibus talia, quę non auderes ab eiſdem petere populo audiente. Verum magna Principum pars, Deos abditis votis, & deſiderijs non expreſſis orat: non enim omnibus datum eſt viuere cum innocentibus deſiderijs, vt poſſint è templis auferri preces ſilenter prolatæ. Quinimmo quilibet voce alta, clara, & intelligibili, vt etiam aduenæ poſſint audire, rogat ſibi bonam mentem, claram famam, & integram fidem: introrſum vero ſub lingua, & ſilenter, precatur, aut optat patrui mortem, quo eius diteſcat hæreditate. Vel vt, fortunante Hercule, dum agrum intendit nouare, theſaurum inueniat. Vel vt ſepulturæ

tradere poſſit pupillum ſibi proximum,in cuius hæreditatem ſuccedere debet,nam ille eſt morbis multis obnoxius, vt mors, quam vita ſit eidē optabilior. Vel vt ſua moriatur vxor, quo aliam ducendo,alia locupletetur dote, vt Nerius,qui tribus eſt auctus dotibus. Hæc autem, vt purè ſanctèque poſcant,horis matutinis bis,vel ter mergunt caput aquæ viuæ, corpuſque lauant, purgantque à noctu nis ſomniorum inquinamentis. Verum, ſubdit poeta, loquens vni ſic precantium, quæſo vt reſpondeas mihi,& facilè ſoluas quæſtionem, quam tibi proponam.Dic igitur,quam habeas de Ioue opinionem? eſtne is talis, vt debeat alicui præferri mortalium? Et ne hereas ad hanc indefinitam quæſtionem,credens fortaſſe mortalem aliquem eſſe Ioue præſtātiorem, rogo de homine inquinatiſſimo, nempe Staio, ſiue Staleno Oppianici, & Cluentij iudice: exiſtimas inquam Iouem eſſe hoc Staio meliorem, nempe iudicem potiorem aptioremq; ad vindicandos,eruendoſq; innocentes, & oppreſſos pupillos. Et quum conceſſeris Iouem eſſe Staio iuſtiorem, rogo, preces quas fundis Ioui, quibus conaris eum impellere ad tibi fauendum, mortem immittendo patruo, vel nepoti, ſiue vxori,quo eorum diteris hæreditatibus,funde Staio,videbiſq;hunc corruptiſſimum, & auarum iudicem, vota abhominari, & exclamando præ horrore, Iouem inuocare: num igitur ſeipſum non inclamabit Iuppiter talia audiens vota? An fortè credis Iouem illis non exaſperatum, tibi talia ignouiſſe, quod in te non animaduerterit, immo quum

to-

tonat, fulmine potius percuti montem, vel quercũ, aut templum ipſi Ioui ſacrum, quam tu vel domũ tuam. Vel quia iubente Ergenna Aruſpice Etruſco, ex inſpectione fibrarum, euis immolatæ, non per tota nemora ſacra, iaces mœſtum, & intractabile bidental, propterea Iuppiter tamquam ſtolidus, & mente captus, barbam tibi præbet depilandam. Quod ſi id non ſit, immo Dij, rerum humanarum prouidentiam habentes, ſapientes ſunt, & vigiles inſpectores omnium quæ fiunt, tu quo pretio Deorum aures emere potuiſti, vt tuas preces audire, & poſtulata concedere velint, num putas eos propitios reddidiſſe oblatione pulmonum, & lactum vnctorum, rerum ſcilicet viliſſimarum. Sed ecce alia vota inania, & ſtultitiæ plena, nam, luſtrali die, muliercula aliqua, vt auia, aut ſoror matris, recens natum puerum è cunis exceptum, luſtrat, vngendo illius frontem, ac labia ſaliua, accepta digito infami, ſeu medio, ad faſcinum auerrucandum. Et tunc demum manibus eum quatiendo, vota pro eo concipit, ſpem effectu carituram cum deſiderio mittens nunc in latiſsimos Licinij Stolonis campos, nunc in amplifsimas L. Craſsi domos, talia puero dono, vel hæreditate obuenire precando. Optat etiam eidem tum præclaras nuptias, vt Rex & Regina, ſiue Nobiles, & diuites eum exambiãt generum, & maritum filiæ ipſorum. Nec non vt tanta ſit illius formæ præſtantia, vt puellæ certatim illum rapiant, eiuſq; concubitu frui concupiſcant. Tandem anicula illa piatrix, vota concludit vaniſsima, puero exoptando numeris

meris omnibus abſolutam felicitatem, vt in roſã mutetur quidquid ille calcauerit. Explicatis autem huiuſmodi ſtultiſsimis votis, conceptis à neſciente falſa à veris, bona, vel mala diſcernere, ſubdit poeta: Verum ego non commiſi nutrici, aut alteri mulierculæ, vt pro me, vel puero meo vota conciperet, & multò minus, vt talia poſtularet: vnde quum mandatum exceſſerit, vt illegitima procuratrix, non debet obtinere petita. Tu ergo Iuppiter negato illi hæc omnia, etiam ſi alioquin cum ſollemnibus cæremonijs, vt ſacerdos albata, & hoſtiata ea poſtularet.

*Finis Commentarij Textus primi Satyræ ſecundæ.*

# TEXTVS SECVNDVS

## SATYRÆ SECVNDÆ.

*Poſcis opem neruis corpuſq; fidele ſenectæ*
*Eſto, age; ſed grandes patinæ, tucetaque craſſa*
*Annuere his ſuperos vetuere, Iouemque morantur.*
*Rem ſtruere exoptas cæſo boue, Mercuriumq;*
*Arceſſis fibra. Da fortunare Penates*
*Da pecus, & gregibus fœtũ. Quo peſſime pacto*
*Tot tibi, quum in flammas iunicum omenta liqueſcant?*
*Attamen hic extis, & opimo uincere farto*
*Intẽdit. Iam creſcit ager, iam creſcit ouile:*
*Iam dabitur, iam, iã, donec deſpectus, et expẽs*
*Nequicquam fundo ſuſpiret nummos in imo.*
*Si tibi crateras argenti, incuſaque pingui*
*Auro dona feram, ſudes, & pectore lęuo*
*Excutias guttas; lętari prætrepidum cor.*
*Hinc illud ſubit, auro ſacro, quod ouato*
*Perducis facies; nam fratres inter ahenos*
*Somnia pituita, qui purgatiſſima mittunt*
*Præcipui ſunto, ſitq; illis aurea barba.*
*Aurum uaſa Numæ, Saturniaq; impulit æra*
*Veſtaleſq; urnas, & Tuſcum fictile mutat.*
*O curuæ in terras animę, & cæleſtium inanes!*
*Quid iuuat hoc tẽplis noſtros immittere mores,*
*Et bona Dijs ex hac ſcelerata ducere pulpa?*

*Hęc*

*Hęc ſibi corrupto caſiam diſſoluit oliuo,*
*Hęc Calabrum coxit uitiato murice, uellus,*
*Hæc baccham cōchę raſiſſe, & ſtringere uenas*
*Feruentis maſſę, crudo de puluere iuſſit.*
*Peccat, & hęc peccat, uitio tamen utitur. At uos*
*Dicite Pontifices in ſacro, quid facit aurum?*
*Nēpe hoc, quod Veneri donatæ à uirgine pupę.*
*Quin damus id ſuperis, de magna, quod dare lance*
*Non poſſit magni Meſſalæ lippa propago*
*Compoſitum ius, faſq; animi, ſanctoſq; receſſus*
*Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto.*
*Hęc cedo, ut admoueam templis, & farre litabo.*

# COMMENTARIA IN TEXTVM SECVNDVM SATYRÆ SECVNDÆ.

P*OSCIS opem neruis, corpuſque fidele ſenectæ*. Enumeratis tam impijs, quam vanis votis, nunc ea exponere pergit, in quibus non quoad materiam, ſed quoad circumſtantias peccatur, quando moribus, & viuendi forma ſibi ſunt impedimento ne aſſequantur ea, quæ à Dijs flagitauerant: in quo Deos videntur irridere, ideo indigni, qui exaudiantur. Poſcere autem eſt rem debitam poſtulare, ſiue id, quod iure noſtrum eſt, vt non ſit mirum ſi imperioſè petamus: vnde illud reddi potius dicitur, quam donari: datur vero quid tam gratuito, quam ex iuſticia. Vnde Iuuen. ſat. 10. verſ. 188.

*Da ſpatium vitæ, multos da Iuppiter annos*
*Hoc recto vultu-ſolum hoc, & pallidus optas.*

Hinc Plautus Prologo Aululariæ.

*Ego eam hodie faciam, vt hic ſenex de proximo*
*Sibi vxorem poſcat.*

Et idem Captiuis Actu 4. ſcena 1.

*Sume, poſce, prome quid vis, te facio cellarium*

Et Curcul. Actu 3. ſcena 1.

*Habent hunc morem plerique argentarij,*

*Vt alij alium poſcant, reddant nemini,*
*Pugnis rem ſoluant, ſi quis poſcat durius.*
Et ita quia iſte videbatur Deos rogare rem honeſtam, eam, tamquam ex merito iuſtitiæ debitam, (multa ſiquidem pro ea obtulerat Dijs) poſcere dictus eſt.

*OPEM.* Opes in numero multitudinis, ſumuntur pro omni eo quo aliquid poſſumus, vt pro diuitijs, ſeruis, amicis, robore, & ſimilibus. Sic Virg. 1. Æneid. verſu 573.

*Seu vos Heſperiam magnam Saturniaq; arua,*
*Siue Erycis fines, regemq; optatis Aceſtem*
*Auxilio tutos dimittam, opibuſque iuuabo.*

Sic Horatius 2. ſermonum ſat. 2.

*puer hunc ego paruus Ofellum*
*Integris opibus noui, non lautius vſum,*
*Quam nunc acciſis.*

Et Ouid. lib. 4. Triſtium eleg. 4.

*Ergo vt iure damus pœnas, ſic abſuit omne*
*Peccato facinus, conſiliumque meo,*
*Idque Deus ſentit, pro quo nec lumen ademptum eſt,*
*Nec mihi detractas poſſidet alter opes.*

At vero in numero ſingulari Ops eſt eadem, ac Bona Dea, & Cybeles, & Berecynthia, & mater Deorum, nempe Cœli, ac Veſtæ filia, Saturni ſoror, ac cōiux, credita eadē, ac terra, & dicta Ops, vel quod apud antiquos, opes, pro diuitijs ponebantur, vt etiam nunc, inops, pauperem deſignat, & egenum: vel quod penes eoſdem antiquos, præcipuè diuitiæ in terræ prouentibus conſiſtebant, vt in agricultura, & re pecuniaria. Sed neutro ex his modis nunc ſumitur poſcere opem, ſed potius vt idem

idem ſit ops,ac robur,ſiue vigor,& ſanitas.Sic Virg.1. AEneid.verſu 601.

*O ſola infandos Troiæ miſerata labores,*
*Quę nos reliquias Danaum,terræq; mariſq;*
*Omnibus exhauſtos iam caſibus, omniū egenos*
*Vrbe,domo ſocias, grates perſoluere dignas*
*Non opis eſt noſtrę Dido.*

Sic etiam Saluſtius initio Catilinariæ: *Omnes homines, qui ſeſe ſtudent præſtare cęteris animantibus, ſumma ope niti decet, ne vitam ſilentio tranſigant, veluti pecora, quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit.*

*NERVI* ſunt in corpore animalis primæ ſenſuum, ac motuum inſtrumenta, qui ex cerebro orti,ac ſpinali medulla,membris omnibus mouendi,ſiue ſentiendi tribuunt facultatem: indeque,vt etiam hic,pro vigore, & poteſtate ponuntur, quod in eis reſideat, & ab eiſdem partibus alijs communicetur. In cuius rei ſignum, quod neruis caret, & enerue, ſiue eneruatum dicitur, ſenſu ac viribus deſtituitur, hinc Horat.2.ſerm. ſat 1.

*Sunt quibus in ſatyra nimis acer,& vltra*
*Legem tendere opus: ſine neruis altera, quidquid*
*Compoſui, pars eſſe putat,ſimileſq; meorum*
*Mille dies verſus deduci poſſe.*

Sic Ouid.12.Metamorph.

*Pendentemq; ferit, lateri qua iungitur ala,*
*Nec graue vulnus erat, ſed rupti vulnere nerui*
*Deficiunt,motumq; negant,vireſq;uolandi.*

Et Cicero lib.2. de Natura Deorum: *Dictum eſt de uniuerſo mundo, dictum etiam eſt de ſideribus,*

*ribus, ut iam propemodum appareat multitudo, nec ceßantium Deorum, nec ea, quæ agunt, molientium cum labore operoſo, ac moleſto. Non enim venis,& neruis,& oſſibus,continentur, nec eſcis, nec potionibus veſcuntur, vt aut nimis acres, aut nimis concretos humores colligant, nec his corporibus ſunt, vt aut caſus,aut ictus extimeſcant, aut morbos metuant ex defatigatione membrorum,quæ verens Epicurus, Monogramos Deos,& nihil agentes commentus eſt.* Mirabile autem illud refertur de C.Mario, eum tanta præditum fuiſſe manuum fortitudine, vt in digitis non venas,ſed neruos tantum habuiſſe videretur. Plinius etiam lib.7. cap. 20. ait: *Corpore veſco,ſed eximijs viribus Triſtanum in gladiatorio ludo Samnitium armatura celebrem, filiumque eius militem Magni Pompeij, & rectos,& tranſuerſim cancellatim toto corpore habuiſſe neruos, in brachijs etiam, manibuſque, autor eſt Varro in prodigioſa virium relatione, atque etiam hoſtem ab eo ex prouocatione dimicantem,inermi dextera,vno digito ſuperatum,& poſtremo correptum in caſtra translatum.*

*ET corpus fidele ſenectæ*,quaſi dictum fuiſſet Corpus cui vires integræ, abſque defectu, & infirmitate conſeruentur vſque ad ſenectutem, quam paſſim, quaſi agmine facto, circumſidet morborum omne genus,pituita,grauedo, renum dolor,neruorum reſolutio,ſpiritus,& vrinæ difficultas, inteſtinorum leuitas, & aliæ mille morborum ſpecies. In ea ætate hebeſcunt ſenſus, nam inceſſus,dentes, & alia comeſtionis inſtrumenta,viſus,& auditus,ſæpè præmoriuntur,vt merito iſte precetur corpus

pus fidele ſenectæ, ideſt quod integrum, cum ſuis facultatibus, perſeueret vſque ad ſenectutem: quando enim poteſt, abſque defectu ſua munia exercere, fidele dicitur: vt, ex oppoſito, quaſi fidem fallere, quando in ſuis operationibus deficit. Inde precando corpus fidele ſenectæ, rogat vt vſque ad eam ætatem, conſtet ei robur, & ſanitas.

*ESTO, age.* Voces ſunt applaudentis, congratulantis, concedentis, ſiue permittentis, vel etiam adhortantis, idem ſignificantes, ac ſi diceretur, Porro, perge vt cœperas. Sic Plaut. Aſin. Actu 2. ſcena 2.

*age, age, manſero*
*Tuo at bitratu, vel adeo vſq; dum peris.*

Et idem Mil. glor. Actu 2. ſcena 4.

*Age igitur nunc iam inſiſtite in dolos.*

Et idem eſt de, eſto, vnde Virg. 4. Æneid. v. 35.

*Eſto, ægram nulli quondam flexere mariti.*

Sic idem Virg. 7. AEneid. verſu 312.

*Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta mouebo*
*Non dabitur regnis eſto, prohibere Latinis,*
*Atque immota manet fatis Lauinia coniux:*
*At trahere, atq; moras tãtis licet addere rebus.*

*GRANDES patinæ.* Patina quamuis aliquando ſumatur pro ſeria, vel olla, vt apud Columellam lib. 12. cap. 43. *In dolium bene picatum, defruti amphoram conÿcito: deinde tranſuerſos fuſtes ſpiſſe arctato, ita ut defrutum non contingant: tum ſuperponito fictiles nouas patinas, & in his ſic vuam diſponito, vt altera alteram non contingat; tum opercula patinis imponito, & linito.* Et infra eodem capitulo ait: *Marcus Columella patruus meus, ex ea creta,*

*qua*

*qua fiunt amphoræ, lata vaſa ad modum patinarum fieri iubebat, eaque intrinſecus, & extrinſecus craſſe picari: quæ quum preparauerat, tum demum purpureas, & bumaſtros, et Numiſianas, & Duracinas vuas legi præcipiebat, pedıculoſq; earum ſine mora in feruentem picem demitti, & in prædictis patinis ſeparatim, ſui cuiuſque generis ita componi, ne quæ inter ſe contingerent.* Communiter tamen patinæ intelliguntur vaſa lata, quibus dapes elixæ. & iurulentæ menſis inferuntur. Sic Plautus initio Moſtellariæ.

*Exi è culina ſis foris maſtigia,*

*Qui mihi inter patinas exhibes argutias.*

Sic Terentius Eunucho Actu 4. ſcena 7.

*Iamdudum animus eſt in patinis.*

Et videntur hæc vaſa dicta patinæ, quia ob magnam latitudinem, & exiguam profunditatem, cibi ijs delati patere videantur: ijſdem etiam cibi coquebantur, & tunc operculum etiam habebant.

*TVCETAQVE craſſa.* Tucetum eſt genus farciminis, ex carnibus, ſiue bubulis, ſiue ſuillis minutim concıſis, quibus miſcentur etiam aromata, quod ſuum inteſtinis condi, & ſeruari moris eſt. Sic Cornutus hic ait; *Tuceta apud Gallos Ciſalpinos bubula dicitur, condimentis quibuſdam craſſis oblita, ac macerata, & ideo toto anno durant.* Solet etiam porcina, eodem modo condita ſeruari. Nihilominus, quia tuceta hic denominantur craſſa, & innuitur ea efficere ſanitati, puto intelligi de fartis ex carnibus ſuillis, nam ſues quadrupedibus omnibus, glire excepto, ſunt pinguiores, & eorum carnes ſanitati inimicæ.

Aliqui tuceta interpretantur ſapidi cibi genus, odore quidem ſuauiſſimum, ſed valetudini inimicum, cuiuſmodi meminit Apuleius lib. 2. ſuæ Metamorphoſeos narrans Fotidem à ſe offenſam domi, *quæ ſuis dominis parabat viſcum fartim circumciſum, & pulpam fruſtatim confectam: abacum paſcuè vinolentam. Et quidem naribus iam mihi ariolabar tucetum, per quam ſapidiſſimum*. Sic etiam Callimachus relatus tam à Philippo Beroaldo in hunc locum Apulei: quam à Io: Baptiſta Plautio hic, ait: *Ambroſio redolent tuceta ſapore*. Immodica ergo ingurgitatio ſignificata per grãdes patinas, & electio ciborũ noxiorum, denotata ſenecdochicè per tuceta craſſa, obſiſtunt votis, quibus ſanitatem tibi poſtulas à Dijs concedi.

*ANNVERE his ſuperos vetuere Iouẽq morantur.* Annuere eſt nutu, nẽpe ſigno capitis, aut oculorum, vel alterius partis corporis, aſſenſum ſignificare, & generalius ſumitur pro modo quocumque aſſentiri: quandoque etiam pro interrogare. Sic Tacitus l. 5. Annal. cap. 8. [Non omittebant Lucanus, & Senecio, & Quinctianus, paſſim conſcios edere, magis magiſque pauido Nerone, quamquam multiplicatis excubijs ſemet ſepsiſſet. Quin & Vrbem per manipulos occupatis mœnibus, inſeſſo etiam mari, & amne, velut in cuſtodiam dedit. Volitabantque per fora, per domos, rura quoque, & proxima municipiorum, pedites, equiteſque permixti Germanis, quibus fidebat princeps quaſi externis. Continua hinc, & iuncta agmina trahi, ac foribus hortorum

torum adiacere. Atque vbi dicendam ad cauſam introiſſent, lætatum erga coniuratos, ſi fortuitus ſermo, & ſubiti occurſus, ſi conuiuium, ſi ſpectaculum ſimul inijſſent, pro crimine accipi. Quum ſuper Neronis, ac Tigellini ſæuas percontationes, Fanius quoque Rufus violenter vrgeret, nondum ab indicibus nominatus, ſed quo fidem inſcitię pararet, atrox aduerſus ſocios. Idem Subrio Flauio aſſiſtenti, annuentique an inter ipſam cognitionem diſtringeret gladium, cædemque patraret, retinuit, infregitque impetum, iam manum ad capulum referentis.] Et Seneca de Tranquillitate animi cap. 14. ait: [Canius Iulus vir in primis magnus, cuius admirationi, ne hoc quidem obſtat, quod noſtro ſeculo natus eſt, cum Caio diu altercatus, poſtquam abeunti Phalaris ille dixit: Ne fortè inepta ſpe tibi blãdiaris, duci te iuſſi: Gratias, inquit ago optime princeps. Quid ſenſerit dubito, multa occurrunt mihi. Contumelioſus eſſe voluit, & oſtendere quanta crudelitas eſſet, in qua mors beneficium erat? An exprobrauit illi quotidianam dementiam? agebant enim gratias, & quorum liberi occiſi, & quorum bona ablata erant. An tamquam libertatem libenter accepit? Quidquid eſt, magno animo reſpõdit; Dicet aliquis: Potuit poſt hæc iubere illũ Caius viuere. Non timuit hoc Canius: nota erat Caij in talibus imperijs fides. Credisne illum decem medios, vſque ad ſupplicium, dies, ſine vlla ſollicitudine exegiſſe? veriſimile non eſt, quæ vir ille dixerit, quæ fecerit, quam in tranquillo fuerit. Ludebat

latrunculis, quum centurio agmen perituro-rum trahens, & illum quoque citari iubet. Vocatus numerauit calculos, & ſodali ſuo. Vide, inquit, ne poſt mortem meam mentiaris te viciſſe: Tum annuens centurioni. Teſtis, inquit eris, vno me antecedere.] Sed hic ſpecialiter, annuere eſt concedere, aut permittere rem, per concepta vota, petitam.

*MORANTVR*. Quid ſit morari, dictum eſt ad illa verba ſatyræ 1. verſu 111. *Nil moror*. Et hic in eadem ponitur ſignificatione, pro retardare, aut impedire, nimietas enim, & noxietas ciborum, impediunt ne Dij ſanitatem, pro qua eos precaris, tibi tribuāt, aut conſeruēt. Vt etiam Xenophon l. 1. Cyropędiæ dixit ex perſona Cyri ad Cambyſem: *Noui te dicere ſemper ſolitum, haud fas eſſe à Dijs petere, neque victoriam eos equeſtri pugna, qui equitare non didiciſſent, neque ſagittæ ignaros, ſuperare illos ſagittando, qui huiuſmodi peritiam callent: neque gubernandi imperitos, optare nauium ſalutem gubernando neque eos, qui frumētum non ſeuerint, ſibi precari triticum pulcherrimum naſci: neque ſalutem petere, qui ſibi in bello non cauerint: huiuſmodi enim omnia eſſe præter Diuina inſtituta. Sed qui optant ne faſta, dicebas, conſentaneum eſſe hoc æque à Dijs optata non conſequi, atque ab hominibus non adipiſci, quę illicita rogant.*

*REM ſtruere exoptas cæſo boue, Mercuriumq; arceſſis fibra: Da fortunare pęnates, da pecus, & gregibus fœtum.* Struere eſt componere, ordinare, congerere, combinare, ædificare, aut aceruare, & ita hic eleganter eſt dictum,

ſtrue-

ſtruere rem, pro aceruare, & congregare diuitias. Sic Cæſar, vel potius Hirtius lib. 8. de bello Gallico: *Hoc fonte prohiberi poſſe oppidanos, quum optarent reliqui, Cæſar vnus videret, non ſine magno periculo, è regione eius, vineas agere aduerſus montem, et aggeres ſtruere cæpit, magno cum labore, & continua dimicatione.* Sic Ouid. 1. Metamorph.

*Neue foret terris ſecurior arduus æther*
*Affectaſſe ferunt regnum Cœleſte Gigantes,*
*Altaq; congeſtos ſtruxiſſe ad ſidera montes.*

Et idem Ouidius eodem lib. 1. Metamorph.

*An ſatis ò ſuperi, tutos fore creditis illos,*
*Quũ mihi, qui fulmen, qui vos habeoq; regoq;*
*Struxerit inſidias, notus feritate Lycaon.*

Et Tibullus lib. 4. panegyrico ad Meſſalam.

*Iuppiter ipſe leui vectus per inania curru*
*Adfuit, & Cœlo vicinum liquit Olympum,*
*Intentaque tuis precibus ſe præbuit aurẽ,*
*Cunctaque veraci capite annuit, additus aris*
*Lætior eluxit, ſtructos ſuper ignis acernos.*

Et inf. *Quin etiã ſtructis exurgũt oppida muris.* Itaque ſtruere eſt aceruare, aut congregare; Nam quum apud Metaphyſicos: Res ſit vnum ex tranſcendentibus, vt Ens, verum, bonum, vnum, & aliquid, generalem habet ſignificationem, importatque tam corporalia, quam ſpiritualia, ſubſtantias, & accidentia. At hic ſumitur ſpecialiter, pro cenſu, atque diuitijs. Sic Terentius Eunucho Actu 1. ſcena 2.

*Eius frater aliquantùm ad rem eſt auidior.*

Ex quo Rem augere, dicimus, pro locupletari, vt loquitur Cicero pro Rabirio dicens, *Rem, bonis, & honeſtis rationibus auxit.* Et eo-

dem modo nunc dictum eſt, Rem ſtruere, nempe aggregare.

*CÆSO boue*, ideſt interfecto, & immolato boue in ſacrificium. Vbi interuenit Senecdoche, ſiue enallage numeri, nam ſingularis poſitus eſt pro plurali. Vt autem diximus in Inſtitutionibus Oratorijs lib. 3. Tract. 2. cap. 3. frequenter accidit, vt plus ſignificare videamur vtendo numero ſingulari, quam multitudinis. Et ita quum poeta hic intendat dicere, hunc auidum, & ſuperſtitioſum precatorem, velle à Dijs impetrare diuitiarum augumentum, innumerabiles offerendò hoſtias, maiores, & minores, vnius meminit bouis, & fibræ.

*MERCVRII* plures fuere, quorum meminit etiam Cicero lib. 3. de Natura Deorum, vnus Valentis, & Pheronidis filius, qui ſub terris habetur. Alius Trophonius Ioue tertio, & Maia natus, ex quo & Penelope, dicunt Pana ortum. Tertius Cœlo, ſiue die, ex eadem Maia natus, cuius obſcœnius excitata natura, quod aſpectu Proſerpinæ fuerit commotus Quartus genitus patre Nilo, quem AEgyptij nominare nefas habent Quintus, qui argentum inueniſſe, & Argum dicunt occidiſſe, & propterea profugiſſe in AEgyptum, præfuiſſeque AEgyptijs, & illis leges tradidiſſe, qui ab eiſdem dicitur Theut, vt primus eorumdẽ menſis. Sed omnium opera tribuuntur nato ex Ioue tertio, & Maia vna ex Pleiadibus, filia Atlantis, & Nimphæ Pleiones, compreſſa in monte Arcadiæ Cylleno. Indeque hic Mercurius dictus eſt Cyllenius à loco natiuitatis, & Atlantides, quia nepos Atlantis. Et quia cre-

credebatur præeſſe eloquentiæ, adhæſit ei nomen Logij, & Hermetis, & habitus Iouis, & Deorum internuncius, nam ſermone, (qui eſt λόγος, vnde Logius,) conceptus mentis ſignificantur. Et quia Iouis, & Deorum nuncius, alas habere dicebatur tam in pedibus, quam in capite, nam verba per aera velociter, & irreuocabiliter feruntur. Inter ipſius opera fertur in primis, quod lyram inuenerit, eaque Apollinem donauerit: Secundo, quod Iouis iuſſu, Promethea ad Caucaſi rupem religauerit. Tertio quod eiuſdem Iouis mandato, Argum centoculum necauerit, ob quod delictum ex Argo profugus, in Ægyptum exulauerit, litteraſque illius regionis homines docuerit; & propterea ſępe ab Homero, hymno in Mercurium, Argiphontes nominatur. Quarto quod Martē ē diro carcere liberauerit. Quinto quod ex Venere Hermaphroditum genuerit, quod prolis etiam nomen deſignat, Hermes enim eſt Mercurius, Aphroditis vero eſt Venus. Sed nedum eloquentiæ, verum credebatur etiam Deus paleſtræ, furum, lucri, & mercaturæ, vnde ſibi nomen Mercurij, quaſi cui ſit mercium cura. Merito ergo precator iſte Mercurio ſacrificat, eumque rogat, vt eius patrocinio diuitias poſſit aceruare: quomodo ſuperius dixit verſ. 11. dextro Hercule, nam vt vult Cornutus hic, Hercules pręſidet lucro abſcondito, Mercurius vero euidenti, quale eſt in agricultura, & mercimonio.

*ARCESSIS*, & accerſis eiuſdem originis, & ſignificationis à pleriſque iudicantur, licet à cordatis longè diuerſa importare credantur.

Putant enim accerſire eſſe à verbo arceo, & eſſe idem ac accuſare, nam per accuſatioûem arcentur, id ſt prohibentur homines à maleficijs. Hinc Cicero lib. 2. Officiorum vltra medium ait: *Hoc preceptum officij diligenter tenendum eſt, ne quem vnquam innocentem iudicio capitis arceſſa, id enim ſine ſcelere fieri nullo pacto poteſt.* Sed nedum accuſo, verum etiam aduoco importantur per arceſſo. Hinc Plaut. Amphitr. Act. 1. ſcena 1.

*Illic homo à me ſibi malam rem arceſſit iumento ſuo.*

Et Claudianus initio lib. 3. de Raptu Proſerp.

*Iuppiter interea cinctam Thaumãtida nimbis*
*Ire iubet, totoq; Deos arceſſere mundo.*

Sic Cæſar lib. 3. de Bello Gallico: *Labienum legatum in Treuiros, qui proxime Rheno flumini ſunt, cum equitatu mittit. Huic mandat Rhemos, reliquoſque Belgas adeat, atq; in officio contineat: Germanoſque, qui auxilio Belgis arceſſiri dicebantur, ſi per vim nauibus flumen tranſire conentur, prohibeat.* Sic etiam Cicero pro Roſcio Amerino: *Ne tu Eruci accuſator eſſes ridiculus, ſi illis temporibus natus eſſes, quum ab aratro arceſſebantur, qui Conſules fierent.* Sed quia in hac eadem ſignificatione legimus etiã accerſo, vt apud Plautum Menechmis Actu 5. ſcena 2.

*Mihi certius facit, quid ſit, quod me accerſit.*

Et in fine eiuſdem ſcenæ.

*Ibo atque accerſam, adducamq; medicum iam quantum poteſt.*

Sic Cæſar lib. 2. de Bello Gallico: *Cæſari omnia vno tempore erant agenda, vexillum proponen-*

*nendum, quod erat inſigne, quum ad arma concurri oporteret: ſignum tuba dandum: ab opere reuocandi milites, qui paulo longius, aggeris petendi cauſa, proceſſerant, accerſendi, acies inſtruenda, milites cohortandi, ſignum dandum.*
Sic Terent. Andriæ Actu 1. ſcena 5.
*Obſtetricem accerſo.*
Et ſic etiam alij nonnulli: vt è contra arceſſo dixere Plautus Amphitruone Actu 4. ſc. 1.
*hunc me arceſſitum mittis,*
*Vt tecum prandeat.*
Et Liuius lib. 3. cap. 45. *Placere patrem arceſſiri, interea iuris ſui iacturam aſſertorem non facere, quin ducat puellam, ſiſtendamque in aduentum eius, qui pater dicatur, promittat.* Dubium facit in hac re, quia arceſſo vt factum ex arceo, non aduocare, ſed ablongare ſignificat. Et accerſo, ſi eſt à verbo accio, vt volunt, non erit accerſo, ſed acceſſo, expuncto R. Dicendum tamen, eſſe à verbo accio, vel potius arcio, vt antiqui dicebant. Vnde Velius Lõgus in ſua Orthograp. ait: [In eo, quod eſt arceſſo, accerſo putauerunt quãdam differentiam eſſe, vt accerſo ſit voco, trãctũ ab acciendo, arceſſo, ſubmoueo ab arcẽdo tractum. Sed errauerunt. Arceſſo enim, pro eo, quod eſt arceo, nuſquam poſitũ eſt. Verum, quod putant R litterã obſtare ſignificationi, errant: D enim non minus in R litteram tranſit, quam in C, quum dico, & accedo, & accomodo: quam apud antiquos in aruorſo, in aruorſario. Vnde pro audiculis ab audiendo, auriculas dicimus, & meridiem pro medio die loquimur. Id ergo nihil intereſt vtrum arceſſo, an accerſo dicant, eadem

ſignificatione manente.] Sic etiam Priſcianus lib. 1. cap. de litterarum numero, & permutatione ait: [Antiquiſſimi pro Ad, frequentiſſimè Ar ponebant, Aruenas, aruentores, aruocatos, arfines, aruolare, arfari dicentes, pro Aduenas, aduentores, aduocatos, adfines, aduolare, adfari, vnde oſtenditur rectè arceſſo dici ab arcio verbo, quod nunc accio dicimus, quod eſt ex Ad, & Cio compoſitum.] Sic ergo nunc Mercurius dicitur arceſſitus, ideſt vocatus, vt ſit preſens ſacrificijs, & immolanti propitietur, concedendo illi poſtulata.

*FIBRA.* Quid ſint fibræ, dictum eſt ad illa verba ſatyræ 1. verſu 47.

*Nec enim mihi cornea fibra eſt.*

Hic addimus ex Seruio in illud Georg. verſu 120. *amaris intyba fibris*, hæc verba: *Fibris abuſiuè ait, quod radices intyborum hac, atque illac decurrant, vt fibræ per iecur, ideſt venæ quædam, ac nerui. Alij fibras propriè dicunt rei cuiuſq: extremitates; ſicut Cicero in Gabinium.* Fibræ cincinnorum madentes: *Et in Tuſculanis.* Non ſolum ramos amputare miſeriarum, ſed omnes radicum fibras euellere. *Vnde & iocinoris extremæ partes fibrę à nonnullis appellantur. Benè ergo Virgilius intyborum, vel radicum, vel foliorum extremitates fibras dixit. Alij herbas aſſerunt, vt Nigidius Commentario grammaticali, φερβῶ, ſed ante fibra dicta eſt, vt nunc etiam ruſtici dicunt. Poteſt ergo hic fibris pro herbis accipi, quando ipſa intybus herbæ ſpecies eſt.* Hinc iuxta Seruium fibræ propriè, vel ſunt iecoris extremitates, & inde transferũtur ad alia; Vel propriè eſt herba, nã φέρβω gene-

generatim iumentorum pabulum eſt, vnde terra appellata πολύφορβος, quia herbas ſuppeditat in pabulum animātibus. Vel propriè fibræ ſunt cuiuſque rei extremitates, et per ſenecdochē diuidūtur in iecore, herbis, & alijs nam veteres fiber fibra fibrum dixere pro extremo, indeque fiber animal Ponticum, ſic dictum, quod in extremitatibus habitet lacum, aut fluuiorum: & fimbriæ extremitates ſunt veſtium, ab eadem vocis origine, addito M. Sic Varro lib. 4. Linguæ Latinæ. *Fiber ab extrema ora fluminis dextra, & ſiniſtra, maximè quod ſolet videri, & antiqui, fibri dicebant extremum, vnde in ſagis, extrema, fimbriæ, & iecore, extremum fibra.* Et videtur factum nomen ex verbo finio, eadem analogia, vt à cerno, cribrum, à facio faber, à tumeo tuber, ſic à finio fiber. Sunt ergo fibræ cuiuſque rei extremitates, ſed ſenecdochicè transfertur ad alia, vt ad plantas apud Plinium lib. 17. cap. 10. *Seminarij curam ante conuenit dici, quam tranſeatur ad alia genera. Namque ad id præcipuum eligi ſolum refert, quoniam nutricem indulgentiorem eſſe, quam matrem ſæpe conuenit. Sit ergo ſiccum, ſuccoſumque bipalio ſubactum, aduenis hoſpitale, & quam ſimillimum terræ, in quam transferendum ſit. Ante omnia elapidatum, munitumque ad incurſum etiam gallinacei generis: quam minime rimoſum, ne penetrans ſol exurat fibras.* Sic Columella lib. 11. cap. 3. *Vlpicum, quod quidam allium punicum vocant, Græci autem ἀφροσκόροδον appellant, longè maioris eſt incrementi, quam allium: idque circa Kal. Octobris, antequā deponatur, ex vno capita in plura di-*

*diuidetur: habet enim, velut allium plures cohærentes ſpicas, eæque quum ſint diuiſæ, liratim ſeri debent, vt in puluinis poſitæ, minus infeſtentur hyemis aquis. Eſt autem lyra ſimilis ei porcæ, quam in ſationibus campeſtribus ruſtici faciunt, vt vliginem vitent. Sed hęc in hortis minor eſt facienda, & per ſummam partem eius, ideſt in dorſo, inter palmaria ſpacia, ſpicæ vlpici, vel allij (nam id quoque ſimiliter conſeritur) diſponendæ ſunt. Sulci lyrarum inter ſe diſtent ſemipedali ſpatio: deinde, quum ternas fibras emiſerint ſpicę, ſarriantur.* Et idem Columella lib. 12. cap 54. ait: *Raporum, quam rotundiſſima ſumito, eaque ſi ſint lutoſa, detergito, & ſummam cutem nouacula decerpito: deinde (ſicut conſueuerunt Salmagarij) decuſſatim ferramento lunato incidito: ſed caueto, ne uſque ad imum præcidas rapum. Tum ſalem inter inciſuras raporum, non nimium minutum, aſpergito, & rapa in alueo, aut ſeria componito, & ſale pluſculo aſperſa, triduo ſinito dum exſudent: poſt tertiam diem, mediam fibram rapi guſtato, ſi receperit ſalem.* Et ad iecoris extremitates apud eumdem Plinium lib. 11. cap. 37. dicentem: *Diuo Auguſto Spoleti ſacrificanti; primo poteſtatis ſuæ die, ſex uictimarum iocinora replicata intrinſecus ab ima fibra reperta ſunt: reſponſumque duplicaturum intra annum imperium.* Et ibidem, paulò inferius, habet idem Plinius: *Murium iecuſculis fibræ ad numerum lunæ in menſe concrescere dicuntur, totidemque inueniri, quotum lumen eius ſit.* Et tamen hic per ſenecdochen partis pro toto, fibrarum nomine intelliguntur tota interiora, vt cor, hepar, pulmo, & alia

*alia* quæ Dijs offerebantur, & ab aruſpice rimabantur.

*FORTVNARE* eſt agere, vt res, ſiue negotia proſperum, ac deſideratum ſortiantur effectum: & ille, ſiue Deus, ſiue alius cui curæ eſt, vt res noſtræ feliciter eueniant, nos fortunare dicitur, ſeruare, & augere. Sic Cicero Curioni, ad familiares lib. 2. epiſtola 2. *Tibi patrimonium Dij fortunent: me certo habebis, cui carus æque ſis, & periucundus, ac patri fuiſti.* Et Horat. lib. 1. epiſt. 11.

*Tu quamcumq; Deus tibi fortunauerit horam,*
*Grata ſume manu, nec dulcia differ in annũ.*

*PENATES* dicebantur Dij domeſtici, qui priuatis in domibus colebantur, de quorum appellatione, ſic Cicero lib. 2 de Natura Deorum: *Dij penates, ſiue à penu ducto nomine, eſt enim omne, quo ueſcuntur homines penus, ſiue ab eo, quod penitus inſideat, ex quo etiam penetrales à poetis uocantur* Et Macrobius lib. Saturn. 3. c. 4. ait: *Nigidius de Dijs lib. 19. requirit, num Dij penates ſint Troianorum Apollo, & Neptunus, qui muros eis feciſſe dicuntur, et num eos in Italiam Æneas aduexerit, Cornelius quoq; Labeo libro de Dijs penatibus eadem exiſtimat. Hanc opinionem ſequitur Maro, quum dicit:*

Sic fatus meritos aris mactabat honores
Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

*Varro Rerum humanarum 2. Dardanum refert Deos penates ex Samothrace in Phrygiam, & AEneam ex Phrygia in Italiam detuliſſe. Qui ſint autem Dii penates, in libro quidem memorato Varro non exprimit, ſed qui diligenti-*

eniquis

*eruunt ueritatem, penates eſſe dixerunt, per quos penitus ſpiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi poſſidemus. Eſſe autem medium æthera Iouem: Iunonem uero imum aera cum terra, & Mineruam ſummum ætheris cacumen, eo argumento utuntur, quod Tarquinius Demarathi Corinthii filius, Samothraciis religionibus myſticè imbutus, uno templo, ac ſub eodem tecto numina memorata coniunxit.* Credebant autem Pallada, Iouem, & Iunonem, nempe ſummum æthera, medium, & imum aera, eſſe penates totius humani generis, & inſuper vnamquamque ciuitatem, immo & quamcumque domũ, ſuos habere proprios penates, qui ſic dicerentur quaſi, qui penes nos eſſent nati, Aurelius quoq; Prudens lib. 1. aduerſus Symmachum, dicere videtur, penates Romanorum eſſe Caſtorem, & Pollucem ſic enim ait.

*Gemini quoque fratres*
*Corrupta de matre nothi, Ledeia proles,*
*Nocturnique equites, celſæ duo numina Romæ*
*Impendent, retinente ſolo, magniq; triumphi*
*Nuntia, ſuffuſo figunt ueſtigia plumbo.*

Sed iſti ſi fuerunt penates Romanorum, nequiuerunt eſſe, quos Dardanus in Samothracia ſacrauit, & qui inde, vel è Troia, in Latium ab AEnea aducti fuerunt, quum Dardanus ante eorum ortum floruerit, & ipſi tempore belli Troiani obierint, vnde Helena eorum ſoror, ignara mortis ipſorum de muris Troianis ſpectans requirebat eos inter phalangas Græcorum. Sed quicumque forent, penates Romanorum, vel cuique domui dabantur certè ſpeciales. Hinc Ouid. 4. Triſt. eleg. 8.

Et

*Et paruam celebrare domũ, veteresq; penates.*
Terentius etiam Phormione Actu 1. ſc.5.

*at ego*
*Deos penates hinc ſalutatum, domum*
*Diuortor, inde ibo ad forum.*

Hinc etiam ipſa domus, per metonymiam præſidis pro ſubiecto, dicebatur penates. Quod igitur hic Mercurium rogat, quatenus fortunet penates, ſenſus eſt, vel quod tribuat abundantiam rerum comeſtibilium, quibus penora impleantur Vel ut tribuat tot, & tantas diuitias, vt inde tota efflorefcat domus.

*DA pecus.* Pecus cum genitiuo pecoris, ſignificat quodcumque animal, viuens ex terræ pabulo, ſub hominis poteſtate, vt ſunt oues, boues, equi, & ſimilia. At cum genitiuo pecudis, importat animal quodcumque, excepto homine. Sic pro ouibus dixit Lucretius lib.2. verſu 315.

*Nam ſæpe in colle tondentes pabula læta*
*Lanigeræ reptant pecudes.*

Pro apibus Virgilius lib.4.Georg.verſ.167.

*Ignauum fucos pecus à præſepibus arcent.*

Et eodem lib.4.verſu 326.

*En etiam hunc ipſum vitæ mortalis honorem,*
*Quem mihi vix frugum, & pecudum cuſtodia ſollers*
*Omnia tentanti extuderat, te matre relinquo.*

Et pro piſcibus Horatius lib.1 carm.ode 2.

*Terruit gentes, graue ne rediret*
*Seculum Pyrrhæ, noua monſtra queſtæ*
*Omne quum Proteus pecus egit, altos*
*Viſere montes.*

Et pro auibus Columella lib.8. cap. 4. *Quæcumq;*

*eumque dabitur eſca per cohortem uagantibus, die incipiente & iam in ueſperum declinante, bis diuidenda eſt, ut & mane non protinus à cubili latius euagentur, & ante crepuſculum, propter cibi ſpem temporius ad officinam redeant, poſſitq; numerus capitum ſæpius recognoſci: nam uolatile pecus facilè custodiam paſtoris decipit.*

Pro piſcibus etiam Lucretius lib.2.verſ.342.

*Squamigeręque pecudes.*

Et pro omni animante ab homine Lucret.lib.1. verſu 113.

*Ignoratur enim, quę ſit natura animai*
*Nata ſit, an contra, naſcentibus inſinuetur,*
*Et ſimul intereat nobiſcum morte dirempta,*
*An tenebras Orci uiſat, uaſtaſq; lacunas,*
*An pecudes alias diuinitus inſinuet ſe.*

Et idem eodem lib.1. verſu 162.

*E mare primum homines è terra poßet oriri*
*Squammigerum genus, & uolucres, erumpere Cælo*
*Armenta, atq; alię pecudes, genus omne ferarũ*
*Incerto partu culta, ac deſerta tenere.*

Hic tamen pecora potius, quam pecudes puto intelligenda, quia quamuis columbæ, gallinæ, apes, & alia in pecudibus intellecta, aliquem fructum dominis adferant, non tamen adeo copioſum, vt cupidus iſte ſacrificans à Mercurio precatur.

*ET gregibus fœtum.* Grex eſt congregatio animalium minorum, vt ſuum, ouium, caprarum, ſub hominis imperio degentium, vel operantium. *Armentum* vero eſt congregatio maiorum animalium, vt boum, equorum, camelorum, etiam ſub hominis poteſtate. Quod ſi

ſi quando grex dicatur de maioribus, exigit vel adiectiuum, vel patrium determinans, & detorquens eius ſignificationem. Sic Virgil. Ecloga 6. verſu 54.

*Ilic ſub nigro pallentes ruminat herbas,*
*Aut aliquam in magno ſequitur grege.*

Vbi adiectiuum magnum, transfert gregem in boum armentum. Ex quo colligimus gregis, quam armenti generaliorem eſſe appellationem, nam armentum tantum mitiora bruta: grex vero ſi vox ſola ponatur, minora, ſi vero cum adiuncto, quadrupedia tam maiora, quam minora, & etiam aues, & homines importat. Vnde Hor. lib. 1. epiſt. 3.

*Ne ſi fortè ſuas repetitum ueneri: olim*
*Grex auium plumas, moueat cornicula riſum*
*Furtiuis nudata coloribus.*

Et Terent. Eunucho Actu 5 ſcena 9.

*Vnum etiam hoc uos oro, ut me in ueſtrũ gregẽ*
*Recipiatis.*

*FOETVS* à fouendo dicitur: quodcumque enim naſcitur, & dum eſt in vtero, & poſtquã inde eſt eductum, à matre fouetur, ſeu calefit. Et eſt nomen generale, extendẽs ſe ad omnia, quæ naſcuntur: ſunt enim fœtus nedum hominum, ſed etiam quadrupedum, reptantium, ſerpentium, volatilium, & piſcium, immo, & plantarum, atque agrorum. Vnde Virgil. 1. Georg. verſu 54.

*Hic ſegetes, illic ueniunt felicius uuæ*
*Arborei fœtus alibi, atq; iniuſſa uireſcunt*
*Gramina.*

Et quum dixiſſet idem Virg. 2. Georg. v. 429.

*Nec minus interea fœtu nemus omne graueſcit*

San-

*Sanguineiſque inculta rubent auiaria baccis.*

Seruius exponit: *Fœtu, ideſt vtilitate, omnis enim vtilitas fœtus eſt.* De quo Nyſſenus homilia 4. in Eccleſiaſtem ait: [ Quid refert an clanculum perfoſſis muris, prædonis more aliena habeas, & prætereuntis cæde te, eorum quæ habeat dominum conſtituas, an fœnoris neceſſitate acquiras, & quæ ad te non pertinent? O inhumanum vocabulum, fœnus ſit nomen latrocinij. O acerbas nuptias! O improbam coniunctionem, quam natura quidem non cognouit, auarorum autẽ morbus inter inanima innouauit! O graues, & moleſtos conceptus, ex quibus eiuſmodi fœtus, nempe fœnus enaſcitur ſolummodo in rebus, quæ ſunt diſcernitur animatum, per diſcrimen ſexus maſculini, & fœminini. Eis dixit Deus Creator; Creſcite, & multiplicamini, vt per mutuam ex ſe inter ſe generationem augerentur, & multiplicarentur, quæ gignuntur animantia. Auri autem fœtus, nempe fœnus, ex quo nam conſiſtit matrimonio, ex quanam perficitur conceptione? Cæterum ex propheta didici, quæ ſit huius fœtus conceptio. Ecce parturit iniuſtitiam, concepit laborem, & peperit iniquitatem. Hic eſt ille partus, quam parturijt quidem auaritia, parit tamen iniquitas, & obſtetricatur inhumanitas. Qui enim ſemper celat opes, & iuratus affirmat ſe non habere, quum viderit preſſum neceſſitate, tunc eius crumena pregnans cernitur, tunc lucri deſiderio ſceleratum parturit fœtum, & ſpem fœnoris miſero oſtendit, quæ

quæ infortunio ingerit materiam, quomodo is qui oleo extinguit flammam. Non enim calamitati fœnore adfert remedium, ſed eam magis auget. Et quomodo in locis aridis, & incultis, terra ſua ſpontè producit ſpinas, ita etiam in calamitatibus eorum, qui premuntur anguſtijs auarorum fœnora luxuriant. Deinde manum porrigit cum pecunia, ſicut arundo hamum eſca tectum; hians autem iſte miſellus ad præſentem copiam, etiam ſi quid occultum habebat repoſitum, cum attracto hamo ſimul euomit. Fœnoris eiuſmodi ſunt beneficia.] Ex quo factum fœnoris nomen, non enim fœnus eſt aliud, quā fœtus, ſeu partus pecuniæ. Sumitur etiam fœtus nonnumquam pro actu concipiendi, vel pariendi, & ita quædam dicuntur ſuper fœtare, ideſt ſecundo concipere, quum geſtarent. Sic Plaut. Amphitr. Actu 1. ſc. 2.

*Sed Alcumenæ huius honoris gratia*
*Pater curauit, vno vt fœtu fieret*
*Vno & labore exſolueret ærumnas duas.*

Et ibidem Actu 3. ſcena 1.

*Atq; Alcumenę in tempore auxilium feram,*
*Faciamq; ut uno fœtu, & quod grauida'ſt uiro*
*Et me, quod grauida'ſt pariat ſine doloribus.*

Nonnumquam fœtus nomine intelligitur res concepta, vel in lucem edita, immo etiam puerpera, ſeu mater, quæ enixa eſt. Sic Plinius lib. 8. cap. 18. *Tigrin Hircani, & Indi ferunt, animal uelocitatis tremendæ, & maximè cognitę dum capitur. Totus enim fœtus, qui ſemper numeroſus eſt, ab inſidiante rapitur, equoquam maximè pernici, atque in recentem ſubin*

de

*de transfertur. At ubi uacuum cubile reperit ſœta (maribus enim cura non eſt ſobolis) fertur præceps odore ueſtigans. Raptor, appropinquante fremitu, abiicit unum ex catulis: tollit illa morſu, & pondere etiam ocyor acta, remeat, iterumq; conſequitur, & ſubinde, donec in nauem egreſſo, irrita feritas ſæuit in littore.* Hic ergo fœtus ſumitur pro re, quam animalia ſunt enixa.

*QVO peſsime pacto, tot tibi, quum in flammas iunicum omenta liqueſcant.* Putat Cornutus verba eſſe Mercurij, reſpondentis ſtultis petitionibus ſacrificantis: quaſi diceret: Qui poſſem tuas augere diuitias, quum eas, quas poſſides, continuis imminuas muneribus, ac ſacrificijs? Sed cæteri paſſim iudicant verba eſſe Perſij, indignantis hominis impudentiam, qui quotidianis immolationibus, gregem, & armenta conſumens, eorumdem multiplicationem à Dijs roget. Verum quidquid ſit de falſa idolorum religione, & ſacrificijs, quæ dæmonibus offerebantur, certè illi, qui amore veri, & vnius, triniqne Dei, templis ſiue materialibus, ſiue animatis, nempe pauperibus, religioſis, & ſacerdotibus, munera de ſuis facultatibus offerunt, præter culparum remiſſionem, earumdē ſæpe diuitiarū habēt multiplicationem, non enim mentitur is, qui dicit Matth. 19 *Centuplum accipiet, & uitā æternam poſſidebit*; cuius experimentum capere voluit Ioannes nuncupatus Eleemoſynarius, vt narrat Leontius Neapoleos Epiſcopus in eius vita cap. 7. dicens; *Sæpe dabam confratri aliquid, & dicebam, Videbo ſi mittat Deus mihi, ut dixit,*

*xit, centupla: & quum tentaſſem Dominum maleſaciens, & ſatisfactus eſſem diuerſis modis per eas res, dixi: Ceſſa miſera anima tentando intentabilem.* Sic Saluianus ſub nomine Timothæi lib: 1. ad Eccleſiã Catholicam dicẽs: [Apoſtolus diuitias ignem nominat, nos facere ex diuitijs aquas cupimus, ignem extinguentes, ſecundum illud (Eccl. 3.) ſicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum. Apoſtolus in diuitijs malè conſeruatis, damnationem eſſe teſtatur, ego ex his, quæ dicit ille, mortem æternam omnibus facere, vitam opto perpetuam comparare. Non quidem, quod vlli vitijs carnalibus implicato, ſufficere ad vitam æternam putem, ſi, quum vſque ad mortem in flagitijs conſenuerit, in obitu cuncta benè diſpenſet, niſi antea, & peccatis renunciauerit, & ſordidam illam criminum tunicam lutulentamque proiecerit, & nouam conuerſionis, ac ſanctimoniæ veſtem de manu Apoſtoli prædicantis acceperit, alioqui peccare non deſinit, quem in extremis ſitum, recedere à criminibus ſola tantum facit impoſſibilitas, non voluntas. Qui enim à malis actibus tantum morte diſcedit, non relinquit ſcelera, ſed relinquitur à ſceleribus: ac per hoc neceſſitate excluſus à vitijs, & tunc puto peccat, quando ceſſauerit, quia quantum ad animum nec dum deſijt, qui adhuc velit peccare ſi poſſit. Non bonis itaque ſpebus innititur, qui ad hoc tantum peccat in vita, vt peccatorum molem redimat in morte, & ideo ſe euaſurum putat, non quia bonus, ſed quia diues ſit, quaſi vero Deus non vitam quærat ho-

hominum, ſed pecuniam, atque à cunctis malorum redimendorum ſpe malè agentibus accipere ſolos pro criminibus nummos velit, & corruptorum iudicum more, argẽtum exigat, vt peccata vendat. Non ita eſt, prodeſſe enim largitionem plurimum certum eſt, ſed non illis, qui vltima futuræ largitionis ſpe, malè viuunt, qui fiducia redimendæ immunitatis ſcelera committunt: ſed illis, qui decepti, aut lubrico ætatis, aut nubilo erroris, aut vitio ignorantiæ, aut poſtremo lapſu fragilitatis humanæ, reſipiſcere tandem, quaſi poſt morbum grauiſſimæ infirmitatis, aut quaſi poſt luctum turbatæ mentis incipiunt.] Et idem Saluianus eiuſdem operis ad Eccleſiam Catholicam lib. 2. inquit: [Quid ſi vidua ſit diues, & viduitatem tamen in magna opum copia non relinquens? quid ſi virgo integritatem profeſſa, & impolluti corporis ſanctitate deuota? quid ſi coniugium ſine opere coniugali, negans ſeipſum ſibi, & habens ſe quaſi nõ habens? quid ſi monachus ab incunabulis Deo militãs? quid ſi clericus ſacri miniſterij ſeruitutẽ fideli ſeruitute cõſũmans? nũquid ij æternæ ſalutis fructu periclitantur ſi, aut viuentes opes integras habeant, aut moriẽtes indigẽtibus non relinquãt?] Et infra eod. lib. 2. [Intelligant omnes religioſi, non ſatis ſe Deo reddere, etiam ſi vniuerſas dederint facultates: quia licet ſua cuncta diſpenſent ipſos ſe tamen debent, & ideo ſicut ſupra dicere cœperamus, ſi vidua eſt quæpiam, nequaquam ſibi ſufficere ad æternam ſalutem nomen viduitatis putet, ſed videat qualem eſſe in Apoſtolo vi-

viduam Deus iubeat dicens: *Quæ uerè vidua eſt, & deſolata, ſperet in Domino, inſtet orationibus nocte, ac die: nam quæ in deliciis eſt, viuens mortua eſt*; Vno eodemque præcepto duas Apoſtolus formas viduitatis expreſſit, vnam vitæ, alteram mortis, quum in delicijs mortem poſuit: ergo abſque dubio diuitem eſſe non vult, quam delicioſam eſſe non patitur, quia omnis fructus diuitiarum, in vſu eſt poſitus deliciarum: alioqui remoto vſu deliciarum, cauſę opum non relinquuntur. Quum itaque Apoſtolus in delicijs viduæ mortem eſſe memorauerit, promptum eſt, quod ad vitæ æternæ fructum, vult vniuerſa diſtribui, cui non vult ad mortis vſum aliqua reſeruari. Et ideo dicit: *Quæ uerè vidua eſt, & deſolata, ſperet in Domino*; docens ſcilicet parum eſſe ſi non ſit vidua delicioſa, niſi orationi dedita, niſi à cunctis mundi illecebris deſolata, & per hæc omnia verè vidua. Quod ſi ita eſt, quæcumque ſe vitæ cupit eſſe, non mortis, nequaquam ſufficere ſibi ęſtimet, ſi delicias ſibi ob Deum, & diuitias abnegarit, niſi & oratione, & labore id promeruit, vt verè vidua Dei eſſe videatur. Quia non eſt dubium, quod quēadmodū quis in hoc ſeculo Chriſto adhæſerit, ita in Chriſti corpore permanebit, &c. Apuleius quoque lib. 6. aſini aurei ait: [Charon protinus expetens portorium, ſic ad ripā vlteriorem ſutili cymba deducit commeantes. Ergo & inter mortuos auaritia viuit, nec Charon ille ditis, & pater tantus Deus, quicquā gratuito facit, & pauper moriens, viaticū debet quærere, & ęs ſi fortè præ manu non

fuerit, nemo eum expirare patietur.] Itaq; fideles elemoſynas erogando, multoties temporalium etiam diuitiarum multiplicationem conſequuntur.

*IVNICES* ſunt boues fœminæ, quæ licet vitulę eſſe deſierint, non tamen ad iuſtam bouis ætatem,& magnitudinem peruenerunt,in cuiuſmodi ætate conſtituti boues mares, dicuntur iuuenci, vt iunices dicantur quaſi iuuencæ.Sed quum moris foret Dijs tauros potius, & iuuencos, quam boues fœminas (reſeruandas multiplicationi ſpeciei) immolare,quod hic omentorum iunicum dixit,& non iuuencorum, factum videtur ad excitandam inuidiam, oriendem ex occiſione earum, quæ parere poſſent,& gregem,ſiue armenta multiplicare. Vel per ſenecdochen vnius pro alio ſexu eiuſdem ſpeciei, iunices poſitæ ſunt pro iuuencis.

*OMENTVM* eſt membrana tenuis, & pinguis,formata ad inſtar retis,qua, partes inferiores ventris integuntur: conſtat autem ex duabus tunicis, ortis à peritonæo, denſis, & ſubtilibus,ſibiipſis incumbentibus, necnon quamplurimis venis,arterijs, atque non pauca pinguedine, vt fouere poſſit ventriculum, cuius fundo inſidet, qui ei veluti ſupernatat, & innatum calorem per inediam tuetur. Protenditur autem ad omnia inteſtina,vt adiuuet eorum concoctiones, nam hæ ex ſe ſunt imbecilles: & in homine maximè pertingit, vſq; ad os pubis. Sic Celſus lib.4.cap.1.poſtquam dixit de renibus,vētriculo,& inteſtino,ſubdit: *Contegit vero vniuerſa hęc omentū, ex inferiore parte*

*parte læue, & ſtrictum, ex ſuperiore mollius, cui adeps quoque innaſcitur, quæ ſenſu, ſicut cerebrum quoque, & medulla, caret.* Sacrificantes autem, partes hoſtiæ, quas incēdere volebant, omento, pingui videlicet hac integebāt membrana, vt merito pinguedinis illius, ignem facilius concipere poſſent. Et hic obſerua, vanos illos ſacrificātes, multas quidem, etiam maiores victimas, in Deorum cultum immolare conſueuiſſe, earumdem tamen hoſtiarum, partes tantum viliſſimas, vt exta, ſanguinem, & ſimiles, illis adolere, reliquas vero vel ipſi abſumebant immolantes, aut alijs donabantur, vel in macellis venire curabant.

*LIQVESCERE* eſt molleſcere, immo etiam reſolui: reſolui autem eſt fieri fluuidum, molleſcentia vero habent partes adhuc cohęrentes. Sic Virg Ecloga 8. verſu 80.

*Limus, vt hic dureſcit, et hæc vt cęra liqueſcit*
*Vno eodemque igni, ſic noſtro Daphnis amore.*

Et idem 8. Æneid. verſu 445.

*Fluit æs riuis, aurique metallum,*
*Vulnificuſq; calybs, vaſta fornace liqueſcit.*

Nunc vero omenta, aliaque immolata, dicta liqueſcere, quia pinguia, ignis actione, etiam dum aduri videntur, liqueſcunt, & fluunt: quę autem in aris adurebantur, quum forent intecta pingui omenti membrana, ad primum ignis ſenſum reſoluebantur, & liqueſcebant, & hoc eſt, quod nunc dicere intendit.

*ATTAMEN hic extis, & opimo vincere ferto intendit, iam creſcit ager, iam creſcit ouile, iam dabitur, iam iam, donec deceptus, & exſpes nequicquam fundo ſuſpiret nummus in imo.* In

pleriſque codicibus legimus fartum, quam lectionem mendoſam puto, nam fartum idem eſt, ac ex multis compoſitum. Sic Plautus Milite glorioſo Actu 1. ſcena 1.

*Quæ miſera geſtis fartum facere ex hoſtibus:*
Et propriè eſt cibi genus, à farciendo dictum, quia ex multis, diuerſiſque ſpeciebus componeretur. At Cato de R.R. cap. 134. *Priuſquã meſſem facias, porcam præcidaneam hoc modo fieri oportet. Cereri porca præcidanea: porcam fœminam, priuſquam haſce fruges condant, far triticum, ordeum, fabam, ſemen rapicium, thure, vino, Iano, Ioui, Iunoni præfato. Priuſquam porcam fœminam immolabis, Iano ſtruem commoueto ſic: Iane pater te hac ſtrue commouenda bonas preces te precor, vti ſies propitius mihi, liberiſque meis, domo, familiæque meæ mactus hoc ferto. Fertum Ioui moueto, & mactato ſic. Iuppiter te hoc ferto obmouendo bonas preces, vti ſies volens propitius mihi, liberiſque meis, domo, familiæque meæ, mactus hoc ferto. Poſtea Iano vinum dato ſic. Iane pater, vti te ſtrue commouenda bonas preces benè precatus ſum, eiuſdem rei ergo macte vino inferiori eſto. Poſtea Ioui ſic. Iuppiter macte ferto eſto, macte vino inferiori eſto. Poſtea porcam præcidaneam immolato. Vbi exta proiecta erunt, ita Iano ſtruem commoueto, mactatoque item vti prius commoueras. Ioui item fertum obmoueto, mactatoque vti prius feceras. Item Iano vinum dato, & Ioui vinum dato, ita vti prius datum ſuit ob ſtruem obmouendam, et fertum libandum: poſtea Cereri exta, & vinum dato.* Sic ergo fertum eſt libi genus, ſic dictum, quod ſæpius ad ſacra ferretur, nec

ſine ſtrue, altero genere libi, quæ qui adferebant, ſtruſertarij appellabantur. Et quum nunc ſic ſermo de ſacrificio, fertum potius dicendum, quam fartum.

*IAM creſcit ager.* Verba poſſunt commodè interpretari, vt ironicè dicta à poeta, ſacrificantis irridente ſtultitiam, nam petens gregis, & armenti multiplicationem, hæc quotidianis conſumebat immolationibus. Quod certè rectè dictum eſt à poeta, illos colente Deos, qui, quum non eſſent niſi lapides, ligna, aut metalla, bona, ſibi ſeruientibus, tribuere non valebant. Nec dęmones, quorum illa erant ſimulacra, talia præſtare ob imbelliam poterāt, nec ob malignitatem volebant, ſiquidem pſalmo 23. *Domini eſt terra, & plenitudo eius.* Cęterum non ſic apud Chriſtianos, bona ſua, ex charitate, templis, vel pauperibus largientes, ſeque ipſos, ſuoſque hæredes, Diuinæ prouidentiæ, neſcienti fallere, committentes. Hæc enim liberalitas, ex firma fide nata, non ſine ingenti fœnore, ſæpè eſt ab eis in praxim reducta: non quidem ea mente, quaſi vellent nundinationem cum Deo exercere (ſciūt enim ſeſe illi debere, nedum omne, quod poſſident, ſed etiam totum quod ſunt) ſed quatenus illi rem gratam exhibeant. Ille vero in nullo virtutum opere, & maximè in munificentia, & liberalitate, vinci neſcius, quiue miſericordiam exercentibus, centuplum promiſit etiam in hoc ſeculo, ſibi credentes ſic munerare ſolet, animumque alijs adijcere ad ſimilia exercenda, vnde pſalmo 36. dicitur: *Iunior fui, etenim ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen*

*eius quærens panem, tota die miſeretur, & commodat, & ſemen illius in benedictione erit.* Poſſunt etiã accipi, vt dicta ab ipſo ſacrificante, cui vana, ſed firma ſpes, videri faciebat armẽtorũ, & gregum multiplicationem, quaſi iam factam, vel de proximo futuram, ideoq; quaſi dicebat; Ecce dederunt mihi Dij petitionem meam, quam rogaui eos, nam iam creſcit ager, & ouile. Et ſubdit poeta, ſtultum iſtum precatorem, tamdiu in ſuo propoſito perſeuerare, quoadvſq; conſumptis iam facultatibus omnibus, ac à concepta deiectus ſpe, vel ipſe ſuſpiret, quod nec vnum nummum reliquum habeat (in quo erit metonymia rei poſſeſſæ pro poſſidente) vel nummus relictus ſolus in arcæ fundo, fruſtratus ſpe habendi ſocios, ingemiſcat, & ſuſpiret, vel timore ſolitudinis, vel ne ei eadem eueniat ſors, quæ conſocijs, circa diſtractionem. In quo dum nummus inducitur ſuſpirare, quod eſt proprium animãtis, eſt metaphora, & proſopopoija.

*EXPES* ille dicitur, qui à concepta ſpe decidit: ex, enim non minus, quam, à, vim habet priuatiuam: vnde dicimus exanimare, pro priuare anima: exlex, qui viuit ſine lege. Sic ergo etiam exſpes, dictus, à ſpe deiectus, vt iſte ſacrificans, qui quum ſperaſſet armentorum impetrare multiplicationem, à tali ſpe ceciderat, nam illis conſumptis, ipſe ad pauperiem & mendicitatem venerat. Spes enim non innixa ſoli & vero Deo, multos decepit: vt enim nullus ſperauit in eum, & confuſus eſt, iuxta illud Eccleſiaſtici 2. *Reſpicite filij nationes hominum, & ſcitote quoniam nullus ſperauit in*

*Domino, & confuſus eſt*, ita maledictioni eſt obnoxius, quicumque in alium ſperauit, nam vt dicitur Hieremiæ 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius: erit enim quaſi myricæ in deſerto, & non uidebit quum ueneris bonum, ſed habitabit in ſiccitate in deſerto, in terra ſalſuginis, & inhabitabili. Benedictus uir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia eius: & erit quaſi lignum, quod transplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas, & non timebit quum uenerit æſtus. Et erit folium eius uiride, & in tempore ſiccitatis non erit ſollicitum, nec aliquando definet facere fructum.* Frequenter ſiquidem accidunt, quæ minimè ſperaueras, vnde Plautus Rudente Actu 2. ſcena 2.

*Nam multa præter ſpem ſcio multis bona eueniſſe.*
*At ego etiam, qui ſperauerint, ſpem decepiſſe* (*multos.*

Et Moſtellaria Actu 1. ſcena 3.

*inſperata accidũt magis ſæpe, quã quę ſperes.*

*NEQVICQVAM* contrarias habet ſignificationes: aliquando enim idem eſt, ac non; vt apud Virg. 1. Georg. verſu 191.

*At ſi luxuria foliorum exuberat vmbra,*
*Nequicquam pingues paleæ teret area culmos.*

Aliquando vero eſt fruſtra. Sic Virgil. 2. Æneid. verſu 510.

*Circũdat nequicquã humeris, & inutile ferrũ*
*Cingitur.*

Sic Plautus Moſtellaria Actu 1. ſcena 3.

*Pulchra mulier, nuda erit quam purpurata, pulchrior;*

*Poſtea nequicquam exornata eſt bene, ſi morata eſt malè.*

Et eadem ſcena Moſtellariȩ.

*Ob iſthoc uerbum, ne nequicquam tam lepide dixeris,*

*Dabo aliquid hodie.*

Sic etiam Cicero pro Quintio: *Dic inquam diem. Pudet dicere. Intelligo. Verum, & nequicquam pudet.* Videtur autem poetam conſulto vſum amphibolia, nam accipiendo nequicquã pro fruſtra, ſenſus erit idem, qui prouerbij: *In fundo ſera eſt parſimonia*, iam enim conſumptis armentis, & reliquis facultatibus, fruſtra plorabis, & pœnitebis. Accipiendo vero pro, non, ſignificabitur, nummum ipſum relictum ſolum in area vacua, non ingemiſcere, aut ſuſpirare, non enim grauatur alijs ſuperimpoſitis. Vterque ſenſus eſt ad rem.

*SVSPIRET*, ideſt trahet ſpiritum ex imo pectore, quod eſt doloris, aut angoris, & ſollicitudinis argumentum. Vnde Cicero ad Atticum lib. 1. epiſt. 15. *Ita ſum deſtitutus, vt tantum requietis habeam, quantum cum uxore, & filiola, & mellito Cicerone conſumitur. Nam illæ ambitioſæ noſtrȩ, fucoſæque amicitiæ, ſunt in quodam ſplendore forenſi, fructum domeſticum non habent. Itaque quum bene completa eſt domus tempore matutino, quum ad forum ſtipati gregibus amicorum deſcendimus, reperire ex magna turba neminem poſſumus, quicum aut iocari liberè, aut ſuſpirare familiariter poſſimus.* Et infra eadem epiſtola. *Conſul eſt impoſitus is nobis, quem nemo, præter nos philoſophos, adſpicere ſine ſuſpirio poſſet.* Sumitur etiam pro deſide-

ſiderare Ouid. 1. Triſt. eleg. 1.

*Inuenies aliqem, qui me ſuſpiret ademptum.*
Et ita per proſopopoijam accipitur hic, vbi nummus inducitur ſuſpirans, ſiue metu ſolitudinis, ſiue deſiderio ſociorum. Et hoc ſi nequicquam ſonet fruſtra: nam ſi valeat, non, nummus ſolus non ſuſpirat, quia non grauatur aliorum aceruo, & congerie. Fontius interpretatur metonymicè, de vanitate ſacrificantis, nam ait: Suſpiret, ad gemitum, & dolorem donantis retulit, quum ſe omnia conſūpſiſſe cerneret, & ſpe fruſtratus ſuſpiraret.

*SI tibi crateras argenti, incuſaque pingui auro dona feram, ſudes & pectore læuo, excutias guttas, lætari prętrepidum cor.* Irridet nunc inanem illorum ſuperſtitionem, qui quidquid boni, ſiue ex propoſito, ſiue fortuito acceperint, vndecumque illud venerit, totum Dijs referunt acceptum, quibus religiosè, eo nomine gratias agere feſtinant. Reprehenſio tamen iſta, vt debita in cultores plurium, & falſorum Deorum, ita non extendenda in adoratores Triuni ſūmi, & veri Dei. Certo namq; certius nedum ex fide, ſed ex demonſtratione, naturali lumine habita, nihil à quoquā fieri poſſe, abſq; Dei vigilantiſſima cura, & coefficientia, vt ipſemet Saluator docet, dicens Ioannis 15. *Sine me nihil poteſtis facere*. Vnde quod quiſpiam in negotijs Vrbicis, Caſtrenſibus, aut agreſtibus, proſperetur, quod à Principibus diligatur, exaltetur, & dona ferat, quod theſauros inueniat inſperatos, cauſis quidem ſecundis, huiuſmodi, contingentia, & caſualia erunt: at cauſæ primæ, & vniuerſaliſſimæ, nempe Di-

uinæ prouidentiæ, & voluntati, omnino neceſſaria: & hæc cauſas ſecundas ſibi miniſtrã-tes mouet, iuxta quod ipſa ab æternitate ordinauit: quod docuit Proclus in lib. de cauſis, & Boetius in 5. de Conſol. philoſophiæ oſtendit, & ex Ethnicis probat Paulus illis verbis Actuum Apoſtolorum 17. *Quum ipſe det omnibus uitam, & inſpirationem, & omnia.* Eadem apud eoſdem Ethnicos fuit Socratis ſententia, vt refert Xenophon lib. 1. de factis, & dictis Socratis, dicens: [ Scias ò Socrates, inquit, quod ſi arbitrarer Deos hominum habere curam, non negligerem eos. Et, quur ait, non opinaris eos de nobis curare, quum videas eos, primum quidem ſolum hominem animalium rectum creaſſe, quod multa prouidere poſſe facit, magiſque reſpicere quæ ſupra ſe ſunt, ac minus laborare, viſumque & aures, ac os dediſſe. Deinde alijs quidem ſerpentibus, pedes ſolum præſtaſſe, qui ad ambulandum conferunt, ſolum, homini vero manus quoque addidiſſe, quibus plura operatur, propter quæ feliciores cæteris animalibus ſumus? At linguam quum omnia animalia habeant, ſolam humanam talem feciſſe, vt modo hanc, modo illam partem oris tangat, ac vocem articulet, alterque alteri, quæcumq; velit ſignificet? Voluptates quoque venereas, quum cæteris animalibus determinaſſet in aliqua parte anni, nobis continuæ ad ſenectutem vſque, præſtitiſſe? Non vero ſatis habuerunt de corpore noſtro curaſſe, ſed, quod maius eſt, animum quoque, quam optimum homini immiſerunt: Cuius namque alterius animalis

ani-

animus, primum quidem cognouerat maximarum optimarumque rerum Creatores Deos eſſe. Quod vero aliud genus præter homines, Deos colit? aut quæ anima accomodatior humana eſt, vel ad famem præcauendam, vel ſitim, vel frigua, vel æſtus, aut morbis obuiandum, aut robur exercitatione conſequendum, aut ad doctrinam percipiendam, laborandum, aut quæcumque audiuerit, vel viderit, perdoctuſque fuerit, memoria retinendum? An non tibi perſpicuum eſt, quaſi Deos inter cætera animalia homines viuere, ipſa natura omnibus alijs, corporeque, animaque præſtantes? Nec enim ſi bouis corpus haberet, mentem autem hominis, quæcumq; voluiſſet, agere potuiſſet. Nec illa, quæ quum manus habeant, amentia ſint, aliquid plus habent. Tu vero, quum vtrumque optimum à Dijs habeas, non arbitraris eos tui curam habere? Quando ergo, aut quum quid faciant, putabis eos pro te curare? an quum conſiliarios tibi mittunt, quemadmodum tu dicis eos mittere debere, ac inſtruant quid agendum, quidue non agendum ſit? Quum vero, ait, Athenienſibus per diuinationem interrogantibus quidpiam reſpondeant, aut cæteris Græcis, aut omnibus hominibus, aliqua quibuſdam prodigijs futura ſignificent, nonne tibi quoque putas eos reſpondere? Sed te ſolũ paruifacere atque contemnere arbitraris? An tu putas opinionem hominibus à Dijs innatam fuiſſe, ſufficientes eos ad bene, vel male agendum eſſe, ſi non eſſent ſufficientes? ac arbitraris homines perpetuo deceptos, numquam ſenſiſſe?

Nonne conſideras,quod illæ Ciuitates,ac gẽtes maximè Deos colunt,quæque vetuſtiſſimę ſapientiſſimæque ſunt ? Aetatum quoque illa pijſſima, quæ prudentiſſima etiam eſt ? Diſce, ò optime,ait,quod tua etiam tibi inſita mens, quemadmodum velit,tuum corpus gubernat. Itaque opinandum eſt illam etiam, quæ totum continet,ſapientiam, quemadmodum ſibi placitum eſt,ſic omnia gubernare. Num putas , tuum quidem oculum poſſe ad multa vſque paſſuum millia peruenire, diuinum autem oculum impoſſibile eſſe ſimul totum conſpicere? Aut tuam quidem animam de his, quæ apud diuerſas regiones geruntur, aut Athenis, aut in Sicilia, ſiue apud Ægyptios poſſe cogitare,prudentiam vero Diuinam omnia ſimul non poſſe curare.] Et apud eumdem Xenophontem lib.4. de factis , & dictis Socratis dicitur: [ Dic mihi,ò Euthydeme, inquit , veniat ne tibi vnquam in mentem , quomodo diligenter Dij immortales omnia, quibus indigeant homines, crearunt? Ac ille, Non ædepol ait. Non ſcis inquit,quod quum luce egeamus : hanc Dij nobis prębuerunt ? Ita,ait, mehercle, quæ ſi non eſſet,nihil inter nos, & cœcos intereſſet,nec profuiſſet oculos habere. Atqui,quũ quiete etiam indigeamus, noctẽm nobis,quietis optimum tempus, fecerunt. Valde etiam hoc, ait , dignum admirari fuit. At Sol, inquit , quum lucidus ſit , horas diei,cæteraque omnia nobis patefacit : in nocte vero,quum ipſa tenebroſa ſit, ſtellas in cœlo fixerunt , per quas horis noctis nobis notificatis,multa quę oportet,agimus.Ita eſt,

ait:

ait: Ac luna,inquit,non modo noctis,ſed etiã menſis partes nobis patefacit. Vehementer, ait. Quod autem, quum nutrimento nobis opus eſſet, inquit, hoc è terra nobis Dij produxere,ac tempora ad iſtud congrua præbuere, quæ non ſolum quibus indigemus multa, atque diuerſa, ſed etiã quibus delectaremur, afferrent,quid tibi videtur? Magnæ ait,eſſe clementiæ. Quod autem aquã quoque nobis rem pretioſam,præbuerunt, plantis ad augumẽtum vna cum terra aptiſſimum,nobis cum alijs ſimul cibarijs, nutrimentum: quæ quum miſceatur nutrientibus nos, parabiliora,vtiliora,ac delectabiliora ea facit: quoque pluribus indigemus, eo abundantius ſuppeditant? Et hoc,ait,magnæ prouidentiæ eſt.Quod autem ignem,inquit,nobis dederunt, frigus arcentem, tenebras diſſoluentem, ad omnem artem,omniaque vtilitatis gratiá hominum facienda cooperantem? Nil enim eorum, vt vno verbo dicam, quæ ad vitam humanam vtilia ſunt, homines abſque igne faciunt Nimiæ bonitatis eſt,ait,atque clementiæ. Quod autẽ Sol, quum hyemale ſolſtitium attingat, ad nos rurſus accedit, fructuum, hos quidem maturans, hos deſiccans, quorum videlicet tempus præterijt,& quum hæc agat,non propius venit,ſed cauens ne ſi pluſquam oporteat nos calefaciat,nobis adferat nocumentum,regreditur: quumque iterum ibi fuerit vbi nobis etiam manifeſtum eſt, ſi longius aberraret,frigore congelaremur,rurſus mutatus,nobis appropinquat, in eaque cœli parte verſatur,vbi quam maximè nobis proſit? Ædepol,

ait, & hæc omnia videntur hominum gratia facta fuiſſe. Quod autem, quum manifeſtum ſit non potuiſſe nos ſufferre, nec æſtum, nec frigora, ſi repente venerint, tam paulatim ad nos accedit ſol, tamq; paulatim à nobis recedit, vt lateat nos ad vtraque contraria iam exiſtentes? Ego quidem, ait Euthydemus, hoc nunc cogito, ne non ſit aliquod Dijs opus, præterquam vt de hominibus curam habeāt. Et idem Xenophon in calce libri 1. Cyropædiæ ait: Sciunt immortales omnia, & præterita, & præſentia, & quæ ſunt ex ijs ſigillatim euentura, conſulentibuſque hominibus Dij ipſi, quibuſcumque ſint propitij ante ſignificant, quæque faciunda ſunt, quæque non faciunda. Quod ſi minus omnibus conſulere Dij volunt, nihil eſt mirandum: non enim coguntur, neceſſitate ea curare, quæ nolint.] Et Apuleius lib. 11. aſini aurei, de luna loquēs ait: *Certu ſummatem Deam precipua maieſtate pollere, reſque prorſus humanas ipſius regi prouidentia.* Irridenda ergo nedum à Chriſtianis, ſed & ab vniuerſis philoſophis, naturali lumine diuinam prouidentiam admittentibus, quales fuere ferè omnes, exceptis Epicuræis, præſens irriſio, & reprehendenda reprehenſio, ſi quis ea aduerſus illos vti voluerit, quū tantum procedat aduerſus colentes ligna, vel lapides. *Cratera* autem primæ, & *Cratèr* tertiæ coniugationis, vas eſt amplum, & capax, quo vtebantur, tam in Deorum ſacris & libationibus, quam in ſolemnioribus, immo & paſſim in omnibus epulis, ſic dictum à κεράννυμι, miſceo, vt enim à κέραμαι κρᾶμα quæ eſt potio

tio diluta: & à κέκρασος κρᾶσις, quæ eſt mixtura, etiam ea, qua apud grammaticos duæ ſyllabæ in vnam commiſcentur: ſic à κέκρατε eſt κρατὴρ quia in eo vinum miſceretur, vnde vinum immixtum dicebãt ἄκρατον, ideſt merum; & offulæ meraco imbutę dicebantur ἀκρατίζετε eiſque vtebantur in ientaculis. Sic Virgil. Ecloga 5. verſu 66.

*Ecce duas tibi Daphnis, duoq; altaria Phœbo*
*Pocula bina, nouo ſpumantia lacte; quotannis*
*Crateraſq; duos, ſtatuam tibi, pinguis oliui.*

Et lib. 9. AEneid. verſ. 342.

*Nec minor Euryali cædes, incenſus & ipſe*
*Perfurit, ac multam in medio ſine nomine plebem,*
*Fadũq; Hebæſumq; ſubit, Rhætumq; Abarimq;*
*Ignaros: Rhætum vigilantẽ, et cuncta videntẽ,*
*Sed magnum metuens, ſe poſt cratera tegebat.*

Ad cuius inſtar, ſinus crateris dictus quidam ſinus maris, oppoſitus inſulæ Capreæ, inter Miſenum, & Athenæum, ſiue Palladium, aut Mineruæ promontoria, in quo celebres vrbes, à ſiniſtris Cumæ, Baiæ, Puteoli, & Regina Vrbiũ Neapolis, à dextris verò intrantibus, Surrentum, Stabiæ, & aliæ nonnullę in ipſo maris littore. Sed nunc de vaſe potorio intelligit.

*INCVSA* vaſa dicuntur, quæ opere fabrili multis percuſſionibus, ſeu malleationibus formata fuere. Sic Virg. 1. Georg. v. 273.

*Sępe olei, tardi coſtas agitator aſelli,*
*Vilibus, aut ornat pomis, lapidemq; reuertens*
*Incuſum, aut atrę maſſam picis, Vrbe reportat.*

Cudere namque idem eſt, ac ferire, ſiue percutere; à verbo autem cudo, factum eſt nomen in-

incus, ſignificans inſtrumentum ferreum, ſuper quod fabri aliud ferrum cudunt, ideſt percutiendo extendunt, ducunt, & formant: vnde quod cuditur, ſolidum eſſe debet, alioquin mallei ictus, & percuſſiones ſuſtinere non poſſet: quemadmodum bracteolæ, vel tenues laminæ eas non ſuſtinent. Ex quo poeta dat intelligere, vaſa donata, non fuiſſe tantum ſuperficietenus aurata, ſed magis ex auro ſolido. Et fortè propterea dictum eſt *auro pingui*, nempe multo, & copioſo, vt oportuit, ſi debuit eſſe ſolidum. Niſi mauis denominatum pingue, ratione pretioſitatis: donum enim ex materia pretioſa, etiãſi quantitate phyſica ſit exiguum, moraliter cenſetur magnum, & pingue. Vel ideo, quia quum aurum abundet humiditate, licet cæteris metallis magis compacta, vnde inter fuſilia numeratur, & talis complexio in animalibus ſit ad pinguedinem diſpoſita, potuit aurum pingue metaphoricè denominari. Quod ſi pro incuſa (vt eſt in codicibus emendatioribus) legere malles cum quibuſdam, incluſa, tunc vaſa eſſent ęnea, vel argentea, aut etiam lignea, & ſuperficietenus tantum deaurata. Sed hanc lectionem non admittimus, quia precator iſte, effuſę prodigalitatis notatur. Incuſa igitur vaſa dicta, quibus impreſſa erant ſigna, ſeu imagines. Moris autem fuit aurea imprimere ſigna vaſis argenteis. Vnde Seneca epiſtola 5. ait: *Quid ſi nos hominum conſuetudini cœperimus excerpere? Intus omnia diſſimilia ſint, frons noſtra populo conueniat. Non ſplendeat toga, ne ſordeat quidem. Non habeamus argentum, in quod ſoli-*

*di*

*di auri cælatura deſcenderis: ſed non putemus frugalitatis indicium, auro argentoque caruiſſe.* Et ſubdit: *Magnus ille eſt, qui fictilibus ſic vtitur, quemadmodum argento, nec ille minor eſt, qui ſic argento vtitur, quemadmodum fictilibus.*

*LAEVO*, niſi primam produceret, cenſerem eſſe inconſtãs, & ad vtrumlibet vertibile, itaut in mœrore deijciatur, in proſperitate vero, munerum acceptione, vel conſecutione honorum, plus nimio exultet. Sed quia eam producit, dico pectus læuum eſſe glabrum, & depilatum, quale eſt in mollibus, & effœminatis, ex quo præ lætitia, proueniente ex bonorum acceptione, dicuntur manaſſe guttæ ſudoris, nimia enim lætitia, animos perturbatos, geſtire, & exultare cogit. Vnde Cicero 3. de offic. ait: *Si dares hanc vim M. Craſſo, vt digitorum percuſſione hæres poſſet ſcriptus eſſe, in foro, mihi crede, ſaltares.* Aliquibus etiam, lætitia lacrymas excuſſit, alios compulit ſudare, nõ minus, ac pauor, de quo Virgilius 7. Æneid. verſ. 458.

*Olli ſomnũ, ingens rupit pauor, oſſaq; & artus*
*Perfudit toto proruptus corpore ſudor.*

Lætitiæ igitur tempore, tam lacrymæ ex oculis, quam ſudor toto corpore fluere ſolent, & maximè pectore: nam quamuis cor reſideat in medio thoracis, loco ad ſecuritatem, & ad recipiendam à pulmone refrigerationem, aptiſſimo, ob ſiniſtri tamen ventriculi pulſationem, quæ circa ſiniſtram mammam ſentitur, multi crediderunt illud ad ſiniſtram corporis partem, ſitum. Iuxta quam opinionem nunc ait Perſius, ex pectore læuo, ſiue corde, præ læti-

tia

tia emitti ſudorem, indicium ingentis gaudij, quod quum vult ingredi cor, iſtud, quo poſſit illud recipere, ſanguinem effundit cum calore, quæ ſparguntur per vicina cutis loca, & in eis ſudorem, & tremorem cauſant, adeo vt ſic lætantes, geſtiant, ſubſiliant, & pedibus nequeant conſiſtere, quod hic dicitur *lętari pręrepidum cor*.

*HINC illud ſubit, auro ſacro, quod ouato, Perducis facies: nam fratres inter ahenos, Somnia pituita, qui purgatiſſima mittunt Præcipui ſunto, ſitque illis aurea barba*. *Auro ouato*, ideſt ouo referente ſpeciem auri, quoad vitellum: quæ eſt expoſitio Cornuti, Io: Antonij Vallonis, & aliorum: ſtatuæ namq; priuſquam deaurarentur, ouo illinebantur. Sed obſerua, ſtatuas deaurandas, non luteo, ſed albumine illini: Et nihilominus aurum, oui albumini addo tum, aurum ouatum, vel ouum auratum dici poteſt. Nec obſtat, quod ouum primam producat, ouatum corripiat: quum multa deriuata, primitiuorum non ſeruent quantitatem, vt patet in humo, & humano, luceo, & lucerna, duce, & duco, & alijs. Sed huic expoſitioni ex alio capite non aſſentior, quia videlicet, qui ſtatuarum facies perducere volebant, ictibus, & malleationibus vtebantur, quum forent ex auro ſolido, & non tantum deauratæ ſuperficietenus. Quare aurum ouatum, intelligimus adductum in ouationem. Ouatio autem erat minor triumphus, quæ concedebatur, quum res geſtæ nō erant ſufficientes ad maiorem concedendum, vtpotè ſi hoſtes nō fuiſſet penitus debellati, aut ſaltem

ma-

magnis cladibus affecti, ſed tantum coerciti à populationibus, & maleficijs inferendis. Si ignominia cladis acceptæ, abſque multo labore vindicata fuiſſet. Si prouincia nondum pacata, remanentibus belli reliquijs, exercitus inde deportari non potuiſſet. Si bellum non fuiſſet ritè indictum, aut geſtum contra hoſtem indignum maieſtate populi Rom. vt cum ſeruis, gladiatoribus, aut piratis. Si hoſtes mediocribus certaminibus fracti, deditionem feciſſent, vt victoria fuerit quaſi incruenta. Si bellum geſtum in aliena Prouincia, aut alienis auſpicijs: nam propterea M. Liuius, in cuius Prouincia bellũ in Aſdrubalem, & Pœnos geſtum fuit, de eiſdem triũphauit, Claudio vero Neroni, cui alia obuenerat Prouincia, quamuis eius præcipuè opera, victoria foret reportata, ouatio tantum conceſſa. In his caſibus non concedebatur triumphus maior. Differentia autem erat inter hos triumphãdi modos, quod cui dabatur maior, is curru, quatuor equis albis, aut alijs peregrinis beſtijs iuncto, vectus, ſceptrum manu tenens, laurea corona inſignis, toga picta, & clauis aureis diſtincta, indutus, toto præeunte Senatu, Capitolium aſcendebat, ibique Ioui maiores immolabat hoſtias, nempe tauros. Eam pompam ſic deſcribit Appianus lib. de bellis Punicis: *Scipio fœdere icto, ex Africa totum exercitum deportauit in Italiam, vrbemque triumphans inijt, illuſtriore pompa, quam vllus ante eam diem. Fuit autem eius forma, quæ etiam nunc vtuntur, huiuſmodi. Coronatur pompa vniuerſa: præcedunt tubicines, & plauſtra onuſta* ſpo-

*ſpolijs traducuntur & captarum vrbium ſimulachra, tabulæque exprimentes res geſtas: deinde aurum, argentumque tam rude, quam ſignatum, & ſi quid eſt huiuſmodi præterea: tum coronæ Imperatori ob virtutem datæ à ciuitatibus, aut ſocijs, aut ab ipſo exercitu. Sequuntur deinceps boues candidi, poſt eos elephanti, mox Pænorum, Numidarumque duces captiui. Ipſum Imperatorem præcedunt littores paludati, & chorus cytharistarum, ac ſatyrorum Etruſco more cinctorum, ornatorumque coronis aureis, qui pariter incedunt ordine cum cantu, & tripudio, ludiones ipſi vocant, opinor ideo, quia Etruſci Lydorum coloni ſunt. Horum in medio quidam ſtolatus, & purpuratus, ornatuſque monilibus, & torquibus aureis, geſticulatur ad mouendum riſum, tamquam inſultans hoſtibus. Sequuntur deinceps, qui ſuffitum faciunt. Mox ipſe Imperator inuehitur curru picturato, redimitus gemmata corona aurea: amicitur autem toga clauata purpurea, manu geſtat ſceptrum eburneum, & virgam lauream, quæ apud Romanos ſignum eſt victoriæ. Vehuntur eodem curru pueri, virgineſque, & in iugalibus equis adoleſcentes gentiles. Iuxta currum incedunt militiæ, ſocij, ſcribæ, apparitores, armigerique. Sequuntur milites diſtincti per turmas, ac centurias, laureati omnes, & fortiſſimus quiſque dona geſtans militaria. Hi alios pincipes laudant, in alios cauillantur, quoſdam vituperant: eſt enim res ſimplex triumphus, & in eo magna iocorum licentia. Vbi vero Capitolium aſcendit Scipio, finita pompa, epulum amicis ex more in templo præbuit.* At is, cui concedebatur minor, nempe Ouatio, pedes, vel albo inſidens

dens equo, ſceptrum manu tenens, veſte amictus purpurea, myrtho coronatus, quaſi victoria potitus fuiſſet, Venerea potius, quam Martiali, Senatu vero non præeunte, ſed ſubſequente, præcedentibus plebe, & equitibus, Capitolium aſcendebat, ibique Ioui, in gratiarum actionem, minores immolabat victimas, oues ſcilicet, vnde ab ouibus immolatis, credunt nonnulli dictam ouationem. Sed alij malunt dictam ab acclamationibus victori factis, à populo concomitante, & geminante litteram O, O, interpoſita, V. At alij volunt deriuatam à Græco Euan. Conueniebant maior, & minor triumphus in apparatu, in vtroque enim duces præſeferebant ſimulachra captarum vrbium, ſigna militaria hoſtibus erepta, arma, ſpolia, machinas, currus, captiuos, aurum, argentum, & quidquid pecuniarum ex manubijs exactum foret, & etiam coronas, & munera à ſocijs accepta. Milites vero, qui, ob fortia facinora, donis, coronis, torquibus, haſtis, armillis, ornati fuiſſent, ijs decorati, pompam præcedebant. Hinc Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. 5. cap. 6. ait: [ Conſules ambo ex Senatusconſulto triumpho fuerunt decorati: Menenius maiore, & honoratiore, vectus curuli regiaque ſella: at Poſtumius minore, & minus honorato, quem Romani vocant ouationem, deflexo nomine Græco in nomen obſcurum, & incertum. Nam primum hæc ouatio dicta eſt ab euentu, & re ipſa, vt & ego conijcio, & in multis Romanis hiſtorijs ſcriptum comperio: quod triumphi genus, tunc primum à Senatu inuectum, Licinius prodidit.

Dif-

Differt autem ab altero, primum, quod in ipſa ouatione dux cum exercitu Vrbem ingrediatur pedibus, non autem curru, vt ille qui maiore triumpho ornatur. Deinde quia non geſtat togam pictam, & clauis aureis diſtinctam, neq; ornatur trabea, qui eſt Conſulum, & Prætorum patrius cultus, nec laurea corona redimitur, quin etiam hac in re altero eſt inferior, quod non geſtat ſceptrum: in cæteris vero rebus illi eſt par. Ne autem Poſtumius honore æquaretur Menenio, quamuis, in pugna omnium maximè egregiam operam nauaſſet, in cauſa fuit ingens, & ignominioſa clades, quam paulo ante acceperat, dum hoſtes inſequeretur ardentius, qua & multos de ſuis militibus amiſit, & parum abſuit, quin ipſe quoque cum reliquis, qui fuſi fugatique fuerant, in hoſtium poteſtatem veniret.] Et de coronis ſic Gellius lib. 5. cap. 6. [Militares coronæ multifariẹ ſunt, quarum quẹ nobiliſſimæ ſunt; has fermè eſſe accepimus: triumphalem, obſidionalem, ciuicam, muralem, caſtrenſem, naualem. Eſt ea quoque corona, quæ Oualis dicitur. Eſt item poſtrema oleaginea, qua vti ſolent, qui in prælio non fuerunt, ſed triumphum procurant. Triumphales coronẹ ſunt aureæ, quæ Imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur: id vulgo dicitur Aurum coronarium: hæ antiquitus è lauro erant, poſt fieri ex auro cœptæ. Obſidionalis eſt, quam ij qui liberati ſunt obſidione, dant ei duci, qui liberauit: eá corona graminea eſt; obſeruarique ſolitum, vt fieret è gramine, quod in eo loco generatum eſſet, in-

tra

tra quod clauſi erant, qui obſidebantur: hanc coronam gramineam S. P. Q. R. Fabio Maximo dedit bello Pœnorum ſecundo, quod vrbem Romam obſidione hoſtium liberaſſet. Ciuica appellatur, quam ciuis ciui, à quo ſeruatus eſt in bello, teſtem vitæ, ſalutiſque perceptæ, dat: ea fit è fronde querna, quoniam cibus victuſque antiquiſſimus, quercus capi ſolitus ſit: fit etiam ex ilice, quod genus ſuperiori proximum eſt, ſicuti ſcriptum eſt in quadam comœdia Cęcilij: *Aduehũtur, inquit, cum ilignea corona, & chlamyde, Dij voſtram fidem.* Maſſurius autem Sabinus in 11. librorum memorabilium, Ciuicam coronam tum dari ſolitam dicit, quum is, qui ciuem ſeruauerat, eodem tempore etiam hoſtem occiderat, neque locum in ea pugna reliquerat, aliter ius ciuicæ coronæ negat conceſſum. Tiberium tamen Cæſarem conſultum, an ciuicam coronam capere poſſet, qui ciuem in prælio ſeruaſſet, & hoſtes ibidem duos interfeciſſet, ſed locum in quo pugnabat, non retinuiſſet, eoq; loco hoſtes potiti eſſent, reſcripſiſſe dicit, eum quoq; ciuica dignum videri, quod appareret, è tam iniquo loco ciuem ab eo ſeruatum, vt etiam à fortiter pugnantibus retineri non potuerit. Hac corona ciuica L. Gellius vir Cenſorius in Senatu Ciceronem Conſulẽ donari à Rep. cenſuit, quod eius opera eſſet atrociſſima illa Catilinæ coniuratio detecta, vindicataque. Muralis eſt corona, qua donatur ab Imperatore, qui primus muros ſubijt, inque oppidũ hoſtium per vim aſcendit, idcirco quaſi muri pinnis decorata eſt. Caſtrenſis eſt corona, qua

dona.

donat eum Imperator, qui primus hoſtium caſtra expugnans introiuit: ea corona inſigne valli habet. Naualis eſt, qua donari ſolet maritimo prælio, qui primus in hoſtium nauem vi armatus tranſiliuit: ea quaſi nauiũ roſtris inſignita eſt. Et muralis autem, & caſtrenſis, & naualis fieri ex auro ſolét Oualis vero corona myrtea eſt: ea vtebantur Imperatores, qui ouantes introibant vrbem. Ouandi autem, ac non triumphandi cauſa eſt, quum aut bella non ritè indicta, neque cum iuſto hoſte geſta ſunt, aut hoſtium nomen humile, & non idoneum eſt, vt ſeruorum, piratarumque, aut deditione repente facta, impuluere (vt dici ſolet) incruentaque victoria obuenit, cui facilitati aptam eſſe Veneris frondem crediderunt, quod non Martius, ſed quaſi Venereus quidam triumphus foret. Hanc myrteam coronã M. Craſſus, quum bello fugitiuorum confecto, ouans rediret, inſolenter aſpernatus eſt, Senatuſq; conſultum faciundum per gratiam curauit, vt lauro, non myrto coronaretur. M. Cato obiecit M. Fuluio Nobiliori, quod milites per ambitionem coronis, leuiſſimis de cauſis donaſſet, de qua re verba ipſa appoſui Catonis: *Nam principio, quis vidit corona donari quemquam, quum oppidum captum non eſſet, aut caſtra hoſtium non incenſa eſſent.* Fuluius autem, in quem hoc à Catone dictum eſt, coronis donauerat milites, quia vallum curauerãt, aut quia puteum ſtrenuè foderant: Prætereũdum non eſt, quod ad ouationes attinet, ſuper quo diſsenſiſſe veteres ſcriptores accipio; partim enim ſcripſerunt, quum ouarent introire ſo-

Fælicium equo vehentes; & Sabinus Maſſurius pedibus ingreſſi ovantes dicit, ſequentibus eos non militibus, ſed vniuerſo Senatu.] Aurum ergo ouatum intelligitur relatum ex triumpho, ſiue minore, ſiue maiore (nam ſpecies poſita eſt pro genere) ſiue ſit coronarium, ſiue captum ex manubijs, & præda hoſtium: quaſi diceret: quia Deos ex ſuis metiētes moribus, exiſtimant illos auro, & muneribus induci poſſe ad ſibi concedenda poſtulata etiam ſtulta, illis ſatagunt aureas ponere barbas. Eandem ſententiam expreſſit Seneca Epiſtola 115 dicens: *Admirationem nobis parentes, auri argentique fecerunt, & teneris infuſa cupiditas altius ſedit, creuitque nobiſcum. Deinde totus populus in alio diſcors, in hoc conuenit, hoc ſuſpiciunt, hoc ſuis optant, hoc Dijs, velut rerum humanarum maximum, quum grati videri volunt, conſecrant. Denique eo mores redacti ſunt, ut paupertas maledicto probroque ſit, contempta diuitibus, inuiſa pauperibus. Accedunt deinde carmina poetarum, quæ affectibus noſtris facem ſubdant, quibus diuitiæ, velut vnicum vitæ decus ornamentumque laudantur. Nihil illis melius, nec dare Dij immortales videntur poſſe, nec habere, &c.*

PERDUCIS *facies*: aliqui ſic interpretantur, fingis, vel illinis. Mihi tamen videtur, hoc ad ſummum eſſet, adducis, vel inducis, ut quum ex ceruſſa, fucis & coloribus inducitur perſona. Cæterum perducere indicat formationem operis ductili, nempe malleationibus, ut fit à fabris formantibus ſtatuas ex ære, ferro, aut alio metallo. Perducere ſiquidem eſt violen-

ret ducere, vnde Suetonius in Tiberio cap. 45. ait: *Mallonia conſtantiſſimè renuens perducta eſt ad eum*. Et idem in Caligula cap. 25. ait. *Lolliam Paulinam, C. Memmio conſulari, exercitus regenti nuptam, facta mentione auię eius, ut quondam pulcherrimæ, ſubito ex Prouincia euocauit, ac perductam à marito, coniunxit ſibi.* Aſconius etiam in illud Ciceronis Verrina 3. *Omne illud tempus, quod fuit, antequam iſte ad magiſtratus, Remq; publicam acceſſit, habeat per me ſolutum, ac liberum: ſileatur de nocturnis eius bacchationibus, ac uigilijs, lenonum, aleatorum, perductorum, nulla mentio fiat*, aſſerit: Perductores hoc à lenonibus differre, quod iſti ſint ſcortorum, & volentium, illi etiam inuitarum perſonarum. Et hoc modo exprimitur magna fatuitas cogitationum auari huius precatoris, qui, quo Deos impelleret ad maiores ſibi diuitias concedendas, medicas, (proximorum largitate acceptas,) in illorum venerationem expendere ſatagebat. Nec vnius tantum, aut alterius ſimulachri effigiare facies cogitabat, ſed fratrum ahenorum, & maximè eorum, qui vera immittebant ſomnia, quibus auream addere barbam diſponebat.

*FRATRES ahenos*, nimirum æreos, quidam interpretantur eſſe omnes Deos, quibus à M. Agrippa poſitæ erant in Pantheo, ęreę ſtatuę, ſimilis formæ, & quantitatis. Dicti fratres, quia ferè omnes Cybeles filij, quæ proptereà Deorum mater dicebatur. Alij fratres ahenos putant eſſe Caſtorem, & Pollucem, qui Romanis; peſtilentia laborantibus, per ſomnium apparentes, indicauerunt quibus reme-

dijs

[illegible] poſſent, ideoque, vt Cornutus hic aſſerit, Romani eorum ſtatuas deaurauerunt. Ipſi etiam Romę nunciauerunt Perſeo Macedoniæ Regē eſſe victum, idq; eadem die qua pugnatum fuerat: & nedum iuuerunt Poſthumium Coſ. pugnantem aduerſus Latinos, ſed, parta victoria, eodem veſperi illam Romæ in foro Romano nunciauerunt: ideoque ipſis ibidem fuit ædes conſtituta, & fons in quo lauerant, conſecratus. Alij, fratres aheneos dicunt eſſe quinquaginta Ægypti filios, qui au[illegible] vxores duxerant totidem filias Danai Argiuorum Regis, omnes, ipſius Danai iuſſu, à nouis nuptis, ipſa nuptiarum noćte, dormientes necati fuere; niſi quod ſola Hypermneſtra, Lyncæum virum ſuum cubiculo, & domo clam emiſſum, ſeruauit. Qui poſtea Danaum patrem, & ſocerum, interfecit, regnumque Argiuum occupauit, & poſſedit. [illegible] autem illæ ad Tartarum damnatæ, hac pœna, inter alias, mulctatæ ſunt, vt pertuſum dolium aqua implere debeant: id autem præſtare nequeuntes, (nam quidquid infundunt, ſtatim effluit,) in continuis ſunt laboribus, atque ærumnis. Erant autem Romæ, in tēplo Apollinis Palatini, quinquaginta Danaidum ſtatuę æreæ, & ex oppoſito illarum, totidem viriles, & equeſtres, repræſentantes Ægypti filios: & de hiſce Cornutus puto nunc loqui. Quod autem [illegible] mulieres [illegible], [illegible] ex eo quod [illegible], inter Deos habebant, qui per [illegible] ſuas iudicabāt. Nam ſicut [illegible] per ea [illegible] [illegible] mulier adulterarat

Dijs, & Heroibus, vt Apollini, Æſculapio, Caſtori, & Polluci, & quum Romæ fuiſſent introducta ſacra AEgyptiorum, idem crediderint de Iſide, Oſyride, atque Serapide; demum tandem gliſcente amplius ſuperſtitione, eamdem adſcripſere vim iſtis AEgypti filijs, vt voluit Acron citatus hic à Cornuto, & antiquus Scholiaſtes his verbis: *Acron tradit quod in porticu Apollinis Palatini, fuerunt Danaidum effigies, & contra eas ſub dio ſtatuæ equeſtres filiorum AEgypti: ex iis autem ſtatuis, quæ dum dicebantur, poſtulantibus per ſomnium dare oracula.*

*SOMNIVM* hoc à ſonno differt, quod hic ſit ſopor cauſatus ab humoribus è ſtomacho eleuatis ad cerebrum, vbi refrigerati iterum in pectus recidunt, & viſcerum temperant calorem: ad quem conciliandum, inquit Celſus lib. 2. cap. 32. *aptum eſt papauer, lactuca, maximeque æſtiua, cuius cauliculus iam lacte repletus eſt, morum, porrum.* Illud vero eſt, quod dormientes videre videntur. Sic Plautus in Milite glorioſo Actu 4. ſcena 4.

*Haud falſum euenit ſomnium, quod noctu hac*
*ſomniauerim.*

Et, vt alia omittam Cicero, l. 1. de Diuinatione ſic loquitur: *Vide quid Socrates in Platonis politica loquatur, Dicit enim, quum dormientibus ea pars animi, quæ mentis, & rationis ſit particeps, ſopita langueat: illa autem in qua feritas quædam ſit, atque agreſtis inmanitas, quum ſit immoderato obſtupefacta potu, atque paſtu, exultare eam in ſomno, immoderateque iactari: huic omnia viſa obiiciuntur a mente, ac ratione*

*natque, ut aut cum matre corpus miſceri uideatur, aut cum quouis alio homine, uel Deo, ſæpe belua, atque etiam trucidare aliquem, & impie cruentari, multaque facere impure, atque tetre, cum temeritate, atque impudentia. At qui ſalubri, & moderato cultu, atq; uictu quieti ſe tradiderit, ea parte animi, quæ mentis, & conſilii eſt agitata, & erecta, ſaturataque bonarum cogitationum epulis, eaque parte animi, quæ uoluptate alitur, nec inopia enecta, nec ſatietate affluenti, (quorum utrumq; perſtringere aciem mentis ſolet, ſiue deeſt naturę quippiam, ſiue abundat, atque affluit) illa etiam tertia parte animi, in qua irarum exiſtit ardor, ſedata, atque reſtincta, tum eueniet, duabus animi temerariis partibus compreſſis, ut illa tertia pars rationis, et mentis eluceat, & ſe uigentem ad ſomniandum, acremque præbeat, tum ei uiſa quietis occurrent tranquilla, atque ueracia.* Macrobius etiam lib. 1. in Somnium Scipionis, quinque ſomniorum diſtinguit ſpecies, eaſque nominat Somnium, Oraculum, Viſionem, Inſomnium, & Phantaſma. Somnium tunc eſſe docet, quando quis ſomniat res veras, ſed quas abſque Interprete, & coniectore, nequit intelligere. Oraculum accidere, quum dormientes, per ſomnium locutione alicuius incogniti, ſeu non viſi, de futuris monemur euentibus. Viſionem, quum dormientes id videmus, quod deinde, vt vidimus, completur. Inſomnium vult naſci ex curis, aut ſuperfluitate cibi, & potus, vel infirmitate, & incommodis, ac diuturnis curis. Phantaſma venire ex eiſdem cauſis quibus inſomnium. Et vlterius vult duas poſtremas eſ-

his ſomniorum ſpeciebus, eſſe vanas, nec veram habere poſſe ſignificationem, ideoque coniectores earum nullam habent rationem. Tres vero priores, obſeruari à coniectoribus, & poſſe verum ſignificare, quod etiam indicat Plato in ſupra relatis verbis Ciceronis. Nihilominus ſomniorum obſeruatio, vna eſt, ex vanæ obſeruationis, & ſuperſtitionis ſpeciebus, & qui talibus detinetur ineptijs, Dei permiſſione ſæpe decipitur, & illuditur à dæmone. Quapropter vnuſquiſque veritatis inueſtigator, ſcripturæ, traditionibus, atque Concilijs, & diſcreto, prudentique directori credere debet, ſomnijs vero numquam, nam etiam ſi aliquando à Deo, & vera forent, præſtaret iſtis non credere ante directoris approbationem, quam paſſim omnia promptè recipiendo, exponere ſe errandi periculo.

*PITVITA* humor eſt, Græcis φλέγμα dictus, ſic appellatus quaſi, qui vitã petit, ſed eſt frigidus, & humidus, vnuſq; ex quatuor humoribus, quibus omne mixtum, nedum animal, cõponitur. A medicis pituita diuiditur in naturalem, quę vel dulcis eſt, vel omnis ſaporis expers. Et hæc vna cum ſanguine, permixta venis, humidas & frigidas corporis partes, vt cerebrum, &c. alit. Et in non naturalem, quæ inſuper vel eſt acida, quæ quia ſumme cruda, aceſcit defectu caloris. vel ſalſa, nata ſcilicet ex putreſcente pituita dulci. Extenditur etiam pituitæ vocabulum ad eius excrementa, vt ad alui fęces & ad mucum per nares excretum. Sic Celſus lib. 3. cap. 18. *Deſcendunt pituitæ muciſque ſimilia, interdum etiam liuor.*

*leuiter ſubcrue[illegible].* Illi in quibus pituita abundat, ingenij ſunt hebetioris, paruumque diſciplinis apprehendendis idonei. Quod autem hic dicitur, illos Deos futuros præcipuos, qui mitterent ſomnia purgatiſſima pituita, intelligit maximè vera, nam vt dictum eſt ex Cicerone, & Macrobio, quæ ſiccis, & ſobrijs accidunt, (hi cęteris paribus minorem habent pituitam) vera à coniectoribus iudicantur, & ijs de futuris, & occultis, homines præmoneri.

*AVREAM barbam* antiqui Dijs de ſe bene meritis addidiſſe ſæpius obſeruatum, & illud maximè comprobat, quod Dionyſius Syracuſanorum Tyrannus, ex rapacitate, & auaritia auream barbam æneo AEſculapij Epidaurienſis ſimulachro detrahi iuſſerit, eam ſacrilego ſuo facto cauſam prætexens, rationi conforme nõ eſſe, vt imberbis patris, filius tam prolixè barbatus foret. AEſculapij autem pater, qui eſt Apollo, ſemper imberbis eſſe inducitur. Auream autem barbam auidus iſte, & ſuperſtitioſus orator, æneis Deorum ſtatuis addere diſponit, eorum videlicet, qui plurimum poſſe credebantur, ſtultè indicans ſic cum Dijs nundinationem inſtituere, quaſi Dij his muneribus allecti, ſibi concederent poſtulata.

*AVREA vaſa Numę, Saturniaque impulit æra, Veſtaleſq; urnas, & Tuſcum fictile mutat. Vaſa Numę.* Numa Pompilius ſecundus Romanorũ Rex, Curibus in Sabinis natus, philoſophiæ & ſapientiæ ſtudijs innutritus, iuſtitia, religione, cæremonijs falſorum Deorum præcellens, omnibus eius notitiam habentibus, ob

virtutes charus, Romanum Regnum vltro ſibi delatum, diu reluctans, quum demum acceptaſſet, ſuarum virium conſcius, cernenſque ſe militiæ laboribus imparem, truces, efferatoſque longa militia Romanorum animos, eorumdemque ferreas quodammodo mentes, Deorum religione ad pacis ſtudia traducere ſtuduit. Pace igitur æquis conditionibus cum finitimis compoſita, quo Martialem populum ſibi redderet obſequentem, primũ, infimo Argileto, nempe iuxta Palatium, vbi opificum & bibliopolarum erant tabernæ, Iano templum poſuit, quod pacis tempore clauſum, bellis pateret ingruentibus. Deinde Flaminem Dialem, Martialem, Quirinalemque creauit: Marti etiam duodecim aſſignauit Salios. Inde Veſtales ſacrauit virgines, eiſque ignis æterni cuſtodiam mandauit, declarauitque Pontificem maximum. Faſtos nefaſtoſque dies expoſuit, & annum in duodecim menſes diuiſit, quum prius decem tantum haberet; addidit enim Ianuarium, Februariumque. Et vt omnia, quæ ſtatuebat, firma & inconcuſſa manerent, finxit, & credi voluit, ea ab Egeria Nympha (cum qua maritalem ſe habere conſuetudinem aſſerebat) ſibi eſſe præſcripta. Hac igitur ratione, ob iuſtitiæ, & religionis opinionem, cultus nedum à ſuis, etiam ab cæteris, quum annis quatuor ſupra quadraginta Romanorum adminiſtraſſet Regnum, octogenario maior, diem clauſit extremum, non celeri, aut repentino obitu, ſed leni, ſedatoque, vtpote ſenio deficiens, ſepultuſque eſt in Ianiculo, vbi P. Cornelio Cethego, M. Bebio

Coſſ.

Coſſ. poſt annos quingentos triginta quinq; incorruptum inuentum fuit, & ſimiliter ſeorſim in alia arca lapidea, libri ſacri ab eo conſcripti, qui, eo quod cedro peruncti fuiſſent, incorrupti remanſerant. Ouidius lib. 15. metamorphoſeos cecinit, ipſum Pythagoræ fuiſſe auditorem, idque nonnulli alij crediderant. Sed id falſum eſſe probat Liuius lib. 1. cap. 18. quia Numa vltra centum annos Pythagoram præceſſit, ſiquidem hic Crotone floruit, regnante Romæ Seruio Tullio, ſexto Romanorum Rege. Huius temporibus vaſa, quibus in Deorum ſacrificijs, & alijs templorum miniſterijs ſacerdotes, & Pontifices vtebantur, fictilia erant, quamuis ceremoniæ tunc maximè florerent: quia vt hominum mores, ita & Deorum cultus erant ſanctiores. Sic de Romulo loquens, ait Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. 2. cap. 3. *Ille uir non ſolum laudandus eſt ob ſapientiam, quæ in his rebus uſus eſt, ſed etiam ob ſacrificiorum frugalitatem, quibus Deos coli iuſſit, quorum maxima pars, uſque ad hanc noſtram ætatem permanet, licet non omnia priſco more fiant. Equidem uidi in ſacris ædibus cœnas Dijs appoſitas in antiquis menſis ligneis, in caniſtris, & in catinis fictilibus, hordeaceos libos, & placentas, & far, & fructuum quorundam primitias, & alias eiuſmodi res tenues, & paratu faciles, & ab omni inepta magnificentia remotas. Vidi etiam libationes fieri, non in argenteis, aut aureis uaſis, ſed in teſtaceis calicibus & urceis.*

*SATVRNIA QVE ære*, id eſt æra, quæ fuerant Saturni tempore. Saturnus Cœli & Ve-

ſtæ ſecūdogenitus filius, matris, ſororiſq; aſſēſu, paternum occupauit Cretæ Regnum, excluſo Titane eius fratre primogenito; cum quo tamen conuenit, vt viuere non pateretur quamcumque ſuſcepiſſet maſculam prolem, quatenus hac ratione, poſt Saturni deceſſum, Titani ſaltem filijs regni ſucceſſio traderetur. Verum quum Ops Saturni ſoror, & coniux, vno eodemque partu, Iouem ſimul, ac Iunonem eſſet enixa, maritum decepit, oſtenſa illi Iunone, quæ mortis periculo vacabat, tamquam ſi eam ſolam peperiſſet. Iouem vero ablegauit in Idam montem ad Corybantes, monitos vt cymbalorum, tympanorumque iugi pulſu, infantis vagitum audiri prohiberent. Secunda etiam partu Ops Neptunum edidit, & illū abſconditum ſeruauit. Tertio Plutonem ſimul & Glaucam peperit, & hac marito monſtrata, illum ſeruauit. Sed quum Titan reſciſſet Saturni maſculas viuere proles, ideoque præcluſam ſibi ſpem, ad filios ſaltem ſuos regnum reuerſurum, arma cum filijs ſumpſit ad illum Regno deturbandum, commiſſoque acri prælio, illum acie victum, in poteſtatem habuit, & vna cum Ope, ſub arcta detinuit cuſtodia, quouſque Iuppiter adoleuit: is enim auditis, quæ geſta fuerant, bellum Titanibus intulit, eoſque funditus deleuit, & ſic Opem, Saturnumque vinculis ereptos, in Regnum reſtituit. Sed quum Saturnus ex oraculo didiciſſet, fore vt à Ioue regno pelleretur, ad fatum auerruncandum, complures ei ſtruxit inſidias ad eum perdendum: ſed quum Iuppiter eas detexiſſet, fati decretum opere compleuit, eumque

Re-

Regno & inſula Creta expulit. Is vero profugus à facie filij, in Italiam nauigauit, vbi à Rege Iano, nedū in hoſpitiū, ſed in Regni etiā ſocietatem receptus, cum eodem totam vitam concorditer regnando vixit, homineſque illius regionis docuit agriculturam, à qua, nimirum à ſerendo quidam putant appellatum Saturnum. Alij ſic nominatum dicunt, quod falce, patri σάθην, id eſt virilia amputauerit. Alij, eo quod quum diu vixiſſet, ſatur annis crederetur. Illo regnante auream ætatem fuiſſe dicunt, quando terra, abſque agricolarū labore, ſponte poma, fruges, aliosque fructus edebat; nec agrorum limitibus poſſeſſiones erant deſignatæ, immo omnibus omnia erant communia. Tunc igitur, quum ætas eſſet aurea, hominum mores innocentiſſimi, Deorumque religiones incontaminatę, in Regum, & Deorum domibus, ac templis, menſis, aris & altaribus, fictilia tantum, vel ad ſummum ęrea vaſa videbantur, non vero argentea, & multo minus aurea: quinimmo nec nummi tunc reperiebantur niſi æris; ex quo factum eſt, vt etiam, ſiue ædes, vel domus, in quibus publici aſſeruantur theſauri, vſque modo æraria dicantur, licet nihil minus, quam æs ibi reperiatur, retento ſcilicet nomine antiquo, & è re nato. Hinc in foro Romano, inter montes Capitolinum, & Palatinum, Saturni erant ædes, quæ in ærarium conuerſæ, aſſeruandis pretioſis quibuſcumque maxime monetariis aureis, & argenteis ſeruiebant; eſto ab ęre dictę, quia æris vſus in monetis prior, quam argenti, vel auri fuit. Vide Auguſt. 4. de C. D. cap. 21. alij

*Nam patrem Argentini, Æſculanum poſuerunt, quia prius ærea pecunia in uſu eſſe cœpit, poſt argentea. Miror autem, quod Argentinus non genuit Aurinum, quia & aurea ſubſecuta eſt. Quem Deum iſti ſi haberent, ſicut Saturno Iouem, ita & patri Argentino, et aui Æſculano, Aurinum præponerent.*

*IMPVLIT.* Impellere aliquando eſt incitare, aut inducere: quandoque labefactare, ſæpe, urgere, at hic eſt loco mouere, ſeu expellere. Sic Catul. de coma Berenices, ſeu carm. 67.

*Abruptæ paulo ante comæ, mea fata ſorores*
*Lugebant, quam ſe Memnonis Æthiopis*
*Vnigena impellens nutantibus aëra pennis,*
*Obtulit Arſinoes Chloridos ales equus.*

Et Ouid. 1. Triſt. eleg. 8.

*Dum ſtetimus turbæ, quantum ſatis eſſet habebat,*
*Nota quidem, ſed non ambitioſa domus,*
*At ſimul impulſa eſt, omnes timuere ruinam,*
*Cautaque communi terga dedere fugæ.*

Et Iuuenal. ſat. 10. verſu 105.

*Ergo quod optandum ſit res, ignoraſſe fateris*
*Seianum: nam qui nimios optabat honores,*
*Et nimias poſcebat opes, numeroſa parabat*
*Excelſæ turris tabulata, unde altior eſſet*
*Caſus, et impulſæ præceps immane ruinæ.*

Et hoc modo nunc ſumitur, quam aurum videtur quaſi loco pepuliſſe vaſa argillacea, & ſimpliciorem Deorum cultum.

*VESTALESQVE urnæ.* Veſtas duas fuiſſe antiqui tradiderunt, quarum unam dictam Saturni Opiſque fuiſſe matrem, [illegible] vero [illegible]

[illegible]

dixerunt Veſtam, ſiue quod Terra rebus omnibus quodammodo veſtiatur, & viciſſim omnibus de veſtibus prouideat: ſiue quod vi ſtaret. Et ſic Ouidius cecinit 6. Faſtorum.

*Stat vi Terra ſua, vi ſtando Veſta vocatur.*

Alij vero Veſtam dicunt fuiſſe Saturni, & Opis filiam, & conſequenter iam dictæ Veſtæ neptem: de qua loco citato Ouid.

*Ex Ope Iunonem memorant, Cereremque creatas,*
*Semine Saturni; tertia Veſta fuit.*

Et hanc Græci Ἑστίαν vocant, aſpiratione in V conſonantem mutata, vt in Veneto pro Eneto, Veſta pro Ἑστία, & alijs ſexcentis factum videmus. Ἑστία autem Græce, Latinè idem eſt, ac ignis. Hinc idem Ouid. loco citato 6. Faſtorum, ait:

*Nec tu aliud Veſtam, quam viuam intellige flammam,*
*Nataque de flamma corpora nulla vides.*
*Iure igitur virgo eſt, quæ ſemina nulla remittit,*
*Nec capit, et comites virginitatis amat.*

Idem Veſta Saturni filia, virgo credita fuit, & virgines ei ſacerdotes aſſignatæ: Veſtæ namque nomine ignem, ſeu puram intelligebant flammam, ex qua nihil penitus generatur. Illius vero ſacra fiebant ita, vt ipſius Veſtę nullum haberent ſimulachrum, quod Ouid. cecinit 6. Faſtorum, dicens:

*Eſſe diu ſtultus, Veſtæ ſimulacra putaui:*
*Mox didici curuo nulla ſubeſſe tholo.*
*Ignis inextinctus templo celatur in illo,*
*Effigiem nullam, Veſta nec ignis habent.*

Veſt[illegible] [illegible] ſ[illegible] a Veſta [illegible] Deum,

M 2

ſeu Diuinam intelligebant mentem, corporeis oculis inaſpectabilem. Aliqui tamen Veſtæ ſimulachrum fingebant ore virgineo, continens tympanum, in quo forent venti. Maior controuerſia eſt adſtruendi, quando hæc ſacra cœperint. Nam quidam aſſerunt originem habuiſſe à Rege Numa. Sed vt concedo hunc primum illis aſſignaſſe ſtipendium ex publico, legiſſeque quatuor primas ſacerdotes, quæ fuerunt Gegania, Berenia, Canuleia, atque Tarpeia (quarum numerus ſecutis temporibus auctus fuit, vſque ad ſex, deinde vſque ad viginti,) ita refragabor cum fuiſſe primum talis ſuperſtitionis authorem: aliouquin quomodo Amulius neptem Iliam, Veſtalem ſub perpetua virginitatis ſeruandæ obligatione conſacrare potuiſſet? Vnde Liuius lib. 1. cap. 20. refert Veſtæ ſacra vetuſtiſſima eſſe, & ab Albanis accepta. Sed ego ei ſubſcribo opinioni, quæ docet Veſtam vnam fuiſſe ex Penatibus, quos Æneas Troia, vel Samothracia in Italiam abduxit. Sic Virg. 2. Æn. v. 293.

*Sacra, ſuoſq; tibi commendat Troia Penates,*
*Hos cape fatorum comites, his mœnia quære*
*Magna, pererrato ſtatues quæ deniq; ponto.*
*Sic ait: et manibus vittas Veſtamq; potentem,*
*Æternumq; adytis effert penetralibus ignem.*

Antiquiſſima igitur erant ſacra Veſtalia, Troia videlicet, vel Samothracia per Æneam aducta, & Albę primum conſtituta, vbi accidit, quod de Ilia memorauimus, indeque Romam per Numam introducta, multis ceremonij venerabiliora (execrabiliora potius dixerim) reddita ſunt; quarum ea prima fuit, vt

illos

illius ſacerdotes ignem perpetuum cuſtodire deberent, qui ſi forte, quacumque de cauſa, inueniretur extinctus, non erat fas ex alio terreno igne ipſum reparare, ſed vas æneum pellucidum, & trium angulorum, ſolis radijs obijciebant, ijs vſque adeo diuerberandum, donec ignem conciperet, aridæque materiæ iuxta poſitæ communicaret, & ſic eum clibano clauſum, in ædem referebant. Legebantur autem Veſtales, etiam primæ Nobilitatis, à ſexto in decimum, vel à decimo in decimum ſextum ætatis annum, quæ in Veſtę ſacrarium introductæ, primis decem annis cæremoniarum omnium Canones diſcere tenebantur: decem ſequentibus, eaſdem exercere: Tertio decennio eaſdem docere nouitias. Et dum Numa vixit, domum iuxta Veſtę templum habuit, maioremque temporis partem cum illis morabatur, vel ſacris vacans, vel illas docens. Exactis vero triginta annis in Veſtę ſacerdotio, ſi quę ex illis nubere voluiſſet, legibus permittebatur. Si quę vero intra hos triginta annos, ſe ſtuprari paſſa fuiſſet, maximo Ciuitatis luctu, atque mœrore, ad portam Collinam delata, loco, cui propterea Sceleratum nomen fuit, viua terrę infundiebatur. Sed de his omnibus pręſtat audire Dionyſium Halicarnaſſenſem, ita loquentem lib.2.cap.8. [Numa regno potitus, propria curiarum templa ſuo loco non mouit: ſed vnum templum omnibus commune erexit, in eo ſpatio, quod eſt medium inter Capitolium, & Palatium. Iam enim eos colles idem murorum ambitus cingebat, & forum inter vtrumque erat medium,

vbi

vbi hoc templum ædificatum eſt: et ſacrorum cuſtodiam patrio ritu virginibus lege lata aſſignauit. Incertum autem eſt quidnam ſit id, quod in illo templo ſeruatur, & qua de cauſa eius cura virginibus ſit commiſſa. Nonnulli enim aſſerunt, id quod ſeruatur nihil aliud eſſe, quam ignem omnibus conſpicuum; eius autem cuſtodiam virginibus potius, quam viris commiſſam, veroſimiliter aiunt, quia vt ignis eſt incontaminatus, ſic etiam ipſa virgo eſt impolluta: caſtiſſimo autem numini, mortalis res puriſſima eſt grata. Veſtæ autem ignem putant dicatum, quia quum ea Dea ſit Terra, & medium mundi locum occupet, ſublimis ignis inflammationes parit. Sunt etiam qui dicunt præter illum ignem, alia quædam ſacra vulgo incognita in eo fano eſſe, quæ ſolis Pontificibus, & Virginibus ſunt nota, argumentum non leue huius rei proferentes, id quod accidit in incendio ipſius templi tempore primi belli Punici, quod inter Romanos, & Carthaginiéſes propter Siciliam eſt ortum: incenſo enim templo, & Virginibus ex igne fugientibus, quidam de numero Pontificum, Lucius Cecilius, qui Metellus vocabatur, vir Conſularis, qui Carthaginienſibus in Sicilia deuictis, in illo celebri triumpho centum triginta, & octo elephantos traduxerat, neglecta propria ſalute, vtilitatis publicæ cauſa, ſummo cum periculo eſt auſus in ardens penetrale irrumpere, & ſacra à virginibus deſerta, ex ipſo incendio erepta ſeruare, ob quod præclarum facinus, magni honores à Ciuitate ei delati fuerunt, vt ipſum elogium, eius ſta-

tæ in Capitolio erectæ teſtatur. Hanc igitur rem illi pro confeſſa ſumentes, de ſuo quaſdam coniecturas addunt. Quidam enim dicunt, ſacra quæ hic ſeruantur, eſſe partem eorum ſacrorum, quæ à Boetis, translatas ex Samothracia ſeruabat. Dardanus enim ex inſula illa in Vrbem à ſe conditam ea transportarat, at Æneas, quum ex agro Troiano fugit, cum alijs hæc quoque in Italiam deportarat. Alij vero aſſerunt eſſe, Cœlo delapſum Palladium, quod apud Ilienſes erat, quodque Æneas, rei gnarus, ſecum portarat. Achiui enim ſimulachrum ad eius ſimilitudinem factum, ſurripuerant, de quo multa à poetis, & hiſtoricis ſcripta ſunt. At ego quædam ſacra vulgo incognita, & non ſolum ipſum ignem, à Virginibus ſeruari, ex plurimis indicijs colligo. Sed quænam hæc ſint, neque à me, neque ab alio quopiam eorum, qui pietatis in Deos ſunt ſtudioſi, curioſius inquirendum cenſeo. Virgines autem, quæ Deæ ſacris operabantur, initio quatuor erant, quarum optandarum ius, penes ipſos Reges erat, idque ex præclaris Numæ inſtitutis: poſtea tamen ob multitudinem ſacrorum, quæ peragunt, ad ſenarium numerum auctæ, in eodem numero ad noſtra vſque tempora permanent, & in Deæ Fano degunt, vnde interdiu, nullus, qui ingredi velit, arcetur, ſed nulli viro illic pernoctare fas eſt. Oportet autem illas puras à nuptijs manere per integros triginta annos, ſacra facientes, & reliquas ceremonias de more peragentes: quo tempore, decem primis annis ea myſteria diſcere oportebat, decem ſequentibus,

bus, ſacra facere, reliquis vero annis alias docere. Expleto vero triginta annorum tempore, nihil illis impedimento erat, quominus, infulis, & reliquis ſacerdotij inſignibus depoſitis, ex, quæ vellent, nuberent. Hoc autem perpaucæ fecerunt, quibus vitæ finis non optandus, neque admodum felix contigit: itaque reliquæ, earum caſum pro ominoſo accipientes, virgines vſque ad mortem apud Deam manent. Tunc vero in locum illius, quæ integro numero deerat, & quæ deſiderabatur, ſiue ob mortem, ſiue ob aliam cauſam, & caſum, alia à Pontificibus ſubſtituebatur. Honores autem illis à Ciuitate delati ſunt multi, & inſignes, quorum cauſa neque liberorum, neque nuptiarum deſiderium eas ſubibat. Graues autem pœnę ſtatutæ ſunt in earum delicta, quorum quæſitores, & vindices ex legibus ſunt ipſi Pontifices: alias quidem, quæ leuiter peccant, flagris cædentes: eas vero, quę ſtuprum paſſæ fuerint, fœdiſſimo & miſerrimo mortis genere necantes; viuæ enim in lecto, non aliter, quam mortuæ, funebri pompa efferuntur, eas deflentibus, & proſequentibus amicis, & cognatis; delatæ autem, vſque ad portam Collinam intra mœnia, in cella ſubterranea ad id parata, cum omnibus funereis ornamentis ſepeliuntur, ſine vllis monumentis, ſine parentatione, deniq; ſine ijs omnibus rebus, quæ defunctorum Manibus dari ſolent. Quum igitur ex multis alijs indicijs cognoſci poteſt an ſacerdos ſanctè & piè rei ſacræ operam nauauit, tum vero pręcipuè, ſi ignis extinguatur: quod malum Romani maximè omnium

nimium formidant, rati id excidium ciuitatis
portendere, quomodocumque id acciderit,
magnisque delinimentis, & curationibus pla-
cantes, ipſum referunt in templum. Digniſſi-
mum autem eſt quod hiſtoriæ mandetur, quo-
modo illa Dea, Virginibus iniuria accuſatis,
ſua præſentia manifeſtam opem tulerit. Qui
Deos de hominibus ſollicitos, eorumque cu-
ram gerere exiſtimant, atque adeo eos viris
probis propitios arbitrantur, & improbis in-
fenſos, ſi multas hiſtorias legerint, ne hinc
quidem incredibile iudicabunt, Deos homini-
bus apparuiſſe. Fertur igitur quondam igne
extincto ob quamdam negligentiam Æmiliæ
(quæ tunc eum ſeruabat, quæque alteri vir-
gini nuper in virginum Veſtalium ordinem
cooptatæ, & recens edoctæ, eius curam man-
darat) ingentes tumultus in tota vrbe ortos, &
à Pontificibus inquiſitio facta, ne forte ali-
quod piaculum à ſacerdote in ignis cuſtodia
admiſſum fuiſſet. Tum igitur aiunt, Æmiliam
inſontem quidem, ſed in tali caſu conſilij ino-
pem, præſentibus ſacerdotibus, & alijs vir-
ginibus, manibus ad aram extenſis dixiſſe:
Veſta, Romanæ Vrbis cuſtos, ſi ſanctè, & iuſtè
ſacra tua feci per tempus annorum fermè tri-
ginta, & animo puro, & caſto corpore, appa-
reas iam, & mihi opem feras, neque patiaris
tuam ſacerdotem miſerrimo mortis genere
perire. Quod ſi quid piaculi à me eſt commiſ-
ſum, meo ſupplicio piaculum ciuitatis expia.
His dictis, abſciſſam laciniam à veſte carba-
ſina qua induta erat, in focum proieciſſe:
poſt preces autem aiunt, ex cinere iam pridem
fri-

frigido, & nullam ſcintillam ſeruante, flammam ingentem per carbaſum emicuiſse, itaut Ciuitati nullis amplius expiationibus, aut igne nouo opus eſſet. ] Deinde ſequitur narrare de Tuccia accuſata, &, falſis teſtibus prolatis, damnata, in innocentiæ argumentum, cribro vacuo, & perforato, è Tiberi hauſtam aquam, ad forum vſque Romanum detuliſſe, & ad Pontificum pedes effudiſse.

*VRNA* eſt vas quo aquam è puteis, vel fluminibus haurimus, ita dictum, quod quum in aquam demerſum, inde rurſum emergat, vrinantis ſpeciem referat. Erat etiam vrna quædam menſuræ ſpecies, quatuor congios, ſiue amphoræ dimidium capiens. Et vas, in quo defunctorum cineres condebantur, vrna dicebatur. Hinc Cicero 1. Tuſculanarum: *Nemo vnquam ſine magna ſpe immortalitatis, ſe pro patria offeret ad mortem. Licuit eſſe otioſo Themiſtocli, licuit Epaminondæ, licuit, ne & vetera, & externa quæram, mihi, ſed neſcio quomodo inhæret in mentibus, quaſi ſeculorum quoddam augurium futurorum, idque in maximis ingenijs, altiſſimiſque animis, & exiſtit maximè, & apparet facillimè: quo quidem dempto, quis tam eſſet amens, qui ſemper in laboribus, & periculis viueret? loquor de principibus. Quid poetę? nonne poſt mortem nobilitari volunt? vnde ergo illud: Aſpicite ò Ciues ſenis Ennij imaginis vrnã.* Vrna etiam dicebatur vas, quo iudicum ſuffragia recipiebantur. Hinc Virgilius 6. AEneid. verſu 431.

*Nec vero hæ ſine ſorte datæ, ſine iudice ſedes*
*Quæſitor Minos vrnam mouet.*

Sed

ſed proprie eſt vas aquarium. Ad varios autem vſus, & lotiones, aqua erat templis neceſſaria, ideoque magna vrnarum copia in eis erat, à Veſtalibus ſeruata. Quæ prius argillaceæ erant, ſed demum, ingruente luxuria, cœperunt fieri ex auro, inde dictum hic aurum mutaſſe ſeu expuliſſe vrnas Veſtales.

*THVSCVM fictile.* Thuſcum denominatur quod eſt ex Etruria, nempe ea Italiæ regione, quæ à Macra fluuio Liguriam terminante, ad Tiberis vſque ripam, vnde incipit Latium, protenditur. In hac autem regione ſingulari artis plaſtica, vaſa argillacea laudatiſſima, quorum vſus erat, tum in propinquis, tum in diuitum, & Regum abacis, tum in templis, & Deorum ſacrificijs, & maxime laudabantur. Aretina Mart. l. 14. Epigr. 98.

*Arretina nimis ne ſpernas vaſa, monemus,*
*Lautus erat Thuſcis Porſena fictilibus.*

Et Iuuen. ſat. 11. verſ. 109.

*Ponebant igitur Thuſco farrata catino*
*Omnia tunc quibus inuideas, ſi liuidulus ſis.*

Et Plin. l. 35. cap. 12. *Elaboratam hanc artem Italiæ, & maxime Etruriæ, Turianumque à Fregellis accitum, cui locaret Tarquinius Priſcus effigiem Iouis in Capitolio dicandam: fictilem eum fuiſſe, & ideo miniari ſolitum; fictiles in faſtigio templi eius quadrigas, de quibus ſæpe diximus. Ab hoc eodem factum Herculem, qui hodieque materiæ nomen in Vrbe retinet. Hæ enim tum effigies Deum erant laudatiſſimæ; nec pœnitet nos illorum, qui tales coluerunt. Aurum enim, & argentum, ne Dijs quidem conficiebant. D. vero enim mihi pleriſque in locis talia ſimula-*

*la-*

*labra. faſtigia quidem templorum etiam in Vrbe crebra, & municipijs, mira cælatura et arte, ſuique firmitate certiora auro, certe innocentiora. In ſacris quidem, etiam inter has opes, non murrhinis, cryſtallinisue, ſed fictilibus prolibatur ſimpuuijs.* Inter cęteras autem diuinandi artes, quas ſuperſtitioſa Gentilitas amplexerat, vna erat haruſpicina, ſic dicta ab haruga, nempe hoſtia ( quæ dicebatur haruga ab hara, ideſt ſtabulo, quo ſeruabatur quouſque immolaretur.) Haruſpicina autem Romam ex Etruria delata, magno ſemper in honore fuit, adeo ut nemo quidquam alicuius momēti, aggredi auderet, abſque haruſpicum reſpōſis. Haruſpices autem erant Etrurienſes, qui diuinare profitebantur, ex inſpectione fibrarum, & extorum hoſtię immolatæ. Et quia oportebat eoſdem haruſpices pecorum cæſarū fibras, & interiora, ſubtili examine indagare, vt, ad artis præſcriptum, iudicium ferre poſſent de eo, quod fibræ promitterent, vel minitarentur, illorum manus ſepe ſanguine fœdabantur, ad quas purgandas, aqua opus habebant, quæ eis miniſtrabatur ex vaſis poſitis coram ipſos. Et hæc antiquitus fictilia erant ex Aretio, quæ hic dicuntur mutata in aurea. Aurum ergo in ſemplum mutauit templorum vaſa, & vtenſilia, pulſis inde argillaceis, vel ęreis; vt credi poſſit eueniſſe, quod quidam de noſtratibus dixit. Olim templorū vaſa fictilia erant, at ſacerdotes aurei: nunc contra templorum vaſa ſunt aurea, at ſacerdotes lignei. Hinc in Concilio Triburienſi ſub Papa Formoſo, anno Chriſti 895. Canone 18.

d.ci-

dicitur: [ Vaſa in quibus ſacroſancta conficiuntur myſteria, calices ſunt, & patenæ: de quibus Bonifacius Martyr, & Epiſcopus interrogatus, ſi liceret in vaſculis ligneis Sacramenta conficere, reſpondit: Quondam ſacerdotes aurei, ligneis calicibus vtebantur: nunc è contra lignei ſacerdotes, aureis vtuntur calicibus. Zephyrinus decimus ſextus Romanus Epiſcopus, patenis vitreis miſſas celebrari conſtituit. Tum deinde Vrbanus decimus octauus Papa, omnia miniſteria ſacrata fecit argentea. In hoc enim, ſicut & in reliquis cultibus, magis, & magis per incrementa temporum decus ſuccreuit Eccleſiarũ. Noſtris enim diebus, qui ſerui patrisfamilias ſumus, ne decus matris Eccleſiæ imminuatur, ſed magis cumuletur, & amplificetur, ſtatuimus, vt deinceps nullus ſacerdos ſacrum myſterium Corporis, & Sanguinis I. C. D. N. in ligneis vaſculis vllo modo conficere præſumat, ne, vnde placari debet, inde iraſcatur Deus. ]

*O CVRVAE in terras animæ, & cæleſtium inanes! quid iuuat hoc templis noſtros immittere mores, & bona Dys ex hac ſcelerata ducere pulpa?* Exclamatio eſt iſta aduerſus eos, qui nil ſapere, velle, aut cogitare videntur, niſi terrena, quibus ſi de cœleſtibus loqui volueris, tantundem erit, quantum ſi Arabica, vel alia ignota lingua loquaris. Hanc ſententiam porciſe ſuo more expreſſit Gregorius homil. 35. in Euangelia, dicens: [Hoc diſtare inter delicias corporis, & cordis ſolet, quod corporales deliciæ, quum non habentur, graue in ſe deſiderium accendunt; quum vero habitæ

eduntur

eduntur, comedentem protinus in faſtidium, per ſatietatem, vertunt. At contra ſpiritales deliciæ, quum nō habentur in faſtidio ſunt, quum vero habentur, in deſiderio, tantoque à comedente amplius eſuriuntur, quanto & ab eſuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia diſplicet: in iſtis appetitus vilis eſt, & experientia magis placet. Augent enim ſpiritales deliciæ deſiderium in mente dum ſatiant, quia quanto magis earum ſapor percipitur, eo amplius cognoſcitur, quod auidius ametur: & idcirco non habitæ amari non poſſunt, quia earum ſapor ignoratur? quis enim amare valeat, quod ignorat?] Nec ignorant tantum earum pretium mentes quorumdam, ſed eius ſunt penitus incapaces. In tales ergo pecuinas, & pluſquam brutales mentes in terras curuas, nihil preter terrena exiſtimantes, inſurgat nūc poeta, addens id, quod naturaliter inde ſequitur, vt ſcilicet tales ſint Cœleſtium inanes: nam quaſi cum Deo paciſci volunt, vt ſibi Cœlum habeat, dummodo terrena eis concedat. Niſi quod vt ipſi terrenas diuitias ſummum bonum faciunt, ſic eiſdem Deum exiſtimant oblectari, de quibus Petronius ait: *Quis vmquam venit in templum, & votum facit, ſi ad eloquentiam perueniſſet? quis ſi philoſophiæ fontem inueniſſet? Ac ne bonam quidem mentem, aut bonam valetudinem petunt, ſed ſtatim, antequam limen Capitolij tangant, alius donum promittit ſi propinquum diuitem extulerit, alius ſi theſaurum effoderit, alius ſi ad trecenties HS ſaluus peruenerit. Ipſe Senatus recti, bonique*

pre-

*præceptor, mille pondo auri Capitolio promittere ſolet: & ne quis dubitet pecuniam concupiſcere, Iouem quoque peculio exorat.* A talibus quærit poeta, quam ſperent vtilitatē ex introductione auaritiæ, morumque noſtrorum in templa, quum ille qui præcepit pſalmo 61. *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*, non oblectetur illis, quibus homines paſſim capiuntur. Ait ergo: *O curuę in terras animę*, quod eſt dictum metaphoricè, tranſlatione ducta à corporibus, quę tunc curuantur, quum violenter torquentur, & flectuntur ad partem aliam ab ea, ad quam naturaliter propendebant. Et quum homo nedum mente, ſed etiam corpore natus ſit erigi ad Cœleſtia, quo à brutis differt, iuxta illud Ouid. 1. Metamorph.

*Pronaq; quū ſpectent animalia cætera terras,*
*Os homini ſublime dedit, Cœlumque tueri*
*Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.*

Contra naturam eſt, ſi vel mente, affectu, & iugi cogitatione, brutorum more, ad terram ſpectandam flectatur: ideo merito contra tales exclamat, eos appellando mentes *curuas in terras, & cœleſtium inanes*, nam anima nihil ſapiens niſi terrena, cœleſtium bonorum eſt conſequenter vacua. Dicuntur autem Cœleſtia, tam quæ in Cœlis ſunt, vt ſtellæ, & Numina, quam quæ Cœlo veniunt, vt pluuiæ, nuncij, & gratia: & quę ad Cœlos ferunt, vt ſacramenta, & virtutum exercitia, & maximè virtutes heroicæ, quæ quamuis retineant nomina Politicarum, iuſtitiæ, prudentiæ, temperantiæ, & fortitudinis, ſunt tamen tanto his ſublimiores, quanto Cœlum terra eſt altius,

quę virtutes purgati animi dicũtur, in quibus ſi quis mortalium, heroës, & Cęleſtia imitetur Numina, ad hæc demũ, dãnata morte, migrabit. Et de his virtutibus, ſiue heroicis, & cœleſtibus, ſiue etiam de politicis, & communibus (nam hæ etiam infunduntur ſimul cum gratia, cui ancillantur) puto hunc locum intelligendum, quaſi diceret: animas curuas in terras, non ſapientes, niſi terrena, eſſe inanes, & vacuas Cęleſtium, videlicet virtutum quarumcumque, heroicarum, & politicarum, moralium, & intellectualium, & Diuinæ cognitionis, è Cœlo venientis.

*QVID iuuat hoc &c.* Rationem reddit poſitæ exclamationis, dum innuit nihil prodeſſe ſi noſtros introducamus mores in templa, vel ſi deliciarũ diuitiarumque copiam, eodem modo Dijs ſicut hominibus cordi eſſe credamus, quum tamen videamus multa aliquibus ſapere, quæ alijs nauſeam cient. Non enim omnes eumdem palatum, nec eamdem habent complexionem, adeout quæ vni ſalubria, alijs noxia eſſe experiamur. Quanto ergo potius, alia erunt bona Dijs ſenſuum expertibus, ideoque auerſantibus iucũda, & delectabilia ſenſibus; alia hominibus, iiſdem immerſis: maximè quũ eiſdem dominatum in rationem, & mentem permittunt. Non ergo ſunt ducenda, iudicanda, & extimanda eadem bona Dijs, quæ hominibus. Ducere enim eſt iudicare, vel extimare.

*SCELERATA pulpa.* Pulpa eſt in corpore animalis pars carnoſa, & ſine oſſibus, quam appellant etiam muſculum, & quę motus gra-

tia

tia neruorum fibris eſt circumſepta, conſperſaque venis,& arterijs: eamq; tenuis circumplectitur tunica. Sic Martialis lib.3. epig.54.

*Et pulpam dubio de petaſone voras.*

Dicta pulpa, vel à pulte,quod antiqui ea pulti mixta veſcerentur: vel à palpitando, nam quum ſit mollis,& tremula,ad omnem contactum; immo ferè ad tactus ſuſpicionem, palpitare videtur. Metaphoricè ſumitur pulpa pro carne delicijs diffluente, quæ eſt ſcelerata, quia voluptuoſi, per ſcelera, & flagitia, carni ſtudent gratificari. Sed hic pulpa eſt diuitiarum abundantia, quæ ſcelere fuit accumulata,omnis enim diues,aut iniquus eſt,aut iniqui hæres, iuxta Apoſtolum dicentem 1. Timoth.6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum,& perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt a fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.* Quæ etiam ad ſcelera impellit,eorum promittens impunitatem.

*HAEC ſibi corrupto caſiam diſſoluit olino, hęc Calabrum coxit uitiato murice, uellus, hæc baccham conchę raſiſſe, & ſtringere uenas feruentis maſſę, crudo de puluere iuſſit.* Hæc, cui tribuuntur ſequentia luxuriæ,& ſuperfluitatis opera, exiſtimat Caſaubonus eſſe mulierem, quia inquit, mulieribus, non item viris conueniunt expenſæ immodicę,& cultus pretioſus, nam & mundus muliebris appellatur. Verum mihi videtur, tò hæc, referendum ad pulpam ſceleratam, de qua proximè fuerat

locutus, ſiue hæc ſit diuitiarum abundantia, luxu, delicijſque, diffluere geſtiens, ſiue caro rationi imperans,& eiſdem frui appetēs. Hæc ergo caro,ſiue abundantia diuitiarum, diſſoluit ſibi, ideſt ad propriam oblectationem, aut vtilitatem, caſiam oliuo corrupto. Quamuis autem Græci caſiam ſcribant per duplex ſigma, Latini nihilominus nedum ſcribunt per vnum s, ſed inſuper primam corripiunt ſyllabam. Eſt autem duplex caſiæ genus, vnum quod κασσία συριγγῶδης, ideſt fiſtularis appellatur, & alio nomine ſiliqua Ægyptia, quæ caſia eſt teres,& oblonga, concretum in ſe continens atramentum, ſeptum, ex interuallo,lignoſis,tenuibuſque membranis,& immixta quædam oſſa habens, haud abſimilia his,quæ profert ceratonia,ſeu ſiliqua Græca: dicta caſia, quia quum ſit apibus grata, plerumque circa caſas,& aluearia ferebatur. Alterum iuxta Theophraſtum,eſt frutex,amerinæ ſalicis magnitudine, multis & ſurculoſis ramis brachiata, ſarmento craſſiore quā cinnamomi, & ſolo cortice commendata: de qua Plinius lib.12. cap.19. ait: *Frutex eſt caſia, iuxtaque cinnami campos naſcitur,ſed in montibus craſſiore ſarmento, tenui cute verius, quam cortice quem contra atque in cinnamomo,leuari, & exinaniri pretium eſt. Amplitudo fruticis, trium cubitorum: color triplex: quum primum emicat, candidus, pedali menſura:deinde rubeſcit, addito ſemipede: vltra nigricans. Hęc pars maximè laudatur, ac deinde proxima,damnatur vero candida. Conſecant ſurculos longitudine binum cubitorum; mox praſuūt,recentibus corijs*

*qua-*

*quadrupedum ob id interemptarum, vt ijs putreſcentibus, vermiculi lignum erodant, & excauent corticem, tutum amaritudine. Probatur recens maximè, & quę ſit odoris molliſſimi, guſtuue quam maximè feruens, potius quam lento tepore leniter mordens, colore purpureo, quæque plurima minimum ponderis faciat, breui tunicarum fiſtula & non fragili. Lactam vocant talem barbaro nomine: Alia eſt balſamodes ab odore ſimili appellata, ſed amara, idcoque vtilior medicis, ſicut nigra vnguentis.* Et eſt triplex, nigra ad purpuram declinans, roſæ referens odorem, dicta ziger; rubens, longior & anguſtior zigero, fiſtulis plena, odorem referens aromatum vino mixtorum, Luda, vel Daphnitis appellata Tertia, vſu vilior, albeſcens, odores florum mixtorum, moſyllitæ nominata. Fuerunt qui caſiam eamdem eſſe cum cinnamo putauerunt: ſed Plinius loco citato, & Perſius ſatyra 6. vt diuerſas nominant. Nec tamen id mirandum, quum & Galenus lib. 1. de antidotis doceat: ziger, quod eſt primũ caſiæ genus, adeo cinnamomum æmulari, vt pro eo vendatur, & ſæpe in ipſum tranſmutetur; & propterea medici volunt, duas caſiæ partes in medicamentis, eamdem habere vim, quam vnam cinnamomi. Idem vult Iſidorus lib. 17. cap. 8. dicens: *Caſia naſcitur in Arabia, virga robuſti corticis, & purpureis folijs ut piperis: eſt autem uirtuti cinnamomi ſimilis, ſed potẽtia inferior, vnde pro cinnamomi vice, duplex eius pondus in medicamentis admiſcetur.*

*CORRVPTI oliui* nomine vnguentum intelligit, vt & Virg. 2 Georg. verſu 466.

*Nec caſia liquidi corrumpitur vſus oliui.*

Quamuis enim apud philoſophos, quādo res, pe forma imperfecta tranſit ad perfectam, generari dicatur potius, quam corrumpi, eſto imperfectior deſinat eſſe, & ita quum vnguentum pretioſius habeatur, quam oleum, huius in illud tranſmutatio, generatio magis quam corruptio videri poſſit: nihilominus quia forma vnguenti, vtpotè artificialis, accidentalis eſt, olei vero, quia naturalis, ſubſtantialis, & forma ſubſtantialis ſimpliciter accidentali perfectior reputatur, merito oliuum ſiue oleum, in vnguentum mutatum, dictum eſt corruptum. Vnguenta autem quælibet, oleum habent admixtum, & huius in vnguentariorum apothecis frequentiſſimus eſt vſus, nam oleum eſt materia apta, ſuſcipiendis, & conſeruandis odoribus. Indeque factum, vt eo tempore, quo Lycurgicarum legum obſeruantia Lacedemone viguit, myreptica ab ea Vrbe penitus exulauerit, & quum myreptæ inde pellerentur, hanc eius decreti rationem Iudices reddiderũt, quia oleum diſperderent. Moris autem fuit, vt frequentiſſimè vngerentur, maximè quum ante cœnam, vel prandiũ, balneari vellent, & hoc ex præſcripto artis medicæ, ſiue ad reſtaurandam ſanitatem, ſiue ad vires fouendas, & reparandas: ſed demum gliſcente intemperantia, contra moderamen artis medicæ, cẽptum vti balneis, & vnctionibus ob ſolam delectationem, vt de Claudio Imperatore legamus, eum vſque ſepties in die balneari conſueuiſſe, quod ſaluti noxium eſt, vnde eſt illud Petronij Afranij in Catalectis veterum poetarum;

*Bal-*

*Balnea vina Venus, corrumpũt corpora noſtra,*
*Et vitam faciunt balnea, vina, Venus* Vel
*Conſeruant eadem balnea, vina, Venus.*

Quod ergo hic dicitur, abundantiam diuitiarum, vel luxuriam ex opibus natam, corrupiſſe ſibi, & ad propriam delectationem, caſiam oliuo, ſignificat, antiquos, quando mores erant innocentiores, ſimplici vſos oleo in vnctionibus: ſed quum creuiſſent diuitiæ, irrepſiſse faſtidium olei communis, & cœpiſſe vsũ pretioſiſſimorum vnguentorum ex caſia, in quod vnguentum mutatum fuiſſe oleum.

*HAEC Calabrum coxit vitiato murice vellus* ideſt, eadem ſenſualitas, vel opum abundãtia, induxit, vt homines induerẽt veſtes pretioſas. Calabrum autem vellus dictum eſt per ſenecdochen materiæ pro materiato, pro veſte confecta ex lana Calabra. Sed quæ nunc Calabria dicitur, & diuiditur in ſuperiorem, & inferiorem, ſeu vlteriorem, & citeriorem, alijs nominibus nota erat antiquis: nam ſuperior ſita vltra pharum Meſſanenſe, Magna Græcia dicebatur: Citerior vero, & Inferior, Brutia eiſdem erat. Quam vero illi Calabriam, & temporibus antiquioribus Meſſapia, & Salentina, & Iapygia dicta fuit, ſubſecutis & noſtris temporibus, dicta eſt Terra Hydruntina, vnde de Ennio (qui abſque dubio Rudijs natus fuit, oppido iam diruto, cuius veſtigia viſebantur iuxta Meſſapiam in Salentinis) dictum ab Ouid. 3. de Arte:

*Ennius emeruit Calabris in montibus ortus,*
*Contiguus poni Scipio Magne tibi.*

In hac ergo regione, nunc dicta Terra Hydrun-

druntina, antiquitus Calabria (quæue eſt extrema Italiæ, peninſulæ formam referens, cuius Iſthmus à Tarento Brunduſium, diei itinere conficitur, non enim eſt amplius, quam ſtadiorum tercentum) oues paſcebantur, quæ ob paſcuorum copiam, & qualitatem, lanam creabant molliorem, excellentioremque: quam ne inquinarent, pellibus alienis tegebant. Omnium autem præſtantiſſima erat lana ouium, quibus paſtura erat in agro Tarentino iuxta fluuium Galeſum, eiuſdem Vrbis agros rigantem, quadraginta ſtadijs ab ea fluentem. Vnde Statius in Lacrymis Etruſci lib. 3. ſiluarum verſu 92.

*Quodq; legit merſus pelagi ſcrutatus Eoi,*
*Et Lacedemonij pecuaria culta Galeſi.*

Sic Hor. 2. carm. ode 6.

*Dulce pellitis ouibus Galeſi*
*Flumen, & regnata petam Laconi*
*Rura Phalanto.*

Sed quamuis hæ oues in Calabria, & agris Salentinorum, ſeu Hydruntinis paſcerentur, excurrebant nihilominus ad alias circumuicinas regiones, vt ad Magnam Greciam, Dauniam, Peceтiam, & Sannium, in quibus pro tempore exuberans paſtura, & vtilis erat prouentus. Et nunc etiam oues in eiſdem regionibus paſcuntur, æſtate quidem in Sannio, Veſtinis, Pelignis, Marſis, & circumpoſitis agris, hyeme vero in Salentinis, & regionibus vicinis. Hinc lanæ ſunt pretioſæ, & magno à mercatoribus habitæ.

*VITIATO murice.* Murex in primis dicebatur acumen, ſiue aſperitas ſcopuli, aut ſaxi pro-

prominentis. Ita Virg. 5. AEn. verſ. 205.

*Concuſſæ cautes, & acuto in murice remi*
*Obnixi crepuere.*

Secundo murex dicebatur machina ferrea, forma tetragona, quæ, modo quocumque poneretur, vnum ſaltem infeſtum protendebat aculeum: qua vtebantur ad hoſtium prohibendas excurſiones. Hinc Valer. Maximus l. 3. cap. 7. dicit: *Auiti ſpiritus egregius ſucceſſor Scipio AEmilianus, quũ Vrbem præualidam obſideret, ſuadentibus quibuſdam, vt circum mœnia eius ferreos murices ſpargeret, omniaque vada tabulis plumbatis conſterneret, habentibus clauorum acumina, ne ſubita eruptione hoſtes in præſidia noſtra impetum facere poſſent: reſpondit, Non eſſe eiuſdem, & capere alios velle, et timere.* Hos murices alij, cum Vegetio lib. 3. rei militaris cap. 24 tribulos appellant, ſic enim ait: *Vbi ad pugnam ventum eſt, repente toto campo Romani tribulos abiecerunt, in quos currentes quadrigæ, quum incidiſſent, deletæ ſunt. Tribulus autem eſt, ex quatuor palis confixum propugnaculum, quod quomodocumque abieceris, tribus radijs ſtat, & erecto quarto infeſtum eſt.* Verum hic muricis nomine intelligitur piſcis è concharum genere, per excellentiam conchylium nominatus, quique erat inter menſarum delicias: ex eo enim habebatur humor, ſiue ſanguis, & color, dictus etiam murex, & conchylium, à quo appellabatur veſtis conchyliata, nempe tali infecta colore. Hinc conchylia ſic quæruntur apud Martialem lib. 13. epigrammate 81.

*Sanguine de noſtro tinctas ingrate lacernas*

*Induti, & non eſt hoc ſatis, eſca ſumus.*

Muricis nomen per ſenecdochen ſumitur pro quocumq; purpuræ colore. Purpura vero eſt etiam piſcis è concharum genere, in faucibus habens liquorem, lanis tingendis aptiſſimum: & hæ conchæ præſtantiſſimæ erant apud Tyrum Phœniciæ Vrbem: eiuſq; tincturæ vſum ibi, hac occaſione, ferunt repertum. Quum per ea incederet littora Alcides, in comitatu habens Tyron puellam, ſuam heromenam, accidit, vt eiectam è mari concham, canis inueniret, & depaſceret, eiuſque rictus conchæ ſanguine inficeretur: quem quum puella vidiſſet, eoque fuiſſet oblectata colore, Herculi iurauit, ſibi poſtilla numquam cum ea rem futuram, niſi eiuſdem coloris veſtem reportaſſet. Ideo Hercules, collectis conchis, ſanguinem ex eis extraxit, quo lanam infecit, & ex ea veſtem Tyro texendam, faciendamque curauit. Indeque purpuræ tingendæ vſus inualuit. Quod autem dicitur, *Coxit*, propriiſſimè dictū eſt, nam tinctores, lanam in humore, ſeu colore coquunt, aliqquin color non penetraret intima lanę, ſed ſuperficietenus inhęrens, facilè diſſiueret. Similiter quod dicit, *Vitiato murice*, ſignificat ſanguini piſcis addi aquam, & quædam alia, quibus vitiatur, ſeu inquinatur. Vel interuenit hic caſuum, vel compoſitionis cōmutatio, vt vellus vitiato murice, ſit vellus vitiatum colore muricis.

*VELLVS* quamuis transferatur ad alia, vt ad arborum, & ramorum folia, quibus plantę, haud ſecus ac oues lanis, veſtiuntur, iuxta illud Nucis, dicentis apud Ouid. carm. de Nuce:

*At ſimul induimus noſtris ſua vellera ramis*
*Saxa nouos fructus grandine plura petunt.*

Vel ſi hic pro vellera, munera mauis legere, certè Virgil. 2. Georg. verſ. 120. ait:

*Quid nemora AEthiopum molli canentia lana?*
*Velleraque ut folijs depectant tenuia Seres?*

Propriè tamen dicitur de lana ouium: ſed ſępe pro ipſis ouibus ponitur. Sic Iuue. ſat. 12. v. 4.

*Par vellus dabitur pugnanti Gorgone Maurę.*

Et pro pelle cum lana; ſic Virg. 7. Æn. v. 94.

*Atq; harum effultus tergo, ſtratiſq; iacebat*
*Velleribus.*

Sæpe pro lana pecori inhærēte Idē Ecl. 3. v. 94

*Parcite oues nimium procedere, non benè ripæ*
*Creditur, ipſe aries etiam nunc vellera ſiccat.*

Sed propriè ſumitur pro lana dempta ex oue, ita dicta, quia ante inuentam rationem oues tondendi, lanam ex illis vellebant. Hinc Varro R. R. lib. 2. cap. 11. ait: *Quidam has bis in anno tondent, vt in Hiſpania citeriore, ac ſemeſtres faciunt tonſuras, duplicem impendunt operam, quod ſic plus putant fieri lanæ, quo nomine quidam bis ſecant prata. Diligentiores tegeticulis ſubiectis oues tondere ſolent, ne flocci intereant. Dies ad eam rem ſumuntur ſereni, & ij id faciunt ferè à quarta ad decimam horam, quoniam ſole calidiore tonſę, ex ſudore eius, lana fit mollior, & ponderoſior, & colore meliore. Quam demptam, & conglobatam alij vellera, alij volumina appellant. Ex quorum vocabulo animaduertiſ licet prius lanæ vulſuram, quam tonſuram inuentam. Qui etiam nunc vellunt, ante triduo ieiunas habent; quod languidę minus radices lanæ retinent.*

*BACCA* cum duplici C, & ſine aſpiratione, eſt fructus arborum diuerſorum generum, corni, oliuę lauri, myrthi, & ſimilium: & differt ab acino, quod acini denſius naſcantur, vt in vuis, licet acini nomen generalius acceptum, nedum vuas, ſed et baccas, immo, & frumenti, & mali punici grana comprehendat. Hic vero baccæ nomine intelligitur margaritum, nempe gemma candida, quam dicimus vnionem, quia ſola in concha naſcitur: bacca quidem quia in figura, & quantitate, oliuę vel hæderæ baccã imitatur, conchæ vero bacca, quia in concha naſcitur, & ex ea lima deraditur. Cõcha vero, quia Veneri grata credebatur, eo quod Venus in Cõcha nata fingebatur, Cytheriaca dicta à Mart. lib. 2. epi 46 his verbis;

*Subdola famoſæ moneo, fuge retia mœchę*
*Læuior ò conchis Galla Cytheriacis.*

Huiuſmodi autem conchę, quum mane, oriente Sole apricantur, Cœleſtem rorem ſuſcipientes, eo ſeipſas, & vnionem nutriunt, redduntque maiorem. Laudantur autem vniones læuore, candore, pondere, magnitudine, & figura orbiculari; præſtantiores etiam iudicantur nati in littoribus Orientis, vtpotè candidiores, nam venientes ex littoribus Britannię, maculati ſunt, colориſque ſubfuſci, ideoque minoris æſtimantur. Ita paſſim authores: ſed Io: Baptiſta Tauernier refert, reperiri conchas cum pluribus vnionibus, & pleraque alia non cohęrentia antiquorum dictis: fides ſit apud authores: Senſualitas ergo, vel opum abundantia, docuit raſiſſe, vel radere baccam, ſiue vnionem, è concha, nam lima opus eſt, vt inde colligitur, vt dicebamus.

STRIX

STRINGERE propriè eſt arctare, & in locum minorem redigere, ſiue id vinculis, & catenis fiat, ſiue alio quocumque modo, vnde manipuli, & herbarum faſciculi, ſtricti dicuntur à Virgilio Ecloga 9. verſu 60.

*hic vbi denſas*
*Agricolæ ſtringunt frōdes, hic Mæri canamus.*

Eſt etiam attenuare Ouid. 2. Triſtium:

*Sic ego delicias, & mollia carmina feci*
*Strinxerit vt nomen fabula nulla meum.*

Sæpius eſt alligare. Sic Plautus Pſeudolo Act. 1. ſcena 2.

*cras te, quaſi Dircen olim, vt memorant, duo gnati Iouis*
*Ad taurum deuinxere, item hodie te ſtringam ad carnarium.*

Et iuxta eamdem ethimologiam eſt malleo tundere, vt videmus in ferro ignito, quod malleo ſuper incudinem percuſſum, radios eiaculatur, quos ſtrictas appellant. Et quia res ſic arctata, minorem occupat locum, quādocumq; aliquid in minorem cogitur locum, ſtringi dicitur, vt accidit in auro, argento, ære, & ſimilibus, quæ ex ramētis, ſiue venis, & terra, cui erant admixta, vi ignis ſeparantis ethe. rogenea, omogenea vero congregantis, in vnā rediguntur maſſam, & ita ſtringuntur. Dicit ergo, quod hæc, ſiue diuitiarum abundantia, ſiue ſenſualitas, & carnis mollities, delitijs affluere volens, iuſſit inueſtigare aurum ex venis, & aurifodinis: & illius venas, atque ramenta ſtringere vi ignis, cogereque illud fluere in locum minorem, quod eſt illud ſtringere, nam prius, quum foret terræ, & ſcoriæ

admixtum, maiorem occupabat.

*VENAE* propriè ſunt receptacula ſanguinis admixti ſpiritibus vitalibus: ſed metaphoricè venæ dicuntur meatus ſubterranei, per quos manant aquæ, & alij liquores. Venæ etiam ſunt metallorum origines, & eorum loca natiuitatis: hinc nominamus venas auri, ferri, argenti, & ſimilium, in quibus non eſt aurum, vel ferrum purum, ſed terræ, ſiue luto, & alijs mineralibus immixtum, cum quibus vna effoditur, & in ignem coniectum, illius ope, ab etherogeneis, ſeu diſſimilibus ſeparatur, & purificatur, atque ita in vnam conflatur maſſam, quæ hic denominatur feruens, vtique propter ignis actionem, qua ſeparata fuit ad ætherogeneis, quibus in venis fuerat admixta. Et eam maſſam dicit ſtrictam de crudo puluere, ideſt de luto, & alijs, quibus immixta, antequam per ignem ſepararetur, maiorem occupabat locum. Hæc autem facere iuſſit diuitiarum numquam explebilis abundantia iuxta illud Iuuen ſat. 14. v. 141.

*Creſcit amor nũmi, quãtũ ipſa pecunia creſcit.*

Hæc enim, quum habitis ſatiata non fuerit, ad plura habenda, aurifodinas explorare iuſſit. Vel id iuſſit caro non contenta neceſſarijs, ſed inutilia, & ſuperflua quærens.

*PECCAT, & hęc peccat, uitio tamen utitur, at uos dicite Pontifices, in ſacro quid facit aurum? nempe hoc, quod Veneri donatæ à uirgine puppę.* Peccat & hæc peccat Duas introducere perſonas videtur, & vtramque dicit peccare, ſed vnam grauius, quam alia, quia excuſationem ſui peccati prætendere poteſt, alia vero

et o non. Et videtur comparare peccatum vanitatis, ſeu ſuperfluitatis, commiſſum ab opiparè, ſtudiosè, ac curiosè indulgente cibis, potibus, veſtibus, & reliquo corporis, & domus apparatui: cum alio, ſimiliter vanitatis peccato, commiſſo ab expendente ſuas diuitias in ſacrificijs, & ornatu templorum. Quorum vtrumque dicit peccare, ſed primum aliquam habere excuſationem, non enim peccat ex affectu peccati, ſed abſtractus, & illectus concupiſcentia, & ſenſu, cui tales delicię conformes ſunt, & ſuaues: vnde, dummodo non conſtituatur vltimus finis in illis, peccatum non erit exitiale: & ita bene dictum, hunc vti vitio. Vt enim docet Auguſtinus lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 25. *Propriè fructus fruentis, vſus vero vtentis eſt: atque hoc intereſſe uidetur, quod ea re frui dicimur, quæ nos, non ad aliud referendo, per ſeipſam delectat: uti uero ea re, quam propter aliud quærimus: unde temporalibus magis utendum eſt, quam fruendum, ut frui mereamur æternis: non ſicut peruerſi, qui frui uolunt nummo, uti autem Deo, quoniam non nummum propter Deum impendunt, ſed Deum propter nummum colunt.* Terrena ergo à Deo nobis conceſſa fuere, vt eis vtamur, vnde non peccat ſi quis eis vtatur, non conſtituendo in eis vltimum finem. At qui aurum in ſacrificijs, & templorum expendit ornamentis, diuitijs abutitur abſque ſua vtilitate, namque Dij his non indigent, nec eis oblectantur: & ideo quum hic peccaret ſciens, & volens, non vero victus aliqua paſſione, grauius peccabat, cæteris paribus, quam ille, qui ſuperatus à concupi-

cupiſcentia idem committebat. Et licet, quia concupiſcentia auget rationem voluntarij, peccatum ex concupiſcentia ortum, videatur grauius eo, ad quod nulla erat naturæ procliuitas: nihilominus D. Thomas Aquinas 1. 2. q. 73. art. 6. ad 2. ait: *ſi ſub concupiſcentia includatur etiam ipſe motus voluntatis, ſic vbi eſt maior concupiſcentia, eſt maius peccatum. Si uero concupiſcentia dicatur paſſio quædam, quæ eſt motus vis concupiſcibilis, ſic maior concupiſcentia præcedens iudicium rationis, & motum voluntatis, diminuit peccatum: quia qui maiori concupiſcentia ſtimulatus peccat, cadit ex maiori tentatione, unde minus ei imputatur. Si vero concupiſcentia ſic ſumpta, ſequatur iudicium rationis, & motum voluntatis, ſic vbi eſt maior concupiſcentia, eſt maius peccatum: inſurgit enim interdum maior concupiſcentiæ motus, ex hoc, quod voluntas ineffrenatè tendit in ſuum obiectum.* Perſij ergo ſententia eſt, quod quamuis peccent homines conſumentes diuitias, in vſu proprij corporis, ſiquidem animus ſic ſenſibilibus irretitus, & intentus, auocatur à ſtudio ſapientiæ, immergiturque corporalibus & lutulentis. Verum quia corpus ipſum eſt pars humanæ naturæ, quam conſeruare iubemur, qui ad ipſum fouendum, delicijs, & diuitijs vtitur, etiam ſi, aliquantiſper excedendo, peccet, minus tamen delinquit quam illi, qui eaſdem diuitias Dijs, eas non curantibus, offerunt, vnde Cicero l. 2. de legibus ait: *Ad Diuos adeunto caſtè, pietatem adhibento, opes amouento*. Et infra eodem libro, legis rationem reddens, inquit: *Quod autem pietatem adhiberi,*

*opes*

*opes amoueri iubet, ſignificat pietatem gratam eſſe Deo, ſumptum eſſe remouendum. Quid enim paupertatem cum diuitijs etiã inter homines eſſe æqualẽ velimus? quur eã ſumptu ad ſacra addito Deorum aditu arceamus? præſertim, quum ipſi Deo nihil minus gratum futurum ſit, quam non omnibus patere ad ſe placandum, & colendum viam.* Et propterea à Pontificibus petit, quid aurum in ſacro faciat. Erat enim Pontificum, vt ſacrorum antiſtitum, cæremoniarum reddere rationes, & quur templorum vaſa, ex hac potius, quam ex illa materia fieri deberent. Ethnicæ huic Ciceronis, & Perſij ſententiæ, Caluiniſta, templorum omnium, & ſacrorum oſor, Iſaac Caſaubonus ſubſcribit. Et licet iuxta philoſophorum omnium placita, negare non audeat Dijs munera, & ſacrificia eſſe offerenda, docet nihilominus, templa multa fuiſſe, in quæ nefas fuerit aurum inferre, ideoque ædes illas ingreſſuri, aurum ante fores deponebant; ſicque ſacrilegij abſoluit ſuos Conſacraneos Caluiniſtas, templorum expilatores: etiam ſi Numerorum 31. dicatur: *Quum acceſſiſſent principes exercitus ad Moſen, tribuni, & centuriones dixerunt: Nos ſerui tui recenſuimus numerum pugnatorum, quos habuimus ſub manu noſtra, & ne unus quidem defuit: ob hanc cauſam offerimus in donarijs domus Domini ſinguli, quod in præda auri potuimus inuenire, periſcelides & armillas, anulos & dextralia, ac murenulas, vt depreceris pro nobis Dominum. Suſceperuntque Moſes, & Eleazar ſacerdos omne aurum in diuerſis ſpeciebus, pondus ſanctuarij ſedecim millia ſeptingentos quinquaginta*

*ginta ſiclos.* Quibus verbis relatis, addit Concilium Aquisgranenſe ſecundum, celebratum anno Domini 836. ſub Gregorio Papa IV, & Ludouico Pio lib 1.cap.36. [ Si populus carnalis, de prçda hoſtium ſuorum, quam cœpit, donaria grata Deo obtulit, & his datis, vt pro ſe oraretur, poſtulauit, Deumque ſibi placabilem fecit: cauendum omnino, immo expaueſcendum illis eſt, qui precioſo Chriſti ſanguine ſunt redempti, & ab alijs fidelibus Deo oblata, & conſacrata, immo ſanctificata, contra fas auferunt, & in ſuos illicitos vſus retorquent, ne fortè, ſicut memoratus populus de donarijs, quæ Deo contulit, eum ſibi propitium fecit: ita è contrario, quod abſit, illi de aliorum, Deo, Eccleſiæque ſanctæ ſuæ oblatis rebus, eum ſibi iratum faciant, ſuumque immenſum furorem in ſe prouocent, & , quod plurimum pertimeſcendum eſt, eius iuſto iudicio in prædam hoſtium ſuorum, non ſolum viſibilium, verum etiam inuiſibilium, incurrant. Et eiuſdem Concilij lib. 2. cap.11. dicitur: Iuſſit Dominus ſibi, ſuoque tabernaculo diuerſa donaria , & non alia niſi precioſa offerri, & ea penitus non eſt paſſus auferri . Et lib.3. cap 9. ait: Scribit B. Hieronymus in expoſitione Euangelij Matthæi, ita: *Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit*. Quod vos putatis perditionem eſſe vnguenti, officium ſepulturæ eſt. Nec mirum ſi mihi bonum odorem fidei ſuæ dederit, quum ego pro ea fuſurus ſim ſanguinem meum. Multi ſanè ſunt hodie, qui Chriſtiano cenſentur nomine, qui ad inſtar Iudæ di-

dicere ſolent, ſuper his, quæ aut Domino cõſacrata ſunt, aut conſacrantur, aut conſacrari decernuntur, Vt quid perditio hæc? putantes perditionem eſſe, quæ Eccleſiæ, miniſtriſq; eius, ac pauperibus ob amorem Dei ſunt cõmodata. Animaduerti namque non inconuenienter poteſt, quod ſicut vnguentum Mariæ, Chriſtus ad officium ſuæ ſuſcepit ſepulturæ, ita nimirum vota fidelium ſuſcipiat ad officiũ ſanctæ ſuæ Eccleſię. ] Verum, aurum templorum vſibus adhibitum, omnes paſſim narrant hiſtorię. Sic Romæ auro nitebant templa omnia, & maxime Iouis Capitolini: ſic in Græcia in primis Delphicum, cui à ſolo Crœſo hæc narrat oblata Herodotus in Clio: *Ingentibus hoſtiis Deum, qui eſt apud Delphos exorandum ſtatuit: immolauit enim pecora, quæ fas eſt immolare, numero tria millia. Fulcra, & aurea, argenteaque, ad hęc phialas aureas, & amictus purpureos, ac tunicas, ingenti pyra extructa concremauit, ſperans aliquanto magis his rebus propiciari Deum. Iuſſis etiam Lydis omnibus, ut ſua ipſorum, quidquid tale haberet quiſque, immolaret. Quo ex ſacrificio, quum immenſa vis auri defluxiſſet, ex ea dimidiatos lateres deformauit, longiores, vt inſcripſit; ſex palmorum, breuiores trium, craſſitudine palmari, numero centum decem, & ſeptem: quorum quatuor erant auri excocti, ſinguli pondo duorum, & dimidii talenti: cæteri vero albidi, pondo binum talentorum. Fecit leonis quoque effigiem ex auro excocto, decem talentorum pondo: qui leo dum templum Delphicum deflagrauit, á ſemilateribus decidit, (ſuper illos enim erat collocatus,) et nunc*

*in*

*in Corinthiorum theſauro repoſitus eſt, pondo ſex talentorum, atque dimidii, eliquatis tribus talentis ac dimidio. Hęc Crœſus vbi perfecit, Delphos miſit, cumque eis hæc alia, duas grandi forma pateras, auream argenteamque, quarum aurea intrantibus templum ad dexteram poſita erat, argentea ad ſiniſtram: quæ & ipſę, quum templum incenſum eſt, amotæ fuerunt, aureaq; in Clazomeniorum theſauro poſita, pondo talentorum octo, & dimidii, præterea mnarum duodecim: argentea ad ſuggrundam anguli templi, ſexcentorum amphorarum capax, in quam miſcebatur vinum à Delphis Theophaniæ feſto: opus vt Delphi aiunt, Theodori Samii, vt & ego arbitror. Non enim mihi videtur opus temere factū. Miſit præterea dolia argentea quatuor, quæ in Corinthiorum theſauro ſtant. Donauit item aquiminaria duo, aureum argenteumque.* Sic Babylonicum Beli, de quo idem Herodotus etiam in Clio ait: *In Babylone ſacellum eſt inferius, quod Iouis magnam habet ſtatuam, eamque auream, pone menſam & ipſam auream, ſimul & ſuſtentaculum cum ſella, omniaque aurea, adeout Chaldæi octingentorum talentorū auri opus æſtiment. Extra templum altare eſt, & ipſum aureum, atque præter hoc aliud altare ingens, in quo ſollemnes hoſtiæ immolantur, quandoquidem aureum illud non licet hoſtiarum ſanguine polluere, præterquam lactentium. Inſuper in hoc maiuſculo altari, Chaldæi quotannis centum millia talentorum libanoti adolent, quando huic ſuo Deo ſacra faciunt. Eratque in hoc templo etiamnum illo tempore, ſtatua duodecim cubitorum è ſolidę auro.* Sic in Epyro Iouis Dodo-

rei,

regi, ſic in Ægypto Apidis, ſiue Oſyridis: ſic in Ethiopia Iouis Hammonij: ſic templum Iunonis Argiuæ, ſic Æſculapij Epidaurienſis, ſic Veneris Paphię, ſic Cereris Ennenſis, ſic Mineruæ Atticæ, ſic, omnium celeberrimum, Dianę Epheſię. In his omnibus templis immenſę ſeruabantur diuitiæ, Numinibus illis à ſuis cultoribus, & credẽtibus oblatę, & plerũque Dij ipſi ex auro erant, niſi forte fingebantur è ligno, vel argilla ad vitanda cuſtodum impendia: ſiquidem fures, aureos ſubripere ſtudent, argillacei ab illis ſunt ſecuri, vt dicitur à D. Ioanne Damaſceno in vita Sanctorũ Barlaam, & Ioſaphat cap. 31. [Quid igitur rebus ſenſus expertibus blandiris? Quid mente carentibus, & inutilibus aſſides? Niſi latomi, aut architecti, aut malleatoris ars adeſſet, Deum non haberes. Niſi cuſtodes præſto eſſent, Deum tuum amiſiſſes. Nam quem ſæpe ſtolidorum hominum copioſiſſima vrbs, tamquam Deum, vt ab eo cuſtodiatur obſecrat, cum eo ipſo pauci cuſtodes, ne ſurripiatur, remanent. Ac ſi quadam ex argento, vel auro conſtet, diligenter cuſtoditur: ſi autem ex lapide vel argilla, aut alia quadam viliori materia, ſeipſum cuſtodit. Ita de veſtra ſententia valentior eſt is, qui ex argilla, quam qui ex auro conflatus eſt.] Sed quod his omnibus maius eſt, in ſcriptura diuinitus reuelata, nedum habemus 1. Regum 6. Philiſtæos mures, & anus aureos obtuliſſe arcæ fœderis Domini, ſed & commendari Salomonem 3. Regum 6, & 2. Paralip. 3. quod templum excitauerit vni vero Deo, in quo, præter aurum ferè nihil
cer-

cerneretur, & in quo omnia vaſa miniſterij erant aurea. Immo quum Moſes in deſerto, arcam, tabernaculum, & ſacrificiorum vaſa conſtruere deberet, Diuino mandato obtemperans, omnia ex auro, gemmis, vel alia pretioſa materia compoſuit, vt conſtat ex lib. Exodi cap. 25. & deinceps: non quod Deus ijs terrenis indigeret, aut eis oblectaretur, ſed quod ijs teſtatam vellet, ſuorum erga ſe voluntatem, qua pretioſa quæque, à Nationibus tantopere extimata, ſibi, vt ſuper omnia dilecto, libenter offerrentur. Ipſe enim, ratione ſupremi dominij, quod multis titulis, ſed maximè creatione, in nos habet, nedum omnia noſtra, ſed & nos ipſos, ſibi fecit obnoxios: ideoque in ſignum noſtræ deuotæ ſeruitutis, illi, non vilia, quemadmodum Cain, cuius munera reprobata fuere Geneſis 4, ſed electiora, ac magis pretioſa, offerre debemus. Inter pretioſa vero, nihil auro præſtantius, & ideo hoc in templis, Diuino Nomini offerimus, & ex eo ſacri miniſterij vaſa, reliquamque templorum ſuppellectilem conſtruimus, non quod Deo abſolute interſit, num vaſis ex hac, vel illa materia compoſitis ei ſacra fiant, ſed tum ob rationem jam dictam, tum ob cæremoniarum decorem, & maieſtatem, tum etiam ad excitandam populorum deuotionem, atque reuerentiam, quæ naſcitur dum cernunt diuitias, quibus illi ſeruitur: vnde de Regina Saba legimus 3 Regum cap. 10. quod viſis diuitijs templi Domini, non habebat vltra ſpiritum. Apage ergo, ex corrupto cordis fonte manans riuus putridus blaſphemæ orationis Caſauboni.

boni. Congruentius certè protulit Bernardus, hunc ipſum verſum, vnius tantum vocis factâ mutatione, dum ait: Dicite Pontifices, in ſigno quid facit aurum. Verè namque indecens videtur, Apoſtolorum, nempe pannoſorum, diſcalceatorumque ſucceſſores, tanta & tam inutilis diuitiarū profuſio, qua eorum aliqui, non contenti aurum habere in zonis, arcis, & marſupijs, illud cōſumūt in mēſis, & triclinijs, & quod magis eſt in ſellis, ſignis equorum ephippijs, in alendis canibus venaticis, & pretioſiſſimis aulæis veſtiēdis domus parietibus, dum interim pauperes, eorum curæ commiſſi, & quorum opes Eccleſiaſticæ cenſentur propriæ, fame tabeſcunt, & frigore moriuntur. Quod paucorum his temporibus vitium, vtinam penitus ab Eccleſiaſticis profligaretur, nam illi in extremo examine duriſſimum inſtat iudicium, quando qui ſua pauperibus diſtribuerunt, beatitudine donabuntur.

*PVPÆ* Pupus, & pupa dicebantur puer, & puella, teneræ adhuc ætatis. Hinc Auſonius de Biſſula Edyllio 8

*Barbara, ſed quæ Latias uincis alumna pupas.*

Et Martialis lib. 4. epig. 20 inquit:

*Dicit ſe uetulam, quum ſit Cærelia pupa*
*Pupam ſe dicit Gellia, quum ſit anus.*

Sic Lactantius lib. 2. cap. 4. *Non placebat Perſio, quod aurea uaſa templis inferantur, ſuperuacuum putanti eſſe inter religiones, quod non ſanctitatis, ſed auaritiæ ſit inſtrumentum. Illa enim ſatius eſt Deo, quem rectè colas inferre, pro munere.* Compoſitum ius, faſque animi, ſanctoſque receſſus Mentis, & incoctum generoſo pe-

pe-

pectus honeſto. *Egregiè ſapienterq;ſenſit. Veriū illud ridiculū ſubdit:hoc eſſe aurum in templis, quod ſint Veneri donatę à uirgine pupæ,quas illa vb minutiē fortaſſe contēpſerit. Non uidebat enim ſimulachra ipſa, & effigies Deorum, Polycleti, & Euphranoris & Phidiæ manu, ex auro atque ebore perfectas, nihil aliud eſſe, quam grandes pupas, non à uirginibus, quarum luſibus uenia dari poteſt, ſed à barbatis hominibus conſacratas.* Virgines ergo formabant imagunculas ex ſericis, vel linteis, eaſque farciebant tomento, vel lana, aut bombyce, ſeu plumis, vel alio quouis farcimine,eaſque veſtibus,etiā precioſis,amictas,in delicijs habebant, cum eis ludentes,& ſeſe oblectantes.Verum quemadmodum,pueri,virilem togam accepturi,bullam quam ante pubertatem geſtauerant,Dijs Laribus dicabant:ſic puellæ has imagines Veneri ſuſpendebant,quaſi virginitatis inſignia, profitentes, tunc quum pubertati erant proximæ,ab ea ſe velle impetrare, vt matrimonio iunctæ, veros pupos, & pupas habere mereantur.

*QVIN damus id ſuperis,de magna,quod dare lance non poſſit magni Meſſalæ lippa propago compoſitum ius, faſq; e animi,ſanctoſque receſſus mentis,& incoctum generoſo pectus honeſto. Hęc cedo, ut admoueam templis, & farre litabo.* Veriſſimum eſt,ſuperos non tam attendere, cuiusmodi ſit vas, aut inſtrumentum, quo eis ſacrificatur,nec quam pingue eis offeratur ſacrificium, quam qualis ſit mens ſacrificantis, num aurea,ideſt innocens, & impolluta, an lutea, ſordibus paſſionum, & flagitiorum in-

inquinata. Hinc Lactantius lib. 6. cap. 1. *Nihil ſancta, & ſingularis illa maieſtas aliud ab homine deſiderat, quam ſolam innocentiam, quam ſi quis obtulerit Deo, ſatis piè, ſatiſque religioſè litauit.* Vnde eſto impium ſit dicere non debere nos aurum in templis habere, verum nihilominus eſt, Deo, potius quam aurum, & pretioſa donaria, placere, id quod de ingentibus ſuis diuitijs, dare non poſſet lippa propago magni Meſſalæ, ſed potius id, quod Diuinis, & humanis legibus eſt conforme, nempe ſanctæ, & innocentes cogitationes, & pectus intimè honeſtate imbutum, qualia ſi mihi habere detur, victimis etiam vilibus, Deos mihi propitios reddam. *Lanx* autem erat vas rotundum, minus excauatum quam patina, quo piſces, & carnes, tam aſſæ, quam elixæ, non tamen iurulentæ, menſis inferebantur. Horat. 2. ſerm. ſat. 4.

*Vmber, & iligna nutritus glande, rotundas*
*Curuat aper lances carnem uitantis inertem.*

Iuuen. ſat. 5 verſu 70.

*Aſpice quam longo diſtendat pectore lancem,*
*Quæ fertur domino ſquilla.*

Huiuſmodi vaſorum vſus erat maximus in templis, & rebus diuinis; hinc Auſonius Edyllio 16. ait:

*Thuribula, & pateræ, quæ tertia naſa Deum?*
*lanx.*

Sic Virgil. 2. Georg. verſu 192.

*Hic laticis, qualem pateris libamus, & auro*
*Inflauit quũ pinguis ebur Tyrrhenus ad aras*
*Lancibus, & pandis fumantia reddimus exta.*

Sed nunc non eſt ſermo de lancibus in hac ſi-

gnificatione, Lanx etiam eſt vas his eſcarijs ſimile, cuius vſus eſt in libra, in qua duo ſolent adeſſe, in quorum vno ponitur pondus, ſeu menſura rei ponderandæ, in alio ipſa res menſuranda; hinc libra, quod duas habeat huiuſmodi lances, bilancia dicitur. Et ab his lancibus ducta eſt metaphora, quum dictum eſt lippam propaginem magni Meſſalæ, non poſſe de magna lance, ideſt de ingentibus diuitijs dare, quod ſatis ſit ad Deos propitios reddendos.

*MAGNI Meſſalæ lippa propago*. Meſſalas plures fuiſſe nouimus, quorum primus fuit Aurelius, ſeu potius Valerius Meſſala, qui quum cum quodam Gallo, ex prouocatione, manus conſerere deberet, coruus eius galeæ inſidens, alis, roſtro, vnguibus, os, oculoſque aduerſarij laceſſens, victoriam illi conciliauit, indeque ipſe Coruinus eſt denominatus. Qui quum deinde Meſſanam, Siciliæ Vrbem, expugnaſſet, cognominatus eſt Aurelius, ſiue Valerius Coruinus Meſſana: ſed vulgo permutante litteras, pro Meſſana, Meſſala dictus fuit. Ex cuius familia extitit Cotta Meſſalinus, qui ab Aurelio Cotta adoptatus, Aurelius Maximus dici meruit. Hic autem, in ſenectute, adeo vitioſos habuit oculos, vt illorum palpebrę in exteriorem partem conuerſæ fuerint. Ideo nonnulli de hoc putant Perſium locutum: ſed hic ipſe dicebatur Maximus, non vero erat lippa propago Magni: & quum noſter Perſius, ſæpe vitia mentis intelligat, dum corporis nominat, puto eum Magni Meſſalæ nomine intellexiſſe Meſſalam illum Coruinū, qui

qui, vt refert Appianus lib.5. belli Ciuilis, in Triumuiratu ab Auguſto proſcriptus, propoſitis interfectori præmijs, ſiue pecunias ſiue libertatē peteret: profugit ad Brutū, & Caſſiū, & poſt illorū necem, Antonio claſſem ex fœdere tradidit. Et ſic Antonij partes ſecutus, quum in bello aduerſus Sextum Pompeium, ipſe cum legione Cæſarem naufragum, vno tantum armigero comitatum, in poteſtate haberet, eum in illa calamitate refouit, ſeruauitque vt Imperatorem. Quapropter deinceps Cæſaris amicitia florens, Conſulatum cum eo geſſit. Qui, ſiue quod videret ſe non poſſe in eodem dicendi genere æquare Ciceronem, ſiue quod obſeruaret Principum aures offendi nedum Aſiatico, & Rhodio, ſed etiam Attico dicendi charactere, Laconiſmum (reclamantibus robuſtioris eloquētiæ patronis) tenuit, & in eo ſic floruit, vt plures habuerit imitatores, fueritque ſui temporis oratorum facile princeps, arbiterque fori. Inde inextimabiles cum à clientibus, tum ab Auguſto collegit diuitias. Et tandem ſenex, biennio prius quam moreretur, omnem amiſit memoriam, vt vix pauca verba connectere poſſet, immo vix ſui nominis recordaretur. Et quum ad malorum cumulum, vlcus in eius os natum fuiſſet, inedia ſeipſum conficiens, expirauit. Et ſicut iuxta Ariſtotelem 2. Rhetor. cap. 18. *Familiæ, quæ ſubtili ingenio præditæ ſunt, ad mores inſaniores deficiunt, ut qui ab Alcibiade, & Dionyſio ſuperiore profecti ſunt; quæ uero ſtabili, ad ſtoliditatem atque ſegnitiem, ut qui à Cimone, & Pericle, & Socrate*, quod accidit

filio Ciceronis,cuius rationem reddidimus in Inſtit.Orat.lib.1. Tract.8.cap.4 Idem euenit filio huius Meſſalæ, qui quidem ſtolidus, & ignauus,totus in luſtris,popinis,& helluationibus,tantas ſibi à patre relictas diuitias,breui exhauſit, adeout eius filius Marcus Valerius Meſſala,quo familię decus poſſet ſuſtentare, ſportulam à Nerone Principe accipere indiguerit,vt refert Tacitus anno ab Vrbe cond.ta 811. ideſt l.13.cap 5 his verbis: *Nerone tertium Coſ. ſimul init Conſulatum Valerius Meſſala,cuius proauum oratorem Coruinum, D. Auguſto abauo Neronis, collegam in eo magiſtratu fuiſſe,pauci iam ſenum meminerant. Sed nobil. familiæ honor auctus eſt oblatis in ſingulos annos quingenis ſextertijs, quibus Meſſala paupertatem innoxiam ſuſtentaret*. De illo igitur helluone oratoris filio,dictum puto,quod fuerit Magni Meſſalæ lippa propago: lippa inquam,non tam corporis, quam mentis lippitudine, qui tantis diuitijs, Deos ſibi propitios reddere non valuit, ideoque ad paupertatem venit, vt virtutum, ſic fortunæ bonorū.

*COMPOSITVM ius faſque animi*. His verbis periphraſticè exprimitur virtus omnibus numeris abſoluta. Ius enim propriè pertinet ad homines, fas vero refertur ad Deum, eſt enim idem ac pium,ſiue religioſum,ac fari dignum. Sic Virg.1. Georg. verſ.268.

*Quippe etiam feſtis, quædam exercere diebus*
*Fas & iura ſinunt*,

ideſt tam Diuina lex, quam humana. Dicitur autem ius quod Deus, natura,gens,populus, princeps,aut magiſtratus iuſſit: & dicitur à le-

ge, vt generalius à magis ſpeciali: ius enim extenditur etiam ad pręcepta non ſcripta: lex vero non eſt niſi ſcripta, & promulgata, alioquin non ligat ad ſui obſeruantiam. Et diuiditur ius in diuinum, naturale, Gentium, Ciuile, ſiue Imperiale, Canonicum, ſiue Eccleſiaſticum, Regale, Municipale, &c. de quibus agere non eſt præſentis inſtituti. Et hic interuenit Hypallage, ideſt mutatio ordinis, & compoſitionis verborum, nam dicendo: Compoſitum ius faſque animi, intelligit animum compoſitum ſecundum ius, & fas, ſeu ſecundum humanam, & diuinam legem, quæ iuxta Perſij, & Stoicorum ſententiam, erat ſapientię & virtutis regula, atque menſura. Ille namq; iuxta Stoicos erat felix, & ſapiens, qui vitam inſtituebat iuxta eam naturæ legem, quæ vniuſcuiuſque conſcientiæ erat inſculpta.

*SANCTOSQVE receſſus mentis.* Receſſus quandoque ſumitur pro actu recedendi, ſiue abeundi: quandoque pro ſeceſſu, ſeu loco ſecretiori, à turba & tumultu vacuo, in quo quis quieſcere poteſt. Sic Cicero ad Atticum lib. 12. epiſt. 25. *De Nicia, quod ſcribis, ſi ita me haberem, ut eius humanitate frui poſſem, in primis uellem illum mecum habere. Sed mihi ſolitudo, & receſſus Prouincia eſt.* Sic Ouid. 1. Faſtorum:

*Cacus Auentinæ timor atque infamia ſiluę*
*Non leue finitimis, hoſpitibuſq; malum*
*Dira uiro facies, uires pro corpore, corpus*
*Grande, pater monſtri Mulciber huius erat,*
*Proq; domo, longis ſpelunca receſſibus ingens*
*Abdita, uix ipſis inuenienda feris.*

Oculorum etiam cauitates, receſſus dictæ à Plinio lib. 8. cap. 33. *Corpus aſperum, ceu crocodilo, oculi in receſſu cauo, tenui discrimine præ-grandes, & corpori concolores, numquam eos operit: nec pupillæ motu, ſed totius oculi uerſione circumſpicit*. Intimæ etiam animi cogitationes, receſſus appellantur à Cicerone pro Marcello: *Quum in animis hominum tantæ latebræ ſint, tantique receſſus*. Et ita nunc ſumitur, nam ſancti receſſus mentis, ſunt intimæ cogitationes, auerſantes iniquitatem, & ad iuſtitiam tendentes.

*ET incoctum*, aliquando eſt non coctum, ideſt crudum, nam In, ſæpe eſt præpoſitio negatiua: ſed aliquando eſt, in aliquo coctum; Sic Virg. 3. Georg. verſu 306.

*quamuis Mileſia magno*
*Vellera mutentur, Tyrios incocta rubores,*

ideſt quamuis lana Mileſiarum ouium magni æſtimetur, quum purpuræ colorem penitus imbiberunt, ſiue quum coquendo, in purpuram migrarunt, Tyrium trahendo colorem. Nam quia, quod in liquore aliquo coquitur intimè ab illius virtute penetratur, pectus incoctum generoſo honeſto, eſt animus intimè affectus honeſtate; quam incoctionem, & intimam penetrationem. Lact. lib. 6. cap. 2. naturalem appellat honeſtatem, ſic enim ait: *Sentiebat Perſius noſter, non carne opus eſſe ad placandam cæleſtem maieſtatem, ſed mente ſancta, & iuſto animo, & pectore, ut ipſe ait, quod naturali ſit honeſtate generoſum*: naturale namque altius, & intimius inſidet, & tardius deponitur, & idem eſt de incocto.

*HAEC*

*HAEC cedo, ut admoneam templis, & farre libabo.* Far antiquis, ab edendo, edor cognominabatur, ſed poſtmodum, e in a mutata, dictum ador: ſed nomen farris extenſum ad omne frumenti genus, indeque eſt far adoreum, hordeaceum, ſiligineum, & alia. Vnde Plinius lib. 18. cap. 8. *Frumenti genera non eadem ubiq; neque ubi eadem ſunt, iiſdem nominibus. Vulgatiſſima far, quod adoreum ueteres appellauerunt, ſiligo, triticum, hæc plurimis terris communia.* Et ſubdit. *Ex omni genere duriſſimum far, & contra hyemes firmiſsimum, patitur frigidiſsimos locos, & minus ſubactos, uel æſtuoſos, ſitienteſque, primus antiquis Latio cibus, magno argumento in adoreæ donis, ſicuti diximus. Pulte autem, non pane, uixiſſe longo tempore Romanos, manifeſtum, quoniam inde & pulmentaria hodieque dicuntur.* Dictum autem putatur far à ferendo, quod ipſum quæuis terra ferret; vel à faciendo, quod piſtrino fieret, & contunderetur, vel præpararetur. Et quia paſſim apud omnes inueniebatur, & copiosè proueniebat, viliſſimo emebatur pretio; vnde ſacrificia ex farre, viliſſima reputabãtur. Hinc Columella lib. 9. cap. 5. ait: *Poſtero die, quum grex fuerit effætus, hoc modo deponitur. Cribro uiciario, uel etiam loliario, qui iam fuerit in uſu, pulli ſuperponantur, deinde pulegij ſurculis fumigentur: ea res uidetur prohibere pituitam, quæ celerrimè teneros interficit. Poſt hæc cauea cum matre claudendi ſunt, & farre hordaceo cum aqua incocto, uel adoreo farre, uino reſperſo modice alendi.* Adeo vile erat far, vt pullorum eſſet cibus.

*LITARE* eſt victimis, ſacrificijs, aut alio quocumque modo Deum placare, & propitiũ reddere, ad impetrandam ab eo rem deſideratam. Et videtur verbum ductum à Græco λιτοῖς, ideſt precibus. Vnde litare differt à ſacrificare, nam hoc eſt veniam petere: illud vero, cum effectu Deum propitiare, & rem impetrare poſtulatam. Sic Seruius in illud Virgilij 4. AEneid. verſu 50.

*Tu modo poſce Deos veniam, ſacriſq; litatis,*

*Indulge hoſpitio*, ait: Sacris litatis, *ideſt Venia per ſacrificia impetrata, uel, felicem euentum promittente uictima*. Sic Plautus Pſeudolo Actu 2. ſcena 1.

*Si hercle iſthuc unquam factum eſt, tum me Iuppiter*
*Faciat, ut ſemper ſacrificem, nec unquam litẽ.*

Vult ergo dicere, quod ſi quis virtutes, innocentiam, & animi puritatem, (quibus proximè ad Deos acceditur) nactus fuerit, ad eos propitiandos pretioſis victimis non indigebit, ſed viliſſima, etiam farris oblatione, quamcũque rem honeſtam concupitam, ab eis reportabit. Quæ fuit etiam opinio Socratis, vt eſt apud Xenophontem lib. 1. de factis, & dictis Socratis, vbi ait: *Orabat Deos ſimpliciter bona preſtare, tamquam optime Dij quænam ſint nobis bona ſcirent. Qui uero aurum, aut argentum, aut tyrannidem, aut quippiam huiuſmodi à Dijs orãdo petebant, illos ſimile quid opinabatur orare, ac ſi ludum taxillorum, aut prælium, aut aliquid oraſſent, cuius incertus exitus eſſet. Immolationes autem parui ſumptus, quum pauca haberet, offerens Dijs, nil arbitrabatur differre ab*

illis,

*illis, qui è magnis diuitijs, multa, ac magna ſacrificarent. Nec enim Deos aſſerebat plus magnis, quam paruis ſacrificijs gaudere, quoniam magis eis eſſent grata, quę praui homines offerunt, quam quæ boni ſacrificant. Nec hominibus viuendum eſſe dicebat, ſi magis malorum, quam bonorum hominum eſſent Dijs gratę oblationes. Opinabaturque Deo quam maximè gaudere à bonis hominibus eis oblatis honoribus: quapropter illud quoque carmen commendabat. Secundum quod potes immortalibus Dijs ſacrificia offeras. Erga eti m amicos, aut hoſpites, cęteramque vitam optimam hanc admonitionem eſſe aiebat Secundum quod potes, egas.*

## PARAPHRASIS TEXTVS SECVNDI, & vltimi,

## SATYRÆ SECVNDÆ.

CAſtigatis iam textu ſuperiori, tam impijs ſceleſtorum, quam inutilibus inſipiétum votis, nunc ait: Tu quidem à Dijs petis robur, & ſanitatem, vt hæc tibi integra, conſtantiaque perſeuerent ad vſque ſenectutem. Hoc votum non reprehendo, immo concedo vt in eo perſeueres, dummodo ne ſis impedimento impetrationi, neue nimia noxiorum ciborũ ingurgitatione, remoreris Deos, ne tibi concedant, quæ poſtulabas, immo tibi morbos arceſſas. Similiter, aceruare cupiens diuitias, dum Mercurio alijſque propterea ſupplicas Dijs, ijs greges, & armenta immolando, deliria oper, Deorum beneficentia tibi

conceſſas, & propterea fruſtra alias expectas. Tu nihilominus in tua perſeuerans ſuperſtitione, abundantiores in dies victimas Dijs offerendo, contendis obtinere poſtulata, illectus ex vehementi deſiderio, quaſi de proximo diuitiæ ex agris, vel pecoribus ſint accepturæ incrementa. Quæ ſpes tecum pergit, quouſque ab ea deluſus, ad vltimam deueneris paupertatem, quando ſuſpirare cogeris, quod nec vnus relictus ſit tibi nummus in area. Quod ſi in tali rerum ſtatu, tibi quiſpiam vaſa aurea, vel argentea dono mittat, tu geſtiens, ſudanſque præ lętitia, quaſi qui à Dijs exaudıri merueris, & ab eis retuleris rem poſtulatam, teipſum ad gaudium excitabis, ſtatimque cogitationum aduocabis concilium, de eo, quod facto ſit opus pro gratijs Dijs exſoluendis, qui tot tibi bona præſtiterint. Et illa maxime cogitatio adlubebit, vt de his aureis, & argéteis muneribus, idem facias, quod de auro per triumphum importato, ſcilicet vt de eo confles Deorum ſtatuas ſolidas atq; ductiles, eorum maximè, qui inter quinquaginta Ægypti filios, per ſomnia dant reſponſa pura à noxijs humoribus, quibus etiam addere vole auream barbam. Aurum enim à templis expulit vaſa ęrea, & fictilia, quæ fuerunt Numæ, & Saturni tempore, vigente ætate aurea, & morum innocentia: atque in ſe mutauit tam vrnas Veſtalium, quam Thuſcum, & Aretinum fictile, vt exclamare libeat. O animæ mortalium curuæ propenſæque in terras, nihil niſi terrena ſapientes, & propterea inanes Cœleſtium, non intelligentes, quæ

ſint

ſint bona propria Deorum Cœleſtium, vel quibus iſti oblectentur. Quid prodeſt immittere noſtros inquinatos mores in templa, & extimare, ijſdem delectari bonis Deos, quibus capiuntur homines, vel quæ ſummum reputat bonum hominum auaritia, & diuitiarum abundantia, aut, ex eiſdem nata, eorumdem ſenſualitas, delicijs diffluere volens. Hęc enim eſt, quæ ad propriam voluptatem commune corrumpens oleum, ex eo & caſia pretioſum compoſuit vnguentum: hæc eſt quæ Tarentinas vitiauit lanas, eas concharum ſanguine inficiendo: hæc quæ iuſſit vniones, ſeu margaritas radere de conchis etiam Orientalibus, & ignis actione, de venarum ramentis, crudoque metallorum cœno, aurum in maſſam fluere coegit. Hæc inquam omnia peccat diuitiarum copia, ſiue ſenſualitas delicijs diffluere volens: ſed licet iſta peccet, vſum tamen & vtilitatem, ſiue etiam voluptatem capit ſuarum facultatum, ideoque leuius peccat quam vana ſuperſtitio, quæ ſuas diuitias templis expendit exornandis. Reſpondete enim, inquit, vos ſacrorum antiſtites, quid faciat aurum in ſacris? certè alium non habet vſum, præter eum, quem itidem puellares habent imagunculæ, Veneri donatæ à virgine, & è templorum parietibus pendentes. Hinc grauiſſimè exhortatur, & monet, quatenus operam demus, vt ea in templa Dijs offeramus, quæ eiſdem dare non poſſit nepos ille de progenie Magni Meſſalæ, qui famoſior fuit (mala vtique fama) in luſtris, popinis, & lupanaribus conſumendo ingentes diuitias, quam fuiſ-

ſet ſuus pater Orator, bonis artibus eas aceruando. Demus igitur ſuperis animum compoſitum iuxta diuinas, & humanas leges, & ſanctas mentis, innocenteſque cogitationes, nec non pectus intimè honeſtate imbibitum. Has res ſi Deus mihi conceſſerit, vt afferam templis, etiam viliſſimis precum, vel farris muneribus, Deos habebo propitios, & ab eis quæcumque iuſta, & honeſta petiero, impetrabo.

*Finis ſecundæ Satyræ.*



# IN SATYRAM TERTIAM

## *ARGVMENTVM.*

NEdum primam, ſed & hāc tertiam Satyram, de ſtudijs noſter inſtituit Perſius, differenter tamen: in prima namque eos reprehendebat, qui vegetam, ac robuſtam liberalium diſciplinarum, & maxime poeticę, ac oratoriæ magnificentiam, emollierant, ſiue eneruauerāt. *H*ic vero eos accuſat, qui quum, ſiue ſua ſponte, ſiue parentum voluntate, ſtudijs ſe tradidiſſent, ſonno tamen, & deſidia, adeo torpebant, vt nec hilum in eis proficerent: cuiuſmodi erat ille, de quo Dolor queritur apud Petrarcham lib. 2. de remedijs vtriuſque fortunæ cap. 41. dicens: Diſcipulum habeo indocilem. Ratio. Perdis operam, littus aras, ſemina proijcis, natura non vincitur. Dolor.

Diſcipulum indocilem ſors dedit. Ratio. Terræ aridæ colonus, ſteriles boues, quid te torques? illi parce, & tibi: quum tot ſint labores neceſſarij, & ineuitabiles, ſuperuacuos quærere, ſtultitia eſt. D. Diſcipulum habeo literarum indocilem. R. Si docilis eſt virtutum, illic inſta, melioribus illum artibus ornaueris. Quid ſi neutrum capit, vacuum ſine, neue quid in pertuſum vas effuderis, quod neque ibi ſubſideat, teque iugi tædio exhauriat: ſic habeto enim, omnes qui ſunt, quique erunt, aut fuerunt, virtutibus aut doctrinis clari, nõ poſſe vnum ingenium accendere, niſi aliquæ artus in animo ſcintillæ ſint, quæ, præceptoris ſpiritu excitatæ, & adiutæ, generoſum diſciplinæ fomitem arripiant: alioquin algidum in cinerem nequicquam flabis D. Intractabilem diſcipulum, ac ſuperbum habeo. R. Superbia hoſtis ingenij eſt, dumq; ſubeſſe dedignatur, & diſcere negligit, diſcipulus inſolés, ægrè manum ferulæ ſubijciet, doctrinæ animum, reprehenſionibus aurem, collum iugo. D. Habeo proſperitate tumidum diſcipulum. R. Sicut tumor oculorum viſui, ita tumor animi, ingenio nocet, vt diſciplinis aditus fiat, comprimenda eſt omnis elatio. Scis vt Alexander Macedo, quum aliquando Mathematicis animũ applicaſſet, & geometrica ſibi quædam obſcuriuſcula traderentur, difficultatibus offenſus, præceptori imperat, vt idipſum clarius tradat, & quid illi reſpondeat: Hęc inquit, æque omnibus difficilia ſunt, vt ſcilicet omnem illi ſpem regij faſtus excuteret. Sic eſt enim hercle, nullæ ſunt fortunæ partes in

in-

ingenij rebus: quiſquis doctus, ac ſapiens fi-ri vult, obliuiſcatur interim ſe potentem. Itaque Perſius hac Satyra philoſophum introducit in diſcipuli irrumpẽtem cubiculum, eumque hora fere meridiana, altè ſtertentem, è ſonno excitantem, adhortantemque ad nauiter litteris incumbendum, diluentem etiam futiles adoleſcentis excuſationes, quas prætendebat ſufficientes, ad eum retrahendum à ſtudijs Et hic, philoſophus, pręceptis ex intimis penetralibus Stoicæ ſectę petitis, exponit tum ſapientię felicitatem, tum damna, & infelicitatem ſtultitiæ. Et quamuis referat philoſophiæ canones à viris militaribus irriſos, innuit nihilominus, talium, vtpote ſtultorum, nullam habendam eſſe rationem.

# SATYRÆ TERTIÆ

## TEXTVS PRIMVS.

*Nempe hoc aſſiduè? iam clarum mane feneſtra*
*Intrat, & tenues extendit lumine rimas.*
*Stertimus indomitũ, quod deſpumare falernũ*
*Sufficiat, quinta dum linea tangitur vmbra.*
*En quid agis? ſiccas inſana canicula meſſes*
*Iamdudum coquit, & patula pecus omne ſub vlmo eſt.*
*Vnus ait comitum. Verumne? Itane? Ocyus adſit*
*Huc aliquis. Nemon? Turgeſcit vitrea bilis:*
*Finditur. Arcadiæ pecuaria rudere credas.*
*Iam liber, et bicolor poſitis membrana capillis*
*Inque manus chartæ, nodoſaq; venit arundo.*
*Tunc queritur craſſus calamo, quod pendeat humor*
*Nigra, quod infuſa vaneſcat ſepia lympha:*
*Diluta queritur geminet, quod fiſtula guttas.*
*O miſer, inq; dies vltra miſer, huccine rerum*
*Venimus? At quur non potius teneroq; palũbo,*
*Et ſimilis Regum pueris, pappare minutum*
*Poſcis? & iratus mammæ lallare recuſas?*
*An tali ſtudeã calamo? Cui verba? Quid iſtas*
*Succinis ambages? Tibi luditur. Effluis amẽs,*
*Contemnere. Sonat vitium percuſſa maligne:*
*Reſpondet viridi non cocta fidelia limo.*
*Vdum, & molle lutum es, nunc nunc properandus, & acri*

*Fin.*

*Fingendus ſine fine rota. Sed rure paterno*
*Eſt tibi far modicum, purũ, et ſine labe ſalinũ.*
*Quid metuas? cultrixq; foci ſecura patella eſt.*
*Hoc ſatis? An deceat pulmonem rumpere ventis*
*Stemmate, quod Thuſco ramũ milleſime ducis?*
*Cenſoremue tuum, vel quod trabeate ſalutas?*
*Ad populum phaleras, ego te intus, & in cute noui.*
*Non pudet ad morem diſcincti viuere Nactæ?*
*Sed ſtupet hic vitio, & fibris increuit opimum*
*Pingue: caret culpa, neſcit quid perdat, & alto*
*Demerſus, ſumma rurſus non bullit in vnda.*
*Magne pater Diuum, ſæuos punire Tyrannos*
*Haud alia ratione velis, quum dira libido*
*Mouerit ingenium, feruenti tincta veneno,*
*Virtutem vt uideant, intabeſcantque relicta.*
*Anne magis Siculi gemuerunt, æra iuuenci,*
*Et magis auratis pendens laquearibus enſis*
*Purpureas ſubter ceruices terruit, imus*
*Imus præcipites quam ſi ſibi dicat, & intus*
*Palleat infelix, quod proxima neſciat uxor?*

# COMMENTARIVM IN TEXTVM PRIMVM SATYRÆ TERTIÆ.

TERTIÆ huius Satyræ proœmium eſt ex abrupto, tale enim conuenit indignant. Nam introducitur pædagogus, ſiue philoſophus, cui nobilis, & diuitis adoleſcentis inſtitutio fuerat demandata, vt eum in litteris, & moribus erudiret, illius irrumpens cubiculum, ſole iam alto, immo hora ferè meridiana, & quum eum comperiſſet, adhuc ſonno ſopitum, ſtertentemque, illum his verbis caſtigat *Nempe hoc aſsiduè?* *Nempe* autem aduerbium eſt aſſentientis, ſeu confirmantis, idem valens, ac certè, ſiue indubitanter: & aliquando inuenitur ſine interrogatione. Sic Ter. Andr. Actu 2. ſc. 3.

*Nempe hoc ſic eſſe opinor, dicturum patrem,*
*Ducas, volo, hodie vxorem; tu, ducam, inquies.*

Sic Aiax apud Ouidium lib. 13. Metamorph.

*Ecce ferunt Troes ferrumque igneſq; Iouemq;*
*In Danaas claſſes; vbi tunc facundus Vlyſſes?*
*Nempe ego mille meo protexi pectore puppes.*

Et ibidem Vlyſſes de Palladio loquens ait:

Nempe

*Nempe capi Troiam prohibebant fata ſine illo.*

Et Lucretius lib.4.verſu 1170.

*Sed tamen eſto iam quantouis oris honore,*
*Cui Veneris, membris ſuis omnibus exoriat vis:*
*Nempe aliæ quoque ſunt, nempe hac ſine viximus ante:*
*Nepe eadē facit, & ſcimus facere omnia turpi,*
*Et miſeram tetris ſe ſuffit odoribus ipſa,*
*Quam famulæ longe fugitant, furtimque cachinnant.*

Sic Cicero pro Ligario: *Sed hoc quæro, quis putet fuiſſe crimen, eſſe in Africa Ligarium? nempe is, qui & ipſe in eadem Africa eſſe voluit, & prohibitum ſe à Ligario quæritur, & certè contra ipſum Cæſarem eſt congreſſus armatus.* Et eadem oratione: *Prohibiti eſtis in Prouincia veſtra pedem ponere, vt perhibetis, ſumma iniuria. quomodo id tuliſtis? Acceptæ iniuriæ querelam ad quem detuliſtis? Nempe ad eum, cuius auctoritatem ſecuti, in ſocietatem belli veneratis.* Et ibidem: *Apud quem igitur hæc dico? nempe apud eum, qui quum hoc ſciret, tamen me, antequam vidit, Reip. reddidit.* Aliquando cum interrogatione: & quum id conueniat dicenti ex abrupto, ſic nunc ponitur.

*ASSIDVE* valet idem, ac diligenter, ſiue iugiter, continuè, vel frequenter. Quum enim à Seruio Tullio populus in claſſes eſſet diſtributus, vt, prout quiſque poſſideret, tributum inferret: ditiores, qui aſſes dabāt, aſſidui dicti: & quum deinde hi ſoli negotijs publicis frequentes adeſſent, inde eos, qui frequenter adſunt, aſſidui vocati ſunt. Hinc Gellius lib.16. cap.10. ait: *Aſſiduus in XII. tabulis, & pro lo-*

*cuplete, & facile munus faciente: dictus ab aſſibus, id eſt ære dando, quum id tempora Reip. poſtularent, aut à muneris, pro familiari copia faciendi, aſſiduitate.* Deducitur ego hoc aduerbium, vt & nomen aſſiduus, & verbum aſſideo, ab aſſe: non tamen verbum aſſido: quod, hoc ab aſſideo differt, quod mediam producit, & ſignificat actum, & ſtatum iuxta ſedendi: aſſideo vero, medias vtraſque corripit, & importat motum ſe demittentis ad iuxtaſedendum. Et quia qui iuxta ſedet, eſt ſemper ad manus, ſiue promptus, indeque frequens illius vſus, aſſiduus eſt iugis, ſiue continuus, & aſſiduè eſt perpetuò, vel frequenter. Hinc Cicero in Topica: *Notatio eſt quum ex vi verbi argumentum aliquod elicitur, hoc modo: Quum lex AElia Sentia aſſiduo vindicem, aſſiduum eſſe iubet, locupletem iubet locupleti: is eſt aſſiduus, vt ait AElius, appellatus ab ære dando.* Se Liuius lib. 35. cap. 10. *Certamen accendebant fratres candidatorum, duo clariſſimi ætatis ſuæ Imperatores. Maior gloria Scipionis, & quo maior, eo propior inuidiæ. Quinctij recentior, vt qui eo anno triumphaſſet. Accedebat, quod alter decimum iam prope annum, aſſiduus in oculis hominum fuerat; quæ res minus verendos magnos homines ipſa ſatietate facit. Conſul iterum poſt deuictum Annibalem, cenſorque fuerat. In Quinctio noua omnia, & recentia ad gratiam erãt: nihil nec petierat à populo poſt triumphum, nec adeptus erat: pro fratre germano, non patruele, ſe petere aiebat, pro legato, & participe adminiſtrati belli, ſe terra, fratrem mari, rem geſſiſſe. His obtinuit, vt præferretur candidato, quem*

*Afri-*

*Africanus frater deducebat, quem Corneliæ gens, Cornelio Conſule comitia habente, quem tantum præiudicium Senatus, virum è Ciuitate optimum iudicatum, qui matrem Idæam Peſſinunte venientem, in Vrbem acciperet.* Aſſiduus etiam dicebatur, qui abſque publico ſtipendio militaret, quaſi ſuo aſſe ſiue ære, Reip. inſeruiret. Et quum dicitur. Nempe hoc aſſidue, ſenſus eſt id fieri iugiter, vel ſaltem frequentiſſimè.

*IAM clarum mane feneſtra intrat, & anguſtas extendit lumine rimas.* Ita paſſim, ſed in pleriſq; codicibus inuenitur, feneſtras intrat. Vtcumque legatur, tam ſyllabarum quantitas, quam ſenſus, inuariata manent, & ſignificatur Solis lucem per feneſtram ſeſe ingerentem, totum illuminaſſe cubiculum: ſola differentia, quod legendo feneſtra in caſu auferendi, exprimitur feneſtram eſſe medium illuminationis: in caſu vero accuſandi, ratio medij ſubticetur. *Mane*, aduerbium poſitum eſt pro nomine, & ſignificat tempus matutinum: immo quum hic denominetur clarum, eſt tempus, quo Sol eſt ita altus, vt expulerit nedum tenebras noctis, ſed etiam vapores, nebulas, & caliginem, quæ tempore matutino, & primis diei horis, terræ inſidentes, lucis obfuſcabant claritatem. Dictum mane, vel à mano nomine, quod antiqui pro bono dicebant. Vel à verbo mano, quod vnà cum Sole manet ab Oriente. Vel iuxta Macrobium 1. Satur. cap. 3. [Mane dictum, aut quod ab inferioribus locis, id eſt à manibus, exordium lucis emergat: aut, quod verius mihi videtur, ab omine bo-

ri nominis, nam & Lanuuini mane pro bono dicunt, ſicut apud nos quoque, contrarium eſt immane, vt immanis bellua, vel immane facinus, & hoc genus cætera, pro non bono. ] Eſt etiam in hac voce duplex tropus, ſenecdoche partis pro toto, dum mane ponitur pro claro die, cuiuſcumque ſit horæ; & metonymia cauſæ, dum dies ponitur pro luce Solis exiſtentis ſuper terram, à qua cauſatur.

*ANGVSTAS rimas*. Rimæ ſunt fiſſuræ in tabulis perperam iūctis; & generalius nedum tabularum, ſed rerum quarumcumque ſiſſuræ, rimę ſunt appellatæ. Sic Virg. 1. Æneid. v. 124.

*Iam validā Ilionei nauem, iā fortis Achatæ,*
*Et qua uectus Abas, et qua grādeuus Alethes*
*Vicit hyems, laxis laterum compagibus omnes*
*Accipiunt inimicum imbrem, rimiſq; fatiſcūt.*

Et Cicero ad Atticum lib. 14. epiſt. 9. *Tabernę mihi duæ corruerunt, reliquæ rimas agunt, itaq; non ſolum inquilini, ſed mures etiam migrauerunt*. Et Plinius lib. 15. cap. 8. *Super omnia autem celebrauit amurcam laudibus Cato, dolia olearia, cadoſque illa imbui, ne bibant oleum: amurca ſubigi areas terendis meſſibus, ut formicę rimæque abſint*. Terentius longiori metaphora, immò catachreſi ait Eunucho Act. 1 ſcena 2.

*lege hac tibi meam aſtringo fidem,*
*Quę uera audiui taceo, & contineo optume*
*Sin falſum, aut uanum, aut fictum eſt, continuò palam eſt,*
*Plenus rimarum ſum, hac atq; illac perfluo.*

Rimæ ergo anguſtæ, ſunt tenues, exiles, ſiue exiguæ, & graciles, vel relictæ quum primum

aſſeres,& tabulę committebantur,vel nouiter ortæ ob exſiccationem materiæ. Dictæ anguſtæ ab angulo, nam angulus ſemper coarctatur. Tales rimæ ( quæ certè arctæ eſſe debebant in feneſtris nobilis diuitiſque adoleſcentis ) dictæ ſunt extendi,& dilatari,lumine: non quod rimæ lumine dilatarentur, ſed quia radijs inde ingredientibus, quibus totum cubiculum illuminabatur, illæ viderentur ampliores. Et ita hic interuenit hypallage, dum lucis,& radiorum extenſio,tribuitur rimis.

*STERTIMVS indomitum, quod deſpumare falernum ſufficiat, quinta dum linea tangitur umbra. Stertere* eſt grauiter dormire,ſeu dormiendo rhoncos emittere. Quod vitium tunc Romæ erat omnibus familiare.Hinc Seneca epiſt.122. *Detrimentum iam dies ſenſit,reſiluit aliquantulum, ita tamen ut li erale adhuc ſpatium ſit, ſi quis cum ipſo, ut ita dicam, die ſurgat; officioſior meliorque, quam ſi quis illum expectat, ut; luce prima exeat. Turpisqui alto ſole ſemiſomnis iacet, cuius uigilia medio die incipit, & adhuc multis hoc antelucanum eſt. Sunt qui officia lucis, noctiſque peruertunt, nec ante diducunt oculos, heſterna graues crapula, quam appetere nox cępit, qualis illorum conditio dicitur, quos natura ( ut ait Virgilius ) pedibus noſtris ſubditos contrario poſuit:*

Noſq;vbi primus equisOriēs afflauit anhelis
Illis ſera rubens accendit lumina veſper,

*talis horum cõtraria omnibus,non regio, ſed uita, eſt. Sunt quidā in eadem Vrbe antipodes,qui,ut M. Cato ait,* nec Orientem vnquam viderunt Solem,nec Occidentem.] At vtinam vel nunc

ab

ab aulis vitium exularet iſtud. De ſtertendo Ter. Eunucho Actu 5. ſcena 9.

*Fatuus eſt, inſulſus, tardus, ſtertit noctéſque & dies.*

Et Horat. lib. 1. ſerm. ſat 3.

*Noctes uigilabat ad ipſum Mane, diem totum ſtertebat.*

Sic Cic. lib. 2. de Diuin. *Venit enim in contentionem, utrum ſit probabilius Deos ne immortales rerum omnium preſtantia excellentes, concurſare omnium mortalium, qui ubiq; ſunt, non modo lectos, uerum etiam grabatos, et quum ſtertentes aliquos uiderint, obijcere his uiſa quę am tortuoſa & obſcura, quæ illi, exterriti ſomnio, ad coniectorem mane deferant.* Sic Iuuenal. ſat. 1. verſu 56.

*Doctus & ad calicem uigilanti ſtertere naſo.*

In hoc autem, quod ait Stertimus, vſus eſt ſchemate, quod Græci dicunt κοινωνίαν, Latini communicationem appellãt, quo, ad molliendam reprehenſionẽ, & vitandam inuidiã, aliorum vitia nobis communia facimus, vt dixit Quint. l. 2. T. 2. cap. 5. Inſtit. Orat.

*INDOMITVM* eſt, quod domari vix, aut nullo tempore poteſt, ſiue quod nequit miteſcere, aut manſueſieri, vt indomitus taurus, vel equus. Metaphorice vero Cicero Actione 3. in Verrem ingenia dixit indomita, quæ nullis cederent perſuaſionibus. Sic Plaut. Menechmis Actu 1. ſcena 2

*Ni mala, ni ſtulta, ni indomita, impoſq; animi. quod uiro*

*Eſſe odio uides, tute tibi odio habeas.*

Et Cato apud Liuium lib. 34 cap. 2. de mulieribus

[illegible] loquens ait: *Date frænos impotenti naturæ, & indomito animali, & [illegible] ſperate ipſas modum licentiæ facturas, niſi vos faciatis.* Domare vero eſt cogere ad modum, ſiue manſuetudinem, ſeu ad deponendam ferociam, & ſpiritus [illegible]ores. Et transfertur ad vinum, quod tunc dicitur indomitum, quando non eſt aqua dilutum, nam ſic retinet ſpiritus vigentes, & aſperitatem, quam deponit per aquæ mixtionem, & ſic mitescit. Et ideo dicebant, Nymphas fuiſſe Bacchi nutrices, illumque moribus informaſſe; quam enim priores Nympham, poſteriores, vnius tantum litteræ mutatione, lympham, id eſt aquam dixerunt. Bacchi vero nomine, metonymicè, vinum intelligitur, & hæ Nymphæ, ſeu lymphæ & aqua, nutriunt, & informant moribus placidioribus, vt ſit mitius, & domitum. Vnde ſalernum indomitum, eſt, cui nihil aquæ fuerat admixtum.

*DESPVMARE* eſt, ſpumam ex liquidis bullientibus auferre. Hinc de agricolæ vxore ait Virg. 1 Georg. verſu 293.

*Interea longum cantu ſolata laborem*
*Arguto coniux percurrit pectine telas,*
*Aut dulcis muſti, Vulcano decoquit humorem,*
*Et foliis, vndam tepidi deſpumat aheni.*

Quia vero per concoctionem ſeparantur partes aereæ, quæ ſpumam faciebant, inde deſpumare ſtatuitur pro concoquere: concoctio autem optime fit per ſomnum: nam etſi ſomnus corpulentiæ magis, quam robori faueat, quando tamen eſt moderatus, inualetudinem prohibet. Hinc Celſus lib. 1. cap. 2. ait: *Qui bene conco[xit], mane cito ſurgat: qui parum, quieſcat.*

 ſiue

*ſcere debet: & , ſi mane ſurgendi neceſſitas fuerit, redormire. Qui non concoxit, ex toto conquieſcere, ac neque labori ſe, neque exercitationi, neque negotio credere. Qui crudum ructat, is ex interuallo aquam frigidam bibere, & ſe nihilominus continere.* Deſpumare igitur hic eſt concoquere, vt dicere voluerit: ſomnum adeo longum, ſufficientem eſſe debuiſſe ad concoctionem etiam potentis, & multi vini.

*FALERNVS* ager eſt in collibus Campaniæ, à læua Capua Sueſſam euntibus, laudatiſſimi olim, ac generoſiſſimi, ſecundæque nobilitatis apud Auguſtum, & alios, vini ferax, quod ab eadem regione, falernum dicebatur. Sic Tibul. l.2. eleg.24.

*Nunc mihi famoſos veteres proferre falernos*
*Conſuleis, & Chio ſoluere uincla cado.*

Sic Propert. l.2. eleg.24.

*Largius effuſo madeat tibi menſa falerno,*
*Spumet, & aurato mollius in calice.*

Sic Martial. lib.1. epigr.74.

*Quid te Tucca iuuat, vetulo miſcere falerno*
*In Vaticanis condita muſta cadis*
*Quid tantum fecere boni tibi peſſima uina,*
*Aut quid fecerunt optima uina mali?*
*De nobis facile eſt, ſcelus eſt iugulare falernũ,*
*Et dare Campano, toxica ſæua mero*
*Conuiuæ meruere tui fortaſſe perire*
*Amphora non meruit tam pretioſa mori.*

Et lib.6 epigr.27.

*Tu tamen annoſo nimium ne parce falerno,*
*Et potius plenos ære relinque cados.*

Et lib 9. epigram.95.

*Aude Fi quid ceſſas puer immortale falernum*
*Quadrantẽ duplica de ſeniore cado.*

Et

Et licet nunc fere omnia eius regionis vina ſint alba, talia tamen antiquorum nigra erat. Sic Mart. lib. 8. epigr. 77.

*Candida nigreſcant vetulo chryſtalla falerno.*

Et lib. 11. epigramm. 9.

*Amphora quos nigri ſed longe fracta falerni.*

Et eodem lib. 11 epig. 49.

*Amphora non petitur nigri carioſa falerni.*

Quæ vina, quia ſua generoſitate, bibentes reddebant aſperos, atque rixoſos, ſæuera dicta ſunt ab Horatio, lib. 1. Carm. ode 27.

*Vultis ſeueri me quoque ſumere partem*

*Falerni.*

Hodie tamen illius regionis vina, tantam nobilitatem non retinent: cuius defectus culpa, non tam in ſolum, quam in agricolas referenda eſt. hi enim dum copiæ ſtudent, & multos vbi cados, ſue dolia implere ſatagunt, illius generoſitatem peſſumdare non curant. Inde eſt, quod vina ibi nata, ſi colorem mutare nequeant, quin aureum in fæculentum commutent colorem, ab exteris non appetuntur, nec inde exportantur: quæ tamen, quum in eadem regione potantur, gratiſſima ſunt, & non nihil priſtinæ nobilitatis ſeruare videntur.

*QVINTA dum linea tangitur vmbra*, id eſt dum linea tangitur quinta vmbra, vt interuenerit hic hypallage, ſeu commutatio caſus: nõ enim quinta vmbra tangitur a linea, ſed potius quinta linea ab vmbra; hæc enim continenter ſitum mutat, iuxta ſolis, ſiue alterius luminis ex oppoſito acti, motum. Eſt enim nunc ſermo de linea, & vmbra horologij ſolaris, in quo ſunt diuiſæ lineæ deſcriptæ,

vmbra vero continenter, & ſucceſſiuè vnam poſt aliam tangit, quia gnomon, ſiue ſtilus (quem Plinius lib. 2. cap. 73. ſolis appellat vmbilicum) in medio erectus fixuſque manens, a ſole percuſſus, ſua vmbra horas ſucceſſiuè indicabat in circumferentia eiuſdem deſcriptas. Et huius horologij inuentor fuiſſe dicitur apud Lacedęmonios Anaximenes Mileſius. Et quamuis plerique partirentur diem, & noctem artificiales, in duodecim horas, quæ, iuxta anni tempeſtates, variabantur, nam æſtate, horæ diei erant longiſſimæ, noctis vero breuiſſimæ: hyeme contra, horæ diei breuiſſimæ, noctis longiſſimæ. Vere, & Autumno ferè æquabantur, huius partitionis ratio non habebatur in horologio ſolari, in quo horæ ſemper æquales erant. Quum ergo hic dicitur quintam lineam tangi vmbram gnomonis, ſignificatur ſolem eſſe in Zenit, & ſupra caput noſtrum. Meridies enim erat quando talis vmbra, ſextam tangebat lineam, vnde quum tangeret quintam, vna tantum hora aberat à meridie, & ideo optime dicit, tam diuturnam dormitionem, ſufficientem fuiſſe concoctioni, & digeſtioni cuiuſcumque crapulæ, & indomitæ ebrietatis, & tranſiſſe tempus impendendum ſtudijs, & laboribus. Nam vt ait Martial. l. 4. epigr. 8

*Prima ſalutantes, atq; altera continet hora,*
*Exercet raucos tertia cauſidicos.*
*In quintam varios extendit Roma labores.*
*Sexta quies laxis, ſeptima finis erit.*

Immo prandendi etiam hora, exacta videbatur, ſi verùm ex Auſonio in Ephemeride re-

referet Caſaubonus hic dicente.

*Sedes prandendum eſt, quartam iam totus in horam.*

*Sol calet, ad quintam flectitur umbra notam.*

*EN quid agis? ſiccas inſana canicula meſſes iamdudum coquit, & patula pecus omne ſub ulmo eſt. Inſana canicula.* Epitheton iſtud ſignificare poteſt ſideris illius magnitudinem. Aſſerunt enim aſtronomi, eſſe ex illorum genere, quæ terram centies quindecies excedũt, & ita, quibus ſol tantum maior eſt. Quod autem adiectiuum inſani, magnitudinem importet, colligitur ex illo Virgilij Ecloga 9. v. 39.

*Huc ades ò Galathæa, quis eſt iam ludus in undis?*

*Hic uer purpureum, uarios hic flumina circũ*

*Fundit humus flores, hic cãdida populus antro*

*Imminet, & lenta texunt umbracula uites.*

*Huc ades, inſani feriant ſine littora fluctus.*

Et idem Virgilius lib. 6. Æneid. verſ. 133.

*Quod ſi tantus amor menti, ſi tanta cupido eſt*

*Bis ſtygios innare lacus, bis nigra uidere*

*Tartara, & inſano iuuat indulgere labori.*

Poſſet etiam accipi, in, vt negatiuum ſiue priuatiuum, & ita inſana eſſet non ſana, incolumitatis, ſeu integritatis, ſiue corporis, ſiue mentis, & conſilij expers. Quod epitheton potuit huic ſideri adhærere ex effectibus quos cauſat, vt mox dicam, & ita hic interueniret metonymia cauſæ pro effectu.

*CANICVLA* eſt ſidus cœleſte, dictum etiam Sirius, & canis maior, exoriens trigeſimo ferè die poſt æſtiuale ſolſtitium: cui quum ſol coniungitur, multiplicantur calores. &, vt loquitur

tur Plinius lib. 2. cap. 40. *Caniculæ exortu accendi ſolis uapores quis ignorat? cuius ſideris effectus ampliſſimi in terra ſentiuntur: feruent maria exoriente eo, fluctuant in cellis uina, mouentur ſtagna, Canes quidem toto eo ſpatio maximè in rabiem agi, non eſt dubium.* Merito ergo ſidus iſtud dictum inſana canicula, quum robore priuet, & ſanitate, & quũ bilẽ accẽdẽs, in furorẽ agat: furor vero inſania quędam eſt. Hinc Seruius in illud Virg. 10. Æn verſu 273.

*Sirius ardor*
*Ille ſitim morboſque ferens mortalibus ægris*
*Naſcitur, & læuo contriſtat lumine Cælum,*

ait: *Sirius eſt ſtella primæ magnitudinis in ore canis, quę, ut in tertio diximus, quantum in ipſa eſt, peſtifera eſt, & pro qualitate adiacentium, aut uincitur, aut maioribus utitur uiribus. Hinc eſt, quod quum certo tempore oriatur ſemper, non ſemper eſt noxia.* Ille ſitim morboſque ferens. *Plautus morbum ſolſtitialem appellat, qui ſolſtitio immanibus plerumque æſtatis mediæ uaporibus, & ſub caniculam, quæ Sirius dicitur: tum enim ardentiſſimæ graſſantur febres, quæ multos tollunt ægros.* Aſſerunt plerique ſidus iſtud fuiſſe Lælapen, nimirum canem illam, quam Procris Ericthæi Athenienſium Regis filia, Cephalo Deionis vel Mercurij filio, viro ſuo, vna cum iaculo ineuitabili, dono dedit, poſt quam cum eo in gratiam rediijt, ex offenſa contracta, eo quod corpus, credito mercatori, quem ipſemet Cephalus fingebat, illius donis, & muneribus victa, proſtituere parabat, vt narrat Ouidius 7. Metamorph. & Hyginus fabula 189. his verbis: [ Procris Pan-

dionis filia. Hanc Cephalus Deionis filius habuit in coniugio: qui quum mutuo amore tenerentur, alter alteri fidem dederunt, ne quis cum alio concumberet. Cephalus autem quum ſtudio venandi teneretur, & matutino tempore in montem exiſſet, Aurora Tithonis coniux, eum adamauit, petitque ab eo concubitum, cui Cephalus negauit, quod Procri fidem dederat. Tunc Aurora ait, nolo vt fallas fidem, niſi illa prior fefellerit. Itaq; commutat eum in hoſpitis figuram, atque dat munera ſpecioſa, quę Procri deferret. Quod quũ Cephalus veniſſet immutata ſpecie, munera Procri dedit, & cum ea concubuit. Tunc ei Aurora ſpeciem hoſpitis abſtulit: Quæ quum Cephalum vidiſſet, ſenſit ſe ab Aurora deceptam, & inde profugit in Cretam inſulam, vbi Diana venabatur, quam quum Diana conſpexiſſet: ait ei: Mecum virgines venantur, tu virgo nõ es, recede de hoc cœtu. Cui Procris indicat caſus ſuos, & ſe ab Aurora deceptam. Diana miſericordia tacta, dat ei iaculũ, quod nemo euitare poſſet, & canem Lęlapen, quam nulla fera effugere poſſet, & iubet eã ire, & cũ Cephalo contendere. Ea, capillis demptis, iuuenili habitu, Dianæ voluntate ad Cephalum venit, eumque prouocauit: quem in venatione ſuperauit. Cephalus vt vidit tantam potentiam canis, atque iaculi eſſe, petit ab hoſpite, non æſtimans coniugem ſuam eſſe, vt ſibi iaculum & canem venderet, illa negare cœpit: regni quoque partem pollicetur, illa negat, ſed ſi vtique, ait, perſtas id poſſidere, da mihi id quod pueri dare ſolent. Ille amore ia-

iaculi,& canis,incenſus,promiſit ſe daturum: qui quum in thalamos veniſſent, Procris tunicam leuauit,& oſtendit ſe fœminam eſſe, & coniugem illius,cum qua Cephalus,muneribus acceptis,redit in gratiam. Nihilominus illa timens Auroram, matutino tempore ſecuta eum, vt obſeruaret,atque inter virgulta delituit: quæ virgulta quum Cephalus moueri vidit,iaculum ineuitabilem miſit,& Procrin coniugem ſuam interfecit,ex qua Cephalus habuit filium Arceſium, ex quo naſcitur Laertes Vlyſſis pater.] Lælapem vero canem Iuppiter inter ſidera collocauit,voluitque eſſe Sirium,& canem maiorem; Alij vero dicunt ſidus iſtud eſſe Meram, quæ interfuit, quum ruſtici Icarium interfecerunt:quam fabulã ſic deſcribit Hyginus fabula 130. [Quũ Liber pater ad homines eſſet profectus, vt ſuorum fructuum ſuauitatem, atque iucunditatem oſtenderet, ad Icarium, & Erigonem in hoſpitium liberale deuenit: ijs vtrem plenum vini, munere dedit, iuſſitque, vt in reliquas terras propagarent. Icarius plauſtro onerato, cum Erigone filia,& cane Mera in terram Atticam ad paſtores deuenit, & genus ſuauitatis oſtendit. Paſtores quum immoderatius biberent,ebrij facti, conciderunt: qui arbitrantes Icarium ſibi malum medicamentum dediſſe, fuſtibus eum interfecerunt. Icarium autem occiſum canis vlulans Mera, Erigone monſtrauit, vbi pater inſepultus iaceret: quo quum veniſſet, ſuper corpus parentis in arbore ſuſpendio ſe necauit:ob quod Liber Pater iratus, Athenienſium filias ſimili

pœna

pœna afficit. De ea re ab Apolline reſponſum petentibus, quibus reſponſum eſt, quod Icarij, & Erigones mortem neglexiſſent. Quo reſpõſo, de paſtoribus ſupplicium ſumpſerunt, & Erigonæ diem feſtum oſcillationis, peſtilentiæ cauſa, inſtituerunt, & vt per vindemiam de frugibus Icario, & Erigonæ primum delibarent. Qui Deorum voluntate, in aſtrorum numerum ſunt relati, Erigone ſignum virginis, quam nos Iuſtitiam appellamus: Icarius, Arcturus in ſideribus eſt dictus: canis autem Mæra, Canicula.] Sed quum duo ſint canes in Cœlo, quidam putant Lęlapen eſſe procyon, id eſt ante canem, nam pro, eſt ante, cyon vero canis: & hic eſt canis minor, & canicula, cuius ortus eſt circa Idus Iulij. De quo Hor. 3. carm. ode 29.

*iam Procyon furit,*
*Et ſtella veſani leonis*
*Sole dies referente ſiccos.*

Mæram vero dicunt eſſe Sirium, & canem maiorem, cuius ortum ponunt ad 18 Kalendas Auguſti.

*MESSIS* aliquando eſt meſſio, ſiue actus metendi: aliquando vero ipſum metendi tempus. Sic Virg. Ecl. 5. verſ. 70.

*Ante focum, ſi frigus erit; ſi meſſis in umbra.*

Sæpius ſumitur pro ſegete iam matura. Sic Virg. 1. Georg. verſu 49.

*Illius immenſæ ruperunt horrea meſſes.*

Et ita hic ſumitur pro ſegetibus iam maturis, et iam aptis vt meti poſſint: nam teſte Varrone 1. de R.R. cap. 50 *Meſſis proprie nominata dicitur in ijs, quæ metuntur, maxime in*

*frumento, & ab eo eſt vocabulo declinata; frumenti tria genera meſſio is, vnum in Vmbria, vbi falce ſecundum terram ſuccidunt ſtramentū, & manipulum, vt quę æque ſubſecurint, ponunt in terra: vbi multos eos fecerunt, iterum eos percenſent, ac de ſingulis ſecant inter ſpicas, & ſtramentum: ſpicas conijciunt in corbem, atque in aream mittunt, ſtramenta relinquunt in ſegete, vnde tollantur in aceruum. Altero modo metunt in Piceno, vbi ligneum habent incuruum batillum, in quo ſit extremo ſerrula ferrea: hæc quum comprehendit faſcem ſpicarum, deſecat, & ſtramenta ſtantia in ſegete relinquit, vt poſtea ſubſecentur. Tertio modo metitur, vt ſub Vrbe Roma, & locis pleriſque, vt ſtramentum mediū ſubſecent, quod manu ſiniſtra ſummum deprehendunt, à quo medio meſſem dici puto.* Extenditur ad alia ſaltem metaphorice. Sic Plaut. Trinummo Act. 1. ſcena 1.

*mores mali, quaſi herba irrigua*
*Succreuerunt vberrimè, neque quidquam hic vile nunc eſt,*
*Niſi mores mali, eorum licet iam meſſem metere maxumam.*

Verum hic dum canicula dicitur coquere meſſem, intellige dictum per ſenecdochen vnius conſtellationis pro alia, nam fruges ante ortum canis, nedum maioris, ſed etiam minoris, demeſſæ, & collectæ ſupponuntur.

*IAMDVDVM* vox eſt compoſita ex iam, & dudum: vnde licet inueniatur vſurpata pro tempore futuro. Virg. 2. Æn. verſ. 02.

*ſi omnes vno ordine habetis Achiuos*
*Idque audire ſat eſt, iamdudum ſumite pœnas.*

Sed

Sed frequentius ſumitur pro præterito, ſiue paulò ante præterierit, vt Plaut. Menech. Act. 2 ſcen. 3.

*iamdudum mulier tibi*
*Non imprudens aduerſabar, hunc tuebam, ne me*
*Vxori renuntiaret de palla.*

Sed propriè importat tempus remotè præteritum. Sic idem Plautus Aſinaria Act. 3. ſc. 3.

*Iamdudum eſt intus.*

Et eadem fabula Actu 5. ſcena 2.

*Iamdudum factu 'ſt.*

Et huc modo hic ſumitur, quum ſit ſermo de Sole, quaſi iam iam ante horam exorto, & iam alto & exæſtuante, vt qui ſegetes vrere cœpiſſet.

*COQVIT*. Coquere propriè eſt cibum crudum, vt carnes, piſces, olera vel ſimilia, eſui apta reddere. Apud medicos coquere eſt cibum in Chylum vertere, vnde Celſus ſæpe ſic accepit, & maximè l. 1. c. 1 *Et die potius, quam ſemel cibum capere, & ſemper quam plurimum, dummodo hunc concoquat*. Fructus etiam coquuntur, dum, actione Solis, ad maturitatem perueniunt. Sic Virg. 2. Georg. verſu 522.

*Mitis in apricis coquitur vindemia ſaxis.*

Nec modo aliſimili nunc hic dicuntur coqui ſegetes, ſeu fruges, vel frumenta, dum vi caloris ſolaris matureſcunt.

*PATVLA vlmo. Patula* eſt lata, ſiue aperta: & differt à patente, quod patens dicitur res, quæ quandoque clauditur, talis enim quum eſt aperta, patens dicitur potius, quam patula, vt domus, vel arca. Patula vero dicitur res,

quæ naturaliter ſemper eſt aperta, vt ager, vel ſilua; tales etiam ſunt vmbroſæ arbores. Sic Virg. Ecl. 1. verſu 1.

*Tityre tu patulæ recubans ſub tegmine fagi,* nam ramos ſemper habet expanſos. Vlmus autem, vt & populus, propter foliorum raritatem, maritandis vitibus eſt idoneus, non enim impedit, quin vuæ ſolem recipiant, quo mature ſcant, & alioquin non ingratam exhibent, paſtoribus, agricolis, & pecoribus vmbram. Hinc Virgilius ait Ecloga 2. verſ. 8.

*Nunc etiã pecudes, vmbras, & frigora captat.*

*VNVS ait comitum. Verumne? Itane? Ocyus adſit huc aliquis. Nemon? Turgeſcit vitrea bilis, Finditur. Arcadiæ pecuaria rudere credas. Vnus ait comitum.* Gloriatur Caſaubonus ſe veram reſtituiſſe huic loco interpunctionem, quam, ait, deprauatam in omnibus libris, fraudi fuiſſe interpretibus. Ipſe ergo vult, præcedentia verba fuiſſe cuiuſdam ludi magiſtri, vel philoſophi, directa non ad vnum ſingularem, ſed ad plures diſcipulos, qui ſero ſcholam ingreſſi fuiſſent: cui, ſic obiurganti, reſponderit vnus ex comitibus illis ſcholam ingredientibus. Verumne? Itane? At mihi retinenda videtur communis interpretatio, nec puto eſſe inconueniens, ſi philoſophus nominetur, Vnus ex comitibus, quum plures Romanorum, philoſophos habuerint in famulitio, quibus liberos, litteris, & moribus inſtruendos tradebant. Sic Cicero ſuis filijs, Attici commendatione, Dionyſium quemdam philoſophum præpoſuerat, de quo deinde quæritur apud eumdem Atticum lib. 8. epiſt. 4, 5. & 10. Sic

ſe-

ſecutis tēporibus, Arſenius, in Senioris Theodoſij aulam arceſſitus, Arcadij & Honorij filiorum illius inſtitutioni præfectus fuit. Sic Auſonius Valentiniani, atque Gratiani Imperatorum inſtitutor extitit, vt & Seneca Neronis, Plutarchus Traiani, & alij aliorum. Comites autem dicebantur, qui aulam, ſe maiorem, comitabantur: & hinc dicti Comites Palatini, qui videlicet per Imperialem aulam Cæſares comitari, illiſque præſto eſſe debebant. Quum ergo procerum, ſiue nobilium, diuitumque filij, ratione dominij, Philoſophis, in [illegible] ſui exiſtentibus (quantumuis honorabilibus, vt Platone in aula Dionyſij, & Ariſtotele in aula Philippi) maiores eſſent, rectè philoſophi illi aliorum Dionyſij, & Philippi, vel Alexandri, aut aliorum procerum, comites dici poterant. Nec vnquam animum flectere potuerat ad credendum hæc verba dicta fuiſſe ad plures in publica ſchola, potius quam ad vnum, in cuius thalamum obiurgator ille, ſolitam altius ſuperarit, ad eum à ſomno excitandum. Alioquin videat Caſaubonus quomodo incongruentur: Ocyus adſit huc aliquis. quorum verborum tam ſenſum, quam coniunctionem, (vt ſolet vbi difficultatem inuenit) prætermittit, notās tantum eis exprimi mores delicati adoleſcentis, ſed tam hæc, quam ſequentia, nequeunt congruentem ſenſum accipere, ſi in ſchola dicta ponantur: planum verò, ſi in cubiculo. Ait itaque, *Verumne? Itane?* Appoſitè ad mores exprimendos vtitur his ſecundis: idem enim prorſus ſignificant Verumne, & Itane? & quum ponantur cum inter-

terrogatione, admirationem important. Itaq; magiſtro increpanti, quod ad medium uſque diem diſcipulus lecto, ſomnoque detineretur, hic, quaſi non aſſiduè hoc feciſſet, ſed foret inſolitus, & caſualis defectus, admirabundus interrogat, num reuera ita accidiſſet. Ex quo magis explodas Caſauboni interpunctionem: ſi enim in ſchola iſta dicta fuiſſent, vtique, ſaltem, ad eam accedendo, aduerte e potuiſſet, horam imminere meridianam, quam non clauſo cubiculo nouiſſe non potuerat. Credens nihilominus ita eſſe, vt à magiſtro audierat, aduocat feſtinanter aliquem e cubicularijs, qui ei neceſſarium, ipſum induendi, exhibeat famulatum: & quum is, aduocatus non ſtatim præſto fuiſſet, excandeſcit iracundia, quaſi famulorum culpa, ſtudijs, quæ ipſe deperiret, vacare non poſſet. Per quæ verba etiam Caſauboni interpunctio excluditur, nam in ſchola non erat induendus, nec aliam neceſſaria opera famulorum.

*OCYVS* idem valet, ac quam citius, ſiue ſtatim, dictum quaſi per ocyum, & abſque impedimento: quæ enim ſine repugnantia fiunt, celeriter, & minimo temporis ſpatio abſoluuntur, & ita ocyus quaſi per ocyum facta videntur, ſic Hor. 2. ſerm. ſat. 7.

*iuſſerit ad ſe*
*Mæcenas ſerum ſub lumina prima venire*
*Conuiuam: nemon oleum feret ocyus? ecquis*
*Audit? cum magno blateras clamore.*

Vbi vero obſtantia ſunt vincenda, ſerius res completur. His etiam verbis hypocriſis delicati adoleſcentis exprimitur, dum præ ſe

fert

lere ardorem voluntatis erga ſtudia, à quibus animo erat omninò alienus.

*TVRGESCIT* idem eſt, ac intumeſcit, ſeu humorem contrahit, & inflatur. Sic Naſo lib. 3 Amorum elegia 10.

*Prima Ceres docuit turgeſcere ſemina in agris,*
*Falce coronatas ſubſecuitque comas.*

Et Varro lib. 3. R R. cap. 9. *ubi exclusi ſunt pulli diebus quindecim primis mane, ſubſtrato pulvere, (ne roſtris noceat terra dura) polentam mixtam cum naſturtii ſemine, & aqua aliquanto facta ante, & ne tum deinde in eorum corpore turgeſcat, aqua prohibendum.* Sic Ouid. 3. Triſt. eleg. 12.

*Quaque loco eſt arbor, turgeſcit in arbore ramus.*
*Nam procul à Geticis finibus arbor abeſt.*

Et Cic. lib. 3. Tuſculanarum. *Nam ſicut iſte Heracleotes Dionyſius ad ea diſputat, quæ apud Homerum Achilles queritur, hoc ut opinor modo.*
*Corque meum penitus turgeſcit triſtibus iris.*
*Cum decore, atque omni me orbatum laude recordor. Num manus affecta recte eſt, quum in tumore eſt? aut num aliud quodpiam membrum tumidum, ac turgidum, non vitioſè ſe habet? Sic igitur inflatus, & tumens animus in vitio eſt, ſapientis autem animus ſemper vacat vitio, numquam turgeſcit numquam tumet.*

*VITREA bilis*, ſi diceretur à colore, eſſet melancholia, hæc enim atra eſt, & ſubuiridis, ut vitri referat colorem. Verum exiſtimo denominatam vitream, vel à vitri ſplendore, vel ob eius fragilitate, & eſſe bilem flauam, ſeu choleram, qua ſignificatur excanduiſſe,

ado-

adoleſcentem, dum vocatus cubicularius, non fuit præſto cum veſtibus. Accenditur enim facile iſta bilis, quando res ex animi ſententia, non ſtatim eueniunt.

*FINDITVR:* ſic eſt in multis codicibus; in alijs vero, *Findor ut*; & iuxta vtramque lectionem textus eſt interpretandus. Findor idẽ valet ac ſcindor, ſiue rumpor. Sic Columella lib. 4. cap. 29. *Is nodus, etiam ſi quatuor digitis à reſectione abfuerit, illigari tamen cum prius, quam vitis findatur, conueniet, ne quum ſcalpro factum fueris iter ſurculo, plus iuſto plaga hiet.* Legendo itaque finditur, ſenſus erit, adoleſcentem, aduocato cubiculario, eoque morante, vociferaſſe, dicendo: Nemone ad me veniet? Nemo mihi obediens erit? Et tunc, non adoleſcens, ſed poeta, referens adoleſcentis iracundam inflationem, ſubdat, videri talem, vt ſi immodicis clamoribus rumperetur. Legendo vero Findor, ſenſus erit, quod adoleſcens, arceſſito cubiculario, & eo non adueniente, nedum clamet: Nemo mihi præſto erit, ſed ipſemet quæratur, ex tali famulorum oſcitantia, & inobedientia, accendi in ſe bilẽ qua rumperetur, nam findi eſt rumpi. Ouid. 1. Triſt. eleg. 8.

*Terra feret ſtellas, Cęlum findetur aratro.*

Sic Propert. l. 3. eleg. 3.

*Arma Deus Cęſar, dites meditatur ad Indos,*
*Et freta gemmiferi findere claſſe maris.*

Licet Virgil. pro diuidi acceperit, 6. Æneid. verſu 540.

*Hic locus eſt partes vbi ſe via findit in ambas.*

Et vt citato loco Naſonis, ita in hoc Perſij, in

verb

verbo finder eſt hyperbole, auxeſis, & exaggeratio, dum ex eo, quod adoleſcens magna clamaret voce, findi ſeu rumpi dictus eſt. Et eſt etiam in verbo metaphora, ſicut enim ſi vas aliquod rumperetur, quidquid fluidum eo continebatur, vno quaſi impetu effunderetur: ita quum vox, quæ, quaſi intra pectus continebatur, per validum clamorem tota ſimul exit audita, per pectoris fiſſionem, ſeu rupturam, factum videri potuit. Obſerua etiam circa eaſdem lectiones, quod legendo Finditur, ſequitur immediatè: *Arcadiæ pecuaria rudere credas*, & ſunt dicta relata, ſiue narrata à poeta. Legendo vero Findor, id verbum intelligitur dictum ab irato adoleſcente: ad quod ſequitur particula collatiua, *Vt*, & deinde collatio, *Arcadiæ pecuaria rudere credas*, quæ verba ſunt poetæ, vel alicuius ex adſtantibus. Ex his lectionibus ſequutus ſum eam, quæ habet *Finditur*, ſed aliam non reprobaui.

*ARCADIA* eſt quedam intima Peloponneſi regio, vnde quæ à mari remota, prius Licaonia, & Parrhaſia dicta, inde Pelaſgia à Rege Pelaſgo, qui illius incolas à victu ex herbarum ſtirpibus, arborumque folijs, quibus, pecorum more vtebantur, ad glandes tranſtulit, maximè fagineas. Sed quum demum Arcas, Iouis ex Caliſto filius, Pelaſgos in deditionem accepiſſet, regionem à ſe Arcadiam nominauit, & habitatores Arcades, qui antiquitatis gloriabantur, aſſerentes ſe è terra ante Lunam emerſiſſe, in cuius rei teſtimonium, Lunam in pedibus, ideſt in calceis geſtabant. Pana tamen naturæ Deum, vt ſuum ſingulare numẽ colebant, vnde Virg. ait Ecl. 4. v. 58. *Pan*

*Pan Deus, Arcadia mecum ſi iudice certet,*
*Pan etiam Arcadia dicet ſe iudice victum.*

Attollitur regio iſta ſeptuaginta ſex montibus, vt refert Plinius lib. 4 cap 6 his verbis: *Arcadia vniuerſa velut penſante equorum incurſus natura, in montes ſex, atque ſeptuaginta attollitur.* Et quum vt diximus, & Plinius eodem loco fatetur, ſit vndique à mari remota, non tam exteris negotiationibus, quam pecorum, & armentorum paſtionibus clara erat, & illius præcipua laus erat ex aſinis, quos procerrimos educabat, vt nunc Apulia, & olim ager Reatinus, ideo ob corporis vaſtitatem in prouerbium abiere, vt aſini, Arcadiæ pecuaria dicantur.

*PECVARIA* aliquando ſunt rationes parandi, & paſcendi pecoris, ad vberes ex eo fructus habendos. Sic Varro lib. 3. R. R cap. 1. *Thebe quum agriculturam primo propter paupertatem maximè indiſcretam haberent, quod à paſtoribus, qui erant orti peculia diuiſerunt, ac factum vt dicerentur alij agricolæ, alij paſtores. Quæ ipſa pars duplex eſt, tametſi ab nullo ſatis diſcreta, quod altera eſt villatica paſtio, altera agreſtis: hæc nota & nobilis, quod pecuaria appellatur, & multum homines locupletat: & ob eam rem, aut conductos, aut emptos habet ſaltus. Altera villatica, quod humilis videtur, à quibuſdam adiecta ad agriculturam, quum eſſet paſtio, neque explicata tota ſeparatim, quod ſciam, ab vllo. Itaque quum putarem eſſe rerum ruſticarum, quæ conſtituta ſunt fructus cauſa, tria genera, vnum de agricultura, alterum de re pecuaria, tertium de villaticis paſtionibus tres libras*

*pecuariis inſtitutis, è queis duos ſcripſi, primum ad Fundaniam vxorem de agricultura: ſecundum de pecuaria ad Turannium Nigrum: qui reliquus eſt tertius de villaticis fructibus, in hoc ad te mitto.* Aliquando vero pecuaria dicuntur, vel loca in quibus pecudum greges conſiſtunt, vel ipſi pecudum greges. Sic Varro proœmio libri 1. R.R. *Tibi Niger Turanni noſter, qui vehementer delectaris pecore, propterea quod te emptitavienſem in campos magnos ad mercatum adducunt crebro pedes, quo facilius ſumptibus multa paſcentibus miniſtres, quod eo facilius faciam, quod & ipſe pecuarias habui grandes, in Apulia ouiaria, & Reatino equaria. Quia de re pecuaria breuiter, ac ſummatim percurram, ex ſermonibus noſtris, collatis cum ijs, qui pecuarias habuerunt in Epiro magnas.* Et idem eodem lib. 2. cap. I. *Omnis pecuniæ, pecus eſt fundamentum: ea partes habet nonimus diſcretas, ternas, vt ſit vna de minoribus pecudibus, cuius genera tria, ouis, capra, ſus altera de maiori pecore, in quo ſunt aliæ tres ſpecies naturæ diſtinctæ, boues, aſini, equi. Tertia pars eſt in pecuaria, quę non paratur vt ex ea capiatur fructus, ſed propter eam, ut muli, canes, paſtores.* Sed de pecuarijs pro gregibus quorumcumque pecorum loquitur Virg. dicens 3. Georg. verſ. 63.

*Interea ſuperat gregibus cum lęta iuuentus*
*Solue mares, mitte in Venerē pecuaria primus*
*Atque aliam ex alia generando ſuffice prolem.*

At hic pecuariorum nomine, intelliguntur tantum aſinorum greges, vel etiam ſinguli aſini, qui ſunt maximè vocales, & Arcadarum ſpeciale nomen,

*RV-*

*RVDERE* eſt aſperam, & inſuauem edere vocem, qualem audimus ex aſinis. Verbum iſtud apud Virgilium, Ouidium, & alios, primam corripit ſyllabam. Sic 7. Æneid. v. 15.

*Hinc exaudiri gemitus, iraque leonum*
*Vincla recuſantum, & ſera ſub nocte rudentũ.*

Et idem, loquẽs de Caco ait 8. AEneid v. 247

*Ergo inſperata deprenſum in luce, repente*
*Incluſumque cauo ſaxo, atq; inſueta rudentem*
*Deſuper Alcides telis premit.*

Sic Ouid. 1. Faſtorum:

*Ecce rudens rauco Sileni vector aſellus*
*Intempeſtiuos edidit ore ſonos.*

Et idem 3. de Arte.

*Illa ſonat raucum quiddam, atque inamabile ridet,*
*Vt rudit à ſcabra turpis aſella mola.*

Et in carmine Philomelæ.

*Quirritat uerres tardus, rudit oncat aſellus.*

Sed Perſius hic eamdem produxit: hinc dicendum puto eam eſſe communem. Rudere ergo vox eſt propria aſinorum, ſicut balare ouium, mugire boum, hinnire equorum, rugire leonum, latrare canum, vt non niſi catachreſticè, vel metaphoricè Virgilius loco citato 7. AEneidos rudere tribuerit leonibus, & multo maiori abuſione homini Caco, loco relato ex 8. AEneidos.

*IAM liber, & bicolor poſitis membrana capillis. Inque manus chartæ, nodoſaque venit arundo.* Liber ſubſtantiuè priorem producens, cuius patrius eſt Liberi, idem eſt, ac Dyoniſius, ſiue Bacchus. Sic dictus, vel quod libertatis fuerit Deus, pro patria, nempe Bœotiæ liberta-

pugnando. Vel quod fuerit vini repertor: vinum autem à curarum, ærumnarumque liberat ſeruitute, vnde vino pleni, libera ſint lingua, vt patuit in Clyto erga Alexandrum: & interdum Liber pro vino ponitur. Sic Plautus Curculione Actu 1. ſcena 2.

*Flos veteris vini meis naribus obiectus eſt*
*Eius amor cupidam huc me per tenebras prolicit.* *(anime mi*
*Vbi ubi eſt, prope me eſt, euax, habeo, ſalue*
*Liberi lepos, ut veteris vetuſti, cupida ſum.*

Et ibidem:

*Vini pollens lepidus Liber, qui ſcreanti tibi*
*Siccæ, ſemiſomnę potionem adfert, atque it ſedatum te.*

Sic Terentius Eunucho Actu 4. ſc. 5.

*Verbum hercle uerum hoc eſt, ſine Cerere, & Libero friget Venus.*

Sic Cicero 2. de Natura Deorum. [Multæ aliæ naturę Deorum, ex magnis beneficijs eorum non ſine cauſa, & à Græcis ſapientiſſimis, & maioribus noſtris conſtitutæ, nominatæque ſunt. Quidquid enim magnam vtilitatem generi adferret humano, id non ſine Diuina bonitate erga homines fieri arbitrabantur: Itaque tum illud, quod erat à Deo natum, nomine ipſius Dei nuncupabant, vt quum fruges Cererem appellamus, vinum autem Liberum.] Aliquando vero libe eadem prima producta, ſed adiectiuè, eſt idem as libatio, ſic dicta à Græco λείπω, ſiue λειβῶ, vnde ab antiquis Latinis dicebatur loibeo, vel loebeo. Et quia nulla erat grata libatio, niſi quæ eſſet ſpontanea, ſiue liber dictus eſt, qui ſai

teret

foret iuris, & nullius addictus ſeruituti Hinc Plautus Curculione Actu 5. ſcena 2.

*Mea libera ut ſit, quam ego numquam emiſi manu?*

Et idem Plautus Menechmis Actu 5 ſc.7.

*Mea quidem hercle cauſa liber eſto, atque abito quo uoles.*

Hinc, quamuis in plurali tantum numero, liberi dicantur ingenuorum filij, tam mares, quam fœminæ, vſque ad trinepotes, etiam ſi de vno tantum ſit ſermo. Sic Caius in L. Non eſt ff. de verbor. ſignific. docet, non eſſe ſine liberis, cui vel vnus filius, vnaue filia eſt. Sic Terent. Hecyræ Actu 2. ſc. 1.

*An quidquam pro iſtis factis dignum te dici poteſt (cium paras.*
*Qui me, & te, & familiam dedecoras, filio lu-*
*Tu autem, ex amicis inimici ut ſint nobis affines facis,*
*Qui illum decrerunt dignum, ſuos cui liberos committerent.*

Et Paulus L. Iuriſconſultus ff de gradibus affinitatis, monet Liberos vocari vſque ad trinepotes. Calliſtratus etiam L. Liberorum, ff. de verbor. ſignif. aſſerit Liberorum appellatione, nepotes & pronepotes, cæteroſque ex his deſcendentes, contineri hos enim omnes liberorum appellatione lex duodecim Tabularum comprehendit. Verum quia nunc Liber primam corripit, non eſt accipiendum ita, nec vt adoleſcens ille excitatus, relicto ſtrato, expedituſque ab occupatione ſe veſtiendi, & comendi, inſtrumenta acceperit ſtudendi, vt ex. p... ſi liber primam produceret. Nunc

autem

autem Liber priore correpta, eſt quoddam genus corticis, in plures philyras diuiſibilis, è quibus dierant, quæ in Ægypto papyro detrahebantur, & chartæ vſum præbebant. Philyra enim eſt membrana tenuiſſima, inter corticem, & lignum arboris, maximè tiliæ, de quo Plin. lib. 16 cap. 14. [ Mirum in hac arbore, fructum, à nullo animalium attingi, foliorum, corticiſque ſuccum eſſe dulcem. Inter corticem, & lignum tenues tunicas, multiplici membrana, è quibus vincula tiliæ vocantur: tenuiſſimæ earum philyræ.] De charta autem idem Plinius lib. 13. cap. 2. ait: Hanc Alexandri Magni victoria repertam, author eſt M. Varro, condita in Ægypto Alexandria. Ante non fuiſſe chartarum vſum, in palmarum folijs primo ſcriptitatum; deinde quarundam arborum libris, poſtea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & priuata linteis confici cœpta, aut ceris. ] Generalius liber ſumitur pro Cortice. Sic Columella lib 5. cap. 10 [ Tria porro genera inſitionum antiqui tradiderunt: vnum, quo reſecta, & fiſſa arbor, reſectos ſurculos accipit: alterum, quo reſecta inter librum, & materiam, ſemina admittit: quæ vtraque genera verni temporis ſunt. Tertium quo ipſas gemmas cũ exiguo cortice, in partem ſui deliberatam recipit, quam vocant agricolæ emplaſtrationẽ, vel, vt quidam, inoculationem.] Et ibidem paulò inferius. Arborem quam inſerere volis, ferra diligenter exſecato, ea parte quæ maximè nitida, & ſine cicatrice eſt, dabiſque operam ne librum lędas.] Et infra. Hoc tertiũ

genus

genus inſitionis, quum ſit ſubtiliſſimum, non omni generi arborum idoneum eſt, ſed ferè recipiunt talem inſitionem, quæ humidum, ſucculentumq; & validum librum habent.] Sic Virgil. 2. Georg. verſu 74.

*Nam qua ſe medio trudunt de cortice gemmæ,*
*Et tenues rumpunt tunicas, anguſtus in ipſo*
*Fit nodo ſinus: huc aliena ex arbore germen*
*Includunt, udoq; docent inoleſcere libro.*

Et quum libri, idest tenuiores quorumdam arborum cortices, antiquis chartarum præberent vſum, hinc codices ex eis compaginati per ſenecdochen materiæ, libri ſunt dicti, & dicuntur, etiam mutata materia, inuentis iam chartis. Hinc Iuuen. ſat. 1. verſu 8.

*Quicquid agunt homines, uotum, timor, ira, uoluptas,*
*Gaudia, diſcurſus noſtri eſt farrago libelli.*

Et Mart. lib. 8. epigr. 29.

*Diſticha qui ſcribit, puto, uult breuitate placere.*
*Quid prodeſt breuitas, dic mihi, ſi liber eſt?*

Et de tali libro nunc loquitur, idest de codice, in quo ſtudendum erat, quem adoleſcens acceperat cum alijs inſtrumentis.

*BICOLOR membrana. Membrana* eſt pellis exterior, qua membra teguntur: dicta bicolor fortè, quia ex ea parte, qua adhæſit carni animalis, eſt alba: ex exteriori vero flaua, vel crocea. Generalius etiam, membrana appellatur quæcunque tenuis pellicula. Vide Cic. 2 de Nat. Deorum: *Quis uero opifex præter naturam qua nihil poteſt eſſe callidius, tantam ſolertiam perſequi potuiſſet in ſenſibus? quæ primum*

oculos

*ulos membranis tenuiſsimis veſtiuit, & ſepſit.* Et Plinius citatus lib. 16 cap. 4. membranas dixit eſſe in tilijs inter lignum, & corticem. Sed frequentius membranarum appellatione veniunt chartæ pergamenæ, in Pergamo Aſiæ Ciuitate, circa Caicum fluuium ſita, vel primum inuentæ, vel celebratæ, ab Eumene illius Rege, quum ex Ægypto papyraceas habere non poſſet, prohibente Ptolomæo illarum exportationē, ne Eumenes copioſiorem inſtrueret bibliothecam, quam ipſe, vt refert his verbis Plinius lib. 13 cap. 11. *Æmulatione circa bibliothecas Regum Ptolemæi & Eumenis, ſupprimente chartas Ptolomæo, idem Varro, membranas Pergami tradidit repertas.* Vt autem membrana, ſiue charta pergamena, fiebat ex pellibus agnorum, ſiue hædorum, ita papyracea ex papyro, planta prouenıente circa Ægypti Pharum, vbi aquę Nili ſtagnant, deoque ſub Ptolomęi ditione: Eius initium referunt ad Alexandri tempora, licet quidam tam membranaceam, quam papyraceam, allegant multo fuiſſe antiquiorem. Certè antiqui in arborum ſcribebant folijs; adeo vt etiam nunc, chartis membraniſq; repertis, foliorum conſeruetur nomen. Alij in libris ſcribebant, ſeu interioribus arborum corticibus, quas etiam membranas dicebant. Alij in laminis plumbeis, ęreis, aut ex alio metallo confectis, in tabulis etiam ligneis, cęra obductis: alij in coctis lateribus, vel alijs duris materijs. Sed nunc ſiuorum communior eſt charta ex maceratis, & contuſis linteis, antiquis quidem incognita, ſed quæ (licet memoratis ſit fra-

gilior ) vſui eſt magis proportionata, & eius copia, & agilitati medetur. B color ergo membrana, eſt duorum colorum, vel quia, qua parte adhæſit carni eſt alba, ex exteriori vero flaua: vel quia membranæ nomine intelligit eam, quam nunc vulgo chartetam dicunt, de qua Tibull lib.3. eleg. 1.

*Carmine formoſæ, precio capiuntur auaræ,*
*Gaudeat, vt digna eſt, verſibus illa meis*
*Lutea, ſed niueũ inuoluat membrana libellũ,*
*Pumex, & canas tondeat ante comas.*

Et Iuuen. lat.7. verſu 22.

*Si qua aliũde putas rerum expectanda tuarũ*
*Præſidia, atque ideo croceæ membrana tabellæ*
*Impletur, lignorũ aliquid poſce ocyus, & quę*
*Componis dona Veneris Thelcſine, marito,*
*Aut claude, & poſitos tinea pertunde libellos.*

Hæc enim vtique alius coloris eſt ex parte exteriori, quam ex interiori. Immò etiam ſi chartera non fieret tunc niſi ex ſola, & ſimplici membrana, ob poſitam tamen rationem bicolor dici potuit. Et ratio, quæ me mouet ad ſic ſentiendum, præter aliorum interpretum ſenſum, eſt, quia immediatè poſt fit mentio chartarum, & arundinis, tamquam è chartera extractarum, vt fit etiam nunc, nec eſt veroſimile, adoleſcentem iſtum eodem tempore ſcribere voluiſſe in chartis, & membranis..

*POSITIS capillis.* Multa congerunt hic cõmentatores, & maximè Caſaubonus, & Io: Antonius Vallo pro intelligentia huius textus, & tandem concludunt, Perſium catachreſtice locutum, nominando capillos, pilos bicoloris

coloris membranæ, quos, ait Caſaubonus, ſcholares pumice deradere ſolitos, ideoque eos ſemper præ manibus habuiſſe tam pumices, quam cultellos ad membranas expoliendas. Sed tandem fatetur, pueros pumicibus vti conſueuiſſe, non tam ad membranas pilis purgandas, quam ad calamos exacuendos, ad quẽ vſum nunc vti cultellis videmus, vnde nihil de poſitione capillorum. Planior ergo ſenſus videtur ſi accipiamus id, *Poſitis capillis* dictũ eſſe per Aphęreſin auferẽtem ſyllabam à principio dictionis, nam ita, poſitis idem valebit, ac compoſitis, nam capilli qui nocturna capitis adoleſcentis ſuper ceruicalia agitatione, turbati, & confuſi fuerant, nunc rectebantur & componebantur, vt fit etiam nunc ab elegantiorem cultum ſectantibus, antequam vel domo procedant, aut negotio ſe tradant. Nec obſtat, quod antiqui capillos tondere conſueuerint, vt non potuerint eſſe, quos componerent: nam pueri, & philoſophi eos nutriebant, vnde ſatyra 1. verſu 29. pueri cirrati dicti ſunt:

*Ten cirratorum centum dictata fuiſſe*
*Pro nihilo pendas?*

Nunc autem ſermo eſt de puero philoſophiæ candidato. Compoſitis autem capillis, eſt, ordine poſitis, nam componere eſt, cum alio ponere & ordinare, et, ad propoſitum præſentis loci, comere, & ornare, nam maxima ornatus pars in ordine conſiſtit. Hinc Virg. 4. Georg. verſu 415.

*Hæc ait, & liquidum ambroſiæ diffudit odorē*
*Quo totum gnati corpus perduxit; at illi*

*Dulcis compoſitis ſpirauit crinibus aura,*
*Atque habilis membris venit vigor.*

CHARTÆ. Iam dictum quid chartæ nomine ſignificetur, fiebat enim ex papyro, vt nunc ex contuſis, & maceratis linteis. Ex quo arguebamus, membranam, de qua ſupra, non veniſſe ad vſum ſcribendi, ſed potius contegendi ac defendendi, tam chartas quam calamos, & alia inſtrumenta, ad quem vſum etiam nūc ſcholares charteris vtuntur: ad quid enim chartæ, ſi, pro vſu ſcribendi, membranas aſſumpſerat. Sic Mart. l. 13. epig. 1.

*Ne toga cordillis, & penula deſit oliuis,*
*Aut inopem metuat ſordida blatta famem,*
*Perdite Niliacas Muſæ mea damna papyros*
*Poſtulat ecce nouos ebria bruma ſales*
*Non mea magnanimo depugnat teſſera talo,*
*Senio, nec noſtrum cum cane quaſſat ebur*
*Hæc mihi charta nuces, hæc eſt mihi charta frit illus,*
*Alea nec damnum, nec facit iſta lucrum.*

ARVNDO frutex eſt aquaticus, calamus etiam appellatus, quo maximè vtebantur ad ſagittarum vſum, quia ob leuitatem facilè mitti, & ad longum ſpatium vibrari poterat. Sic Virg. lib. 7. Æneid. verſu 496.

*Ipſe etiam eximię laudis ſuccenſus amore*
*Aſcanius, curuo direxit ſpicula cornu,*
*Nec dextræ erranti Deus abfuit, actaq; multo*
*Perque vterum ſonitu, perq ilia venit arūdo.*

Arundinem enim nominauit, per ſenecdochen partis pro parte, vel pro toto, pro ſagitta conſtante ferro, & calamo. Hæ autem arundines ex quibus fiebant ſagittæ, graciles erant

& mi-

& minutæ, habentes longa,ſed tecta internodia, quæ etiam calami dicebantur. De his Plinius lib. 16. cap. 36. *Calamis, Orientis populi bella conficiunt. calamis ſpicula addunt, irreuocabili hamo noxia: mortem accelerant pinna additis calamis, fitq;et ex ipſo telum aliud, fracto in vulneribus. His armis ſolem ipſum obumbrāt: propter hoc maximè ſerenos dies optant, odere ventos, & imbres, qui inter illos pacem eſſe cogunt. At ſi quis AEthiopes, AEgyptum, Arabes, Indos, Scythas, Bactras, Sarmatarum tot gentes, & Orientis, omniaque Parthorum regna diligentius computet, ęqua fermè pars hominum in toto mundo calamis ſuperata degit. Pręcipuus hic vſus in Creta bellatores ſuos præcipitauit. Sed in hoc quoque, ut cæteris in rebus, vicit Italia, quādo nullus ſagittis aptior calamus, quam in Rheno Bononienſi amne, cui plurima ineſt medulla, ponduſque volucre, contra flatus quoque peruicax libra.* Arundinibus gracilioribus vtebantur ad ſcribendum Mart. lib. 14. epig. 3.

*Dat chartis habiles calamos Mēphitica tellus*
*Texantur reliqua tecta palude tibi.*

Quia ex AEgypto, & Nili paludibus aduehebantur calami ſcriptorij præſtantiores cæteris, exceptis Gnidijs. Et à calamis factum eſt calamitatis nomen, importans tempeſtatem turbinatam, comminuentem ſegetum calamos. Quod ergo hic dicitur, in manus veniſſe cum charta, & etiam nodoſam arundinem, arundinis nomine calamum intelligit ſcriptorium.

*TVNC queritur craſſus calamo, quod pendeat humor, nigra, quod infuſa vaneſcat ſepia lympha: Dilutas queritur geminet, quod fiſtula guttas.*

*tas*. Queritur quum diphtongum in priori ſyllaba habet, ſignificat inuſtigare, & ſimilia hinc deducta. At quum eſt ſine diphtongo, ſignificat lamẽtari: & ita ſumitur hic. Sic Cato apud Salluſtium in Catilinario: *Sepenumero P. C. multa uerba in hoc ordine feci, ſepe de luxuria, atque auaritia noſtrorum Ciuium queſtus ſum*. Sic Cicero lib. 1. epiſt. 4. *Ego neque de meo ſtudio, neq; de nonnullorum iniuria ſcribendum mihi eſſe arbitror. Quid enim, aut me oſtentem? qui, ſi vitam pro tua dignitate profundam, nullam partẽ uideor tuorum meritorũ aſſecutus: aut de aliorum iniurijs querar, quod ſine ſummo dolore facere non poſſum*. Sic de Io loquẽs Ouidius ait lib. 1. Metamorphoſeos.

*Cum Ioue viſa queri eſt, finemque orare malorum.*

Et Chloris ſic loquitur apud eumdem Ouid. lib. 5. Faſtorum:

*Sancta Iouem Iuno, nata ſine matre Minerua*
*Officio doluit non eguiſſe ſuo*
*Ibat, ut Oceano quereretur facta mariti*
*Reſtitit ad noſtras feſſa labore fores.*

Quamuis autem lamẽtationum cauſæ hic relatæ, non videantur conuenire illis, qui iam emenſis Grammaticę ſtudijs, & pubertatem ingreſſi, philoſophiæ operam nauabant, non tamen fruſtra a poeta recenſentur, quo videlicet innuat, non eſſe pluris faciendas excuſationes, quibus iſti abducebantur à ſtudijs philoſophicis, quam illæ, quibus pueri retrahebantur à ſtudijs Grammaticæ.

*CRASSVS* idem eſt, ac pinguis, denſus ac ſpiſ-

ſpiſſus. Sic Cicero loquens de aere, & æthere ait 1. Tuſculan. *Nihil habent hæc duo genera proni, & ſupera ſemper petunt: ita, ſiue diſſipantur, procul à terris id euenit, ſiue permanent, & conſeruant habitum ſuum, hoc etiam magis neceſſe eſt ferantur ad Cælum, & ab his perrumpatur, & diuidatur craſſus hic, & concretus aer, qui eſt terræ proximus, calidior eſt enim, vel potius ardentior animus, quam eſt hic aer, quem modo dixi craſſum, atque concretum.* Craſſus ergo humor dictum eſt atramentum, ob ſpiſſitudinem, ſiccitatem, pinguedinem, aut denſitatem, calamo adhærēs, vt ex eo non currat ad ſignandam chartā, & characteres in ea formandos. Qui defectus licet potuerit aliunde etiam prouenire, vt ex calami modice fiſſi, ineptitudine, aut ex charta, glutini copia, ſigna reſpuente, hic ſignificatur naſci ex atramenti vitio.

*HVMOR* propriè eſt aqua. Sic Cicero loquens de aere, ait lib. 2. de natura Deorum: *Is quum fuſus, & extenuatus ſublime fertur, tum autem concretus in nubes cogitur, humoremque colligens, terram auget imbribus.* Et eodem lib. 2. inquit: *Sunt ſtellæ natura flammeæ, quo circa terrę, maris, aquarum vaporibus aluntur, his qui à ſole ex agris tepefactis, & ex aquis excitantur, quibus altæ, renouatæque ſtellæ, atque omnis æther, refundat eadem, & rurſum trahunt indidem, nihil vt ferè intereat, aut admodum paululum, quod aſtrorum ignis, & ætheris flamma conſumat. Ex quo euenturum, noſtri putant id de quo Panætium addubitare dicebant, vt ad extremum omnis mundus igneſceret, quum*

*hum re conſumpto, neque terra ali poſſet, neque remearet aer, cui is ortus, aqua omni exhauſta, eſſe non poſſet: ita relinqui nihil præter ignem, à quo rurſum animante Deo, renouatio mundi fiet.* Dictus eſt autem humor ab humo, quia aqua terram ambit, & in terræ viſceribus multa continetur. Et tamen humor nedum aquam ſed & vinum, & alia ſignificat. Virg. 1. Georg. verſu 295

*Aut dulcis muſti Volcano decoquit humorem.*

*SEPIA* piſcis eſt ex mollium genere, ſicut loligo, polypus, & alia: &, vt loligo, pro ſanguine humorem quemdam habet, nigerrimum quaſi atramentum, quem (vbi piſcatorum aduertit inſidias) effundit, eoque aquas turbat, ne piſcatores obſeruent, quo declinat, & ita ſuæ conſulit libertati. Et vt obſeruat Plinius lib. 9. cap. 29. hunc ſanguinem nigriorem habent mares, quam fœminæ eiuſdem ſpeciei. Ponitur autem hic ſepia pro atramento ſcriptorio, non quod ex ſepiæ ſanguine atramentum fieret (niſi forte ab Afris, vt eſt in veteribus gloſſis huius loci) ſed ob coloris ſimilitudinem. Fiebat autem atramentum ſcriptorium ab antiquis, ex balinarum, ſiue culinarū fuligine: nunc autem fit ex electri, vel ſuccini, ſiue gummæ Arabicę parte dimidia, atraměti ſutorij (quod à vitri ſimilitudine vitriolū nominatur) partibus duabus: gallę roboreę & criſpę partibus tribus: Et aquæ ſiue vini partibus triginta, ad ſolem, vel ignem remiſsū relictis, vel ſi in vmbra, diuturniori tempore, vt humor qualitates rerum illarum imbibere poſſit. Præter autem atramentum ſutorium, & ſcri-

& ſcriptorium alia ſunt, de quibus agere non eſt huius loci, vbi tantum dicimus, ſepiam poſitam eſſe pro atramento ſcriptorio, licet facto ex alia materia.

*VANESCAT* pro euaneſcat dictum per aphæreſin. Euaneſcere eſt perire, ſeu è conſpectu abire, vt quum nubes in tenues abeunt auras, vel quum ſpiritus apparent in corporibus aſſumptis, & ea relinquunt, ſinuntque abire in auras, & ita è conſpectu euaneſcunt. Sic Cicero ad Atticum lib.3. epiſt.10. *Si ſpem videro, aut ibidem opperiar, aut me ad te conferam: ſin, ut ſcribis, iſta euanuerint, aliud aliquid videbimus.* Euaneſcentia autem, de qua nunc eſt ſermo, accidit ex eo, quia quum atramentum albeſceret, characteres eo formati, non apparebant, & ita è conſpectu abire videbantur. Quum enim atramentum, ob ſpiſſitudinē, ſiue pinguedinem prius è calamo non flueret, imo ex eo penderet, vt in verſu præcedenti querebatur; ad medendum huic vitio, aquam atramento infudit, ſed quia ſupra debitam menſuram, incidit in vitium oppoſitum, nam & atramentum albuit, & prodigè fluxit, pro ſimplici, geminas ſignando lineas. Lympham autem appellauit aquam, vt paſſim poetæ. Sic Virg. 4. Æneid. verſu 631.

*Dic corpus properet fluuiali ſpargere lympha.*

Sic Columella de Cultu hortorum, ſeu de Re ruſt. lib.10.

*Pinguis Capua, & Caudinis faucibus horti*
*Fontibus, & Stabiæ celebres, & Veſuuia rura*
*Doctaque Parthenope Sebethide roſcida lympha.*

*DILVTAS*, ideſt mixtas, ac temperatas, vt

vinum dilutum opponitur meraco. Sic Martial. lib. 1. epigr. 150.

*Interponis aquam ſubinde Ruffe,*
*Et ſi cogeris a ſodale raram*
*Diluti bibis vnciam Falerni.*

Sic Celſus lib 1 cap 3. [ Vinum dilutius pueris, ſenibus meracius, neutri ætati, quæ inflationes mouent. Tempus quoque anni conſiderare oportet: Hieme plus eſſe conuenit, minus, ſed meracius bibere: multo pane vti, carne potius elixa, modicè oleribus, ſemel die cibum capere, niſi ſi minus venter adſtrictus eſt. Si prandet aliquis, vtilius eſt exiguum aliquid, & ipſum ſiccum, ſine carne, ſine potione ſumere. Eo tempore anni calidis omnibus potius vtendum eſt, vel calorem mouentibus. At Vere paullum cibo demendum, adijciendumque potioni, ſed dilutius tamen bibēdum eſt. Eſtate vero, & potione & cibo corpus ſæpius eget, ideo prandere quoque commodum eſt. Eo tempore aptiſſima ſunt caro & olus, potio quam dilutiſſima, vt & ſitim tollat, nec corpus incendat: frigida lauatio, caro aſſa, frigidi cibi, vel qui refrigerent. Vt ſępius autem cibo vtendum, ſic exiguo eſt. Per autumnum, propter cœli varietatem, periculum maximum eſt: itaque neque ſine veſte, neque ſine calceamentis prodire oportet, præcipueque in diebus frigidioribus, neque ſub diuo nocte dormire, aut certè bene operiri. Cibo vero iam paulo pleniore vti licet, minus, ſed meracius bibere.] Gellius metaphoricè diluere dixit pro eneruare, vel purgare l. 15. cap. 2. *Congrediendum igitur cenſuit, Plato, & tanquam*

*in arte quadam, cum voluptarijs rebus, cumque ſi … vini licentia comi … us decernendum, ut ad … eas, non fugi … ſimus tuti, nec abſtinentia, ſed uigore animi, & conſtanti præſentia, moderatoque vſu, temperantiam continentiamq; tueamur, & … calefacto ſimul reſotoque animo ſi quid in eo, uel frigidæ triſtitiæ, uel torpentis uerecundiæ fuerit, diluamus.* Proprie Virg. 1. Geor. verſ. 343.

*Cuncta tibi Cererem pubes agreſtis adoret,*
*Cui tu lacte fauos, & miti dilue Baccho.*

Sed hic diluere eſt, atramentum nigrum, infuſa aqua ita decolorare, vt characteres eo formati non appareant, vt ſi eloti fuiſſent.

*GEMINARE* eſt duplicare. Sic Ouid. 4. Triſtium Elegia 10.

*Iamque decem uitæ frater geminauerat annos,*
*Quum perit, & cœpi parte carere mei.*

Et Varro R. R. lib. 3. cap. 16. *Eximendorum … ſignum ſumūt ex ipſis, quum plenas al… habent, & quum illas geminauerint.* Itaque hic geminare guttas, eſt duplicem pro ſimplici reddere; quod accidere poteſt, vel eo, quod calamus ſit malè aptatus, & ſupra modum … , vel quia habeat apices inæquales, vel quia atramentum ſit nimis fluidum, quam hanc cauſam videtur innuere. poteſt id etiam … ſi multum atramentum ex atramentario, calamo ſit extractum. Queritur ergo iſte, quod ſcribere nequiret, primo eo, quod atramentum durum, non flueret è calamo, cui inſidebat. Secundo, quod quum ad occurrendum huic defectui, aquam atramentario infudiſſet, atramentum albuerit, itaut chara-

ĉteres eo formati, in charta non apparerent, ſed inde euaneſcerent. Tertio quod ſiue ob aquæ infuſionem, ſiue ob aliam cauſam, calamus pro vnica, geminas pingeret lineas. Quibus excuſationibus, puer delicatus, ſcribendi tergiuerſabatur laborem. Ineptis autem iſtis friuoliſque puerorum excuſationibus, ſimiles ſunt omnino illæ, quas prętendunt adoleſcentes philoſophiæ candidati, vt ſeipſos à ſtudendi laboribus ſubtrahant.

*FISTVLA* à fundendo, ſiue ferendo, ſicut tubus à tumore, & canalis à canna, dicta, inſtrumentum eſt, per quod aqua ducitur, vel funditur. Ita Varro R.R. lib.3. cap.5 *In hoc tectum aquam uenire oportet per fiſtulam, & eam potius per canales anguſtas ſerpere, quæ facilę extergeri poßint. Si enim late ibi aqua diffuſa, & inquinatur facilius, & bibitur inutilius, & ex eis caduca, quæ abundat, & exit per fiſtulam, facit ut luto aues laborent.* Appellatur etiam fiſtula, per quam ſpiritus meat: vnde in nobis duæ arteriæ, per quarum vnam cibus deijcitur; aliam, ſpiramus, fiſtulæ ſunt appellatæ, cibalis ſcilicet, & animalis: quas tamen Celſus arterias nominauit lib.4.cap.5. dicēs: [ In dextra, ſiniſtraq; circa guttur, venæ grandes, quæ σφαγίτιδες nominantur, itemque arteriæ (quas parotides vocant) ſurſum procedentes vltra aures feruntur, & quæ in ipſis ceruicibus glandulæ poſitę ſunt, quę interdum cum dolorē intumeſcunt. Deinde duo itinera incipiunt, alterum aſperam arteriam nominant, alterum ſtomachum: arteria exterior ad pulmonem, ſtomachus interior ad vē-

tri-

ticulum fertur: illa ſpiritum, hic cibum recipit, à quibus quũ diuerſæ viæ ſint, qua coeũt ex gua in arteria ſub ipſis faucibus lingua eſt, quę quũ ſpiramus, attollitur, quũ cibũ potionémq; aſſumimus, arteriã claudit.] At Plin. ſpiritalem appellat fiſtulã lib. 9. c. 7. [ Branchiæ non ſunt balenis nec Delphinis: hæc duo genera fiſtulis ſpirant, quæ ad pulmonem pertinent, balenis à fronte, Delphinis à dorſo.] Et quia fiſtula longa eſt, concaua, & anguſta, calami ſcriptorij metaphoricè fiſtulæ ſunt dicti, qui ſupra calami, & arundines.

*GVTTA* eſt minima pars aquę, aut alterius liquoris, quæ ſtilla etiam appellatur, quamuis Grammatici dicãt ſtillam eſſe, quæ cadit, guttam quæ manet. Sed hanc differentiam non ſecuant autores Plautus Caſina Act. 2. ſc. 3.

*Di me & te infelicitent, ſi ego in os meum Vini guttam indidi.*

Et Plinius lib. 31. cap. 2. *Diſtillantes quoque guttæ in lapidem dureſcunt in antris Corycijs: nã & in Macedonia etiam pẽdentes in ipſis camaris, at in Corintho, quum decidere.* Sed hic gutta eſt illa atramenti pars, quæ fluit ex calamo ductu per chartam.

*O MISER, inq, dies vltra miſer! huccine rerum venimus? at quur non potius teneroque palumbo, & similis Regum pueris, pappare minutum poſcis? & iratus mammæ lallare recuſas? O miſer, inque dies vltra miſer,* nam quotidie miſerabilior euadis, per ſingulos dies miſerias tibi accerrans. Quid enim miſerabilius homine deſide, quem Rex ſapiens ad formicam remittit, vt ab ea prudentiam diſcat, ſi roue bio-

ratio.

biorum 6 *Vade ad formicam ò piger, & conſidera uias eius, & diſce ſapientiam, quæ quum non habeat ducem, nec principem, parat in eſtate cibū ſibi, & congregat in meſſe, quod comedat*. Inſignis autem verecundia eſt homini ratione prædito, tam viliſſimi animalculi, nec bonum ſaltem haberi diſcipulum, ſed quibuſcumque de cauſis tempus, rerum omnium precioſiſſimum, quo eruditionem, ſapientiam, virtutes, & felicitatem nanciſci poteramus, elabi ſinere.

*HVCCINE* dictum per epentheſim addentem in medio dictionis: eſt enim vox compoſita ex huc, & ne, in quarum medio interpoſita eſt particula, ci, & factum huccine. Et eſt interrogatio, qua, admirabūdus, querit ab adoleſcente, nū vſq; adeo ſit delicatus, vt omni offędatur ſtudēdi labore: vel eo reciderit ſtudēdi ardor, vt ab eo his ineptijs retrahatur. Sic Cic. Verr. 7. *Huncine hominē! hancine impudentiam Iudices! hancine audaciam!* Et infra. *Heccine plebi Romanæ, te Pretore eſt conſtituta conditio, hęc negotij gerendi ſpes? hoc capitis, uitæque diſcrimen?* Et demum. *O nomen dulce libertatis! ò ius eximium noſtrę Ciuitatis! ò lex Porcia, legeſque Semproniæ! ò graui ter deſiderata, & aliquando reddita plebi Romanæ Tribunitia poteſtas, huccine tandem omnia reciderunt, ut Ciues Romani, in Prouincia populi Ro. oppido fœderatorum, ab eo qui beneficio populi Ro. faſces & ſecures haberet deligatus in foro, uirgis cęderetur.*

*AT quur non potius teneroque palumbo, & ſimilis regum pueris pappare minutum poſcis*. Ordo eſt ſuppoſita clauſula, ſi adeo es de-

[illegible] Quur non ſimilis, & tenero palumbo, & pueris regum, poſcis potius pappare minutum. Palumbus dicitur in genere maſculino, in fœmineo palumba, in communi vero palumbes palumbis. Et dicuntur iuxta Albertum, relatum à Pierio lib.22. eo quod parcant lumbis, nam ſunt parciſſimi coitus, vnde Martial.lib.13.epig.61.

*Inguina torquati tardant, hebetātq; palumbi,*
*Non edat hanc volucrem, qui cupit eſſe ſalax.*

De his ait Virg.eclog.1. verſ.57.

*Nec tamen interea raucæ tua rura palumbes,*
*Nec gemere aëria ceſſabit turtur ab ulmo.*

Duo ſunt autem palumborum ſpecies, vna, quæ labruſcis delectatur, quæ propterea appellatur vinago: alia maior, quæ glandibus veſcitur, & à torque, qua inſignitur, appellatur palumbus torquatus. Verum hic per ſenecdochē vnius ſpeciei pro alia, palumbi nominati ſunt pro columbis, quę è contra non parcunt, ſed colunt lumbos, & ſunt inſignis ſalacitatis. Columbę autem teſte Plinio l.10. cap.34.& 35. non à palumbis differunt, quod hi ſint feri, & ſilueſtres, corpore maiores, in ſepibus, & arboribus nidificantes: illæ corpore minores, mites, & domeſtico cibo alantur, ac intra hominum penates nidificent. Et hæ Veneri habebantur ſacræ. Sanè olim Siculi perſuaſum habuere, Venerem ab Erycis monte digreſſam, per dies nouem, ſtato ſingulis annis tempore, receſſum colere: interimque nullas in eo tractu columbas apparere, abire enim illas Deæ ſuæ comites; nonam vero poſt diem [illegible] vnam, reditus præuiam, quæ Ve-

Veneris templum ingrediebatur, reliquas mox vno turmatim agmine reuerti, atq; hinc gaudio exultãtes, Venerem adeſſe profitebantur, diemque eum hilarem, cantibus, & iocis feſtiuum, atque iucundum celebrabant. In Venerem enim procliues ſunt, ad eamque ſe mutuo incitant, ingenita nequitia ſtimulatæ. Sanè Semiramis, ſub effigie columbæ ab Aſſyrijs colebatur, quod de petulca eius improbitate accipiendum, ob quam referunt hiſtorici, Scaurobarem Indorum Regem, eam appellaſſe paſtorale ſcortum, & Nini regis concubinam, & de ea dixiſſe, quod nullum egerit in caſtris diem abſque adulterio, raroque aliquem ad eam bis admiſſum. Ferunt etiam tam ardenti libidine æſtuaſſe, vt equum adamauerit, eique ſuccubuerit, vt merito finxerint eam, proiectã circa quoddam ſtagnum, à columbis alitam, fotamque fuiſſe, donec à paſtoribus fuiſſet ſuſcepta. Certè quod ait Hieremias cap. 25. *Facta eſt terra eorum in deſolationẽ à facie iræ columbæ*, per metonymiam accipitur de Babylonibus, quorum Ciuitatem Semiramis ędificauit, quam, columbam ob libidinem dicebant. Similiter quod idem propheta ait cap 50. *Diſperdite ſatorem de Babylone, & tenentem falcem in tempore meſſis, à facie gladij columbæ*, pugnacem eiuſdem mulieris ingenium innuit, de quo multa hiſtorici: ſed illud in primis memorandum, quod obſidente Nino Bactrianos, Menon eam, vtpotè vxorem ſuam, arceſſiuit: quæ quum in caſtra veniſſet, & Bactrianæ arcis ſitum contemplata fuiſſet, viro rationem oſtendit, facilè locum occupandi. Nam quum

arx-

arx ab vna parte foret præceps, & in profundam abrupta vallem, eam veluti inacceſſam, hoſtes nullo cuſtodiebant præſidio. Eo Semiramis cum paucis delectis, per loca ab hoſtiū oculis auerſa, aſpera, & confragroſa, præter ſpem omnium obrepſit, dum interim Aſſyrius ex alia parte vrbem oppugnaret. Vnde quum illa ſeſe, quaſi Cœlo delapſa, hoſtibus ex improuiſo obtuliſſet, Bactriani vrbem Regi tradiderunt. Columbæ ergo ſalaces, vnde Plaut. Aſinaria Actu 3. ſcena 3.

*Dic igitur me anaticulam, columbam, vel Catellum.*

Et Catullus in C. Cæſarem carm. 30. ait:

*Cinæde Romule hæc videbis, & feres?*
*Et impudicus, & vorax, & helluo,*
*Et ille nunc ſuperbus, & ſuperfluens,*
*Perambulabit omnium cubilia,*
*Vt albulus Columbus, aut Adoneus?*
*Cinæde Romule hoc videbis, & feres.*

Indeque inter amantium blanditias columbarum appellationes: inde quod puellæ columbas alant ſtudioſè, eaſque gremio, ſinuque fouerent. Quod autem hic denominatur palumbus tener, is eſt pullus columbinus, quem pipionem dicimus, cuius ori mater cibum præparatum, diducto inſerit roſtro. Rogat ergo philoſophus adoleſcentem, num velit ſimiliter cibum in os ſibi inſeri, ne laboret applicando ſibi manus ad os, vt ille de quo dicitur Prou. 19. *Abſcondit piger manum ſuam ſub aſcella, nec ad os ſuum applicat eam.* Et iterum Prouerb. 26. *Abſcondit piger manum ſub aſcella ſua, & laborat ſi ad os ſuum eam conuerterit.*

*ET ſimilis regum pueris*. Prouerbium eſt vſurpatum in molles, & effœminatos, cuiuſmodi fuere omnes Nini ſucceſſores reges Aſſyriorum, vt refert Athenæus his verbis l. 12. cap. 12. [Omnes eos Reges, qui in Aſia regnarunt, deliciarum ſtudioſos fuiſſe, ſcribit Cteſias lib. rerum Perſicarum 3, at Ninyam præcipuè, Nini & Semiramidis filiū: hic enim quum interius maneret, delicijſque oblectaretur, à nullo prorſus videbatur, præterquam à ſuis Eunuchis, & à ſuis mulieribus. Huiuſmodi fuit etiam Sardanapalus, quem nonnulli Anacyndaraxis filium fuiſſe putarunt, alij Anabazari eſſe contendunt. Quum Abraces vnus ex ſuis ducibus, qui genere erat Medus, per vnum ex Eunuchis, Paramezū, impetraſſet, vt Sardanapalum videret, atque vix id effectum fuiſſet illo volente, ingreſſus eſt Medus. Tum vero illum fucatum, moreque muliebri ornatum vidit, vnaque cum pellicibus purpuram tondentem, ac pedibus exporrectis cum illis ſedentem, veſtemque habentem muliebrem, & mentum habere abraſum, ac læue: erat enim lacte candidior, oculoſque habebat nictos. Hic vbi Abracem vidit, album oculis ſuperinduxit. Narrant complures, inter quos eſt Duris, ab hoc, quum rem eam grauiter tuliſſet, quod Rex huiuſmodi imperaret, percuſſum periſſe. At Cteſias, ipſum bellum intuliſſe aſſerit, multiſque coactis copijs, eum inuaſiſſe, ac ſolutum mortuum eſſe, quum ſeipſum combuſſiſſet in regia domo, pyramque quadringentorum pedum in altitudinem conſtruxiſſet, ſupra quam centum, & quinquaginta

ginta aureos thoros poſuerat, totidemque menſas aureas. Fecerat in ipſa pyra domicilium Hecatompedum ex lignis, vbi thoros ſubſtrauit, ibiq; ſe cum ſua muliere decubuit, aliæque pellices in aliis thoris: tres enim filios, ac duas filias, quas habebat, quum Rex vidiſſet laborare, ad Ninum miſit Regem, cum illis tria millia auri talenta dediſſet. Domicilij tectum ex craſſis, magniſq; trabibus compoſuit, ac ligna multa magna in circulum poſuit, argenti vero decem millia myriadum talentorum, tum veſtes, purpuram, ac multiplices ſtolas, deinde pyram incendere iuſſit, quæ dies quindecim arſit. Illi vero fumum cernentes admirabantur, eumque ſacrificia peragere exiſtimabant, quę ſoli norant Eunuchi. Quum igitur abſurde voluptatibus deditus eſſet. Sardanapalus, quantum tamen licuit, viriliter mortuus eſt. Clearchus, vbi de Rege Perſarum narrat, quod ſuaue aliquod eduliū ei præbentibus, præmia propoſuerat, mente captus, hoc eſſe arbitror inquit, quod dici ſolet, Iouis & Regis cerebrum. Hinc fortiſſimus omnium Sardanapalus, quum fruitiones per totum æuum compleſſus eſſet, ac mortuus, cuiuſmodi riſu res omnes hominū dignæ ſint demonſtrauit, digitis in eius monumēto poſitis, quod atque digitorum quidem ſonitu dignæ ſunt, ycon formauit duos digitos bis coniunctos ferens, in choro ſunt reliquorum ſtudia. Videtur autem Sardanapalus nō fuiſſe ignauus, ſiquidem in eius ſepulchro inſcriptum eſt: Sardanapalus Anacyndaraxis filius, Anchialā Tharſumq; vno die extruxit, nunc vero mor-

tuus

tuus eſt. Amyntas lib. de ponderibus 3. aggerē altum eſſe ſcribit in Nino, quem Cyrus quum Ciuitatem obſideret detraxit, atque apud Ciuitatem tumulauit: hunc igitur aggerem fuiſſe Sardanapali inquit, qui in Nino regnauit, cuius in lapidea columna Chaldaicis litteris inſcriptum eſt, quod quum Chærilus feciſſet, tranſtuli. Ita vero ſe habet, Ego imperaui, atque donec ſolis lumen videbam, bibi, edi, Veneri indulſi, quum tempus, quod viuunt homines breue eſſe cognoſcerem, idque multas habere fortunæ vices, ac dolores: atque alij eorum bonorum, quæ reliqui, fruitiones percipient. Quare nullum ego diem præterij, quum hæc facerem. Clitarchus l. 4. eorū, quæ ſcripſit ad Alexādrum: Sardanapalū ſcribit ſenectute confectum interijſſe poſt Syrorum imperij euerſionem. Ariſtebolus in Anchiala, quam Sardanapalus ædificauerat, inquit. Quū Alexander in Perſas proficiſceretur, caſtrametatus eſt, neque longe ſanè à Sardanapali monumento, ſuper quo lapidea erat imago, quæ dextræ manus digitos contulerat, veluti ſonum emiſſuros: inſcriptum eſt autem in ipſo Aſſyrijs litteris: Sardanapalus Anacyndaraxis filius Anchialam Tharſumque condidit vno die: ede, bibe, lude, cætera enim neque ſonitu iſto quidem, vt dicantur, apparent. Neque ſolus Sardanapalus ſanè deliciarum illicijs detinebatur, verum etiam Androcotus Phrygius, qui veſtem geſtabat floridam, mulierēque elegantius ornabatur: vt autor eſt Mnaſeas lib. Europę 3.] De eodem Sardanapalo, qui trigeſimus, & vltimus regnauit

poſt

[illegible] in Cicero 5. Tuſculanarum, quod [illegible] inſcripſerit.

*Hæc habeo quæ edi, quæque exſaturata libido*
*Hauſit, at illa iacent multa, et præclara relicta.*

Et ſubdit Cicero. *Quid aliud, inquit Ariſtoteles, in bouis, non in Regis ſepulchro inſcriberes? hæc habere ſe mortuum dixit, quæ ne viuus quidem diutius habebat, quam fruebatur.* Eſt igitur hic deperditus, qui in tantum omnem refugiat laborem, vt incole [illegible] e exiſtiment cibum dentibus comminuere, vt illi qui apud Lucilium dicebantur. Quam faſtidioſum, ac veſanum cum labore edendi viuere, vt etiam illi, quibus labor erat manum cum cibo ori applicare, vt retulimus.

*PAPPARE minutum poſcis.* *Pappare* aliquando idem eſt, ac blandè patrem appellare, ſiquidem παππάζειν eſt infantiliter patrem vocare, & παππα pater eſt. Aliquando vero pappa eſt cibus, vnde Varro de liberis educandis, loquens de infantibus ait: Cibum & potiones, pappam dicunt, ac buas, & matrem mammam, patrem tatam. Quandoque pappare eſt comedere. Sic Plautus Epidico Actu 5. ſcena 2.

*Nouo liberto opus eſt, quod pappet.*
Periph. *Dabitur, præbebo cibum.*

Pappa igitur eſt ipſe cibus, vt, pappam poſcere, ſit petere cibum. Et ita ſumitur hic. Sed quum addatur, minutum, obſeruandum tò minutum poſſe iungi cum verbo poſcis, vt ſit minutim, vel ſæpius, & ſignificabit flebili, garrula, ac lamentabunda voce, idem, vel multa efflagitare, vt faciunt importuni infantes

fantes

ſantes, negocium faceſſentes nutricibus, dum vtilia, contemnentes reijciunt, noxia vero importunè, obſtinatèque expetunt. Et cum verbo pappare, ſumpto pro nomine pappa, & ſignificabit, cibum probe manſum, & comminutum, vt minimo labore glutiatur. Et licet vterque ſenſus poſſit ſuſtineri: hic tamen ſecundus, videtur textui conformior.

*MAMMA* eſt lactis receptaculum, qua fœtus, nutritur antequam is cibum mandere poſſit. Sic Plaut. Moſtell. Actu 1. ſc. 4.

*Nunc comeſſatum ibo ad Philolachetem, vbi nos hilari*
*Ingenio, & lepido accipies, ecquid tibi uideor mammam adire.*

Quę etiam mammilla dicitur, nedum in homine, etiam in brutis. Sic Plinius lib 5. c. 40. *Quibus ſolida vngula, nec ſupra geminos fœtus, hæc omnia binas habent mammas, nec aliubi quã in fœminibus: eodem loco biſulca, & cornigera: boues quaternas, oues, capræque, binas. Quæ numeroſo fœcundę partu, & quibus digiti in pedibus ſunt, hæc plures habent toto ventre, dupliri ordine, ut ſues generoſę duodenas, vulgares binas minus, ſimiliter canes. Alia ventre medio quaternas, vt pantherę, alia binas, vt leænæ. Elephas tantum ſub armis, duas, nec in pectore, ſed citra in alis occultas: Nulla in fœminibus digitos habentium primis genitis in quoque partu ſues primas præbent: eæ ſunt faucibus proximæ, vt quam quiſque nouit in fœtu, quo genitus eſt ordine, eaque alitur, nec alia, detracto illa alumno ſuo, ſteriloſcit illico, ac reſilit: uno uero ex omni turba relicto, ſola munifex, quæ ge-*

*[illegible] fuerat attributa, deſcendit. Vrſæ mammas quaternas gerunt, delphini binas in imo aluo papillas tantum, nec euidentes, & paullo in obliquum porrectas, neque aliud animal in curſu l[illegible]bitur. Et balænæ autem vituliq; mammis nutriuntur.* Sed proprius dicitur de mammillis [illegible]. Sic Iuuenal. ſat. 1. verſu 22.

*Quũ tener uxorem ducat ſpado, Meuia Thuſcũ Figat ap[illegible], & nuda teneat uenabula mãma.*

A his mammis, ſeu mammillis, per ſenecdochen, nutrices, quæ, eis nutriunt pueros, eorum mammæ dicuntur. Sic Plautus Prologo Menaehmorum:

*Et nati ſunt ei filij duo gemini.*
*Ita ſimili forma fueri, ut mater ſua*
*Non internoſſe poſſet, quæ mammam dabat.*

Græci etiam au ã μαμμαν vocãt, quæ appellatio a fortiori matri, quæ peperit conuenire debet. Et hic eſt locus Martialis in Afram vetulam lib. 1. epigr. 67.

*Mammas, atque tatas habet Afra, ſed ipſa tatarum*
*Dici & mammarum maxima mamma poteſt.*

*LALLARE* eſt tam lac ſugere, quam infantiliter loqui, ſiue ipſi pueri id faciant, ſiue nutrices ad eorum imitationem: immo quum nutrices, infantes, vel ad lac ſugendum, vel ad [illegible], ſiue dormiendum, quibuſdam [illegible], & canticis prolectant, eis lallare dicuntur. Quamuis ergo Cornutus hic, lallare accipiat, vt ſit idem, ac dormire, vel lac ſugere, conuenientius tamen interpretabimur pro inuitatione ad ſugendum, vel dormiendum. [illegible] quum infantes queſuli negotium

faceſsunt nutricibus, hæ frequentantes dictionem la, la, la, eos à querimonijs compeſcunt, & prouocant, vel ad ſugendum lac, vel ad dormiendum, vnde lallum ſoporiferum dictum fuit ab Auſonio epiſt. 17. vbi ait;

*Sic iſte, qui natus tuus*
*Floſculorum Romuli*
*Nutricis inter lemmata,*
*Lallique ſomniferos modos*
*Sueſcat peritis fabulis*
*Simul iocari, & ludere.*

Ex tali repetita voce, la, lallare factum videtur. Tò autem iratus, bifariam conſtrui poteſt, vel vt abſolutè infans iratus, renuat la la e mammæ, & nutricis cantilenam, nec dormire, aut lac ab illa ſugere. Vel vt infans iratus mammæ, nempe aduerſus nutricem, in illius contumeliam, auerſetur eiuſdem cantilenam, & lac, quę ab alijs accipiat: vtraque interpretatio conſonat textui, & poteſt ſuſtineri.

*AN tali ſtudeam calamo?* Verba ſunt adoleſcentis, qui obiurgatus à magiſtro, quod ſtudio non vacaret, proteruè illi reſpondet, nolens ſuum reatum agnoſcere, ſed culpā in calamum, & in inſtrumentū reijciens ſtudendi, & ſic ait: *An tali ſtudeam calamo?* quaſi diceret, non eſt poſſibile hoc tam inepto, ſtudere vel ſcribere. Studere enim calamo, dictum eſt per ſenecdochen ſpeciei nam ſtudere comprehendit tam ſcribere, quam legere, audire, meditari, & alia, à quibus excuſatum ſe volebat, qui ob calami ineptitudinem (cui facilè mederi poterat) ſcribere nequibat.

*CVI verba? Quid iſta? [illegible]is ambages? Tibi*
*lu-*

*ludit ur. Effluis amens. Contemnere.* Verba philoſophi reſpondentis excuſationi adoleſcentis, eandemque inculcat, diuerſis verbis, ſententiam, quæ talis eſt. Putaſne te mihi dare verba poſſe? nec aduertis me tuam intelligere inertiam, è qua hæ dimanant excuſationes. Deſiſte ergo ab vſurpatione verborum, quibus me circumuenire poſſe ſperabas, nam nunc tua res, tuumque agitur negocium: & ſi, vt cœpiſti, viuere pergas, fiet profectò, vt in infelicitatem dilabaris, omnibuſque ſis contemptui.

*SVCCINIS* propriè, eſt canis poſt alium, qui prius cecinerat; ſic Horatius lib. 1. epiſtola 17. inquit:

*Indotata mihi ſoror eſt, paupercula mater,*
*Et fundus nec vendibilis, nec paſcere firmus,*
*Qui dicit, clamat, victum date. Succinit alter,*
*Et mihi diuiduo findatur munere quadra.*

Succinere etiam eſt canere voce ſubmiſſa, quæ à proximè adſtantibus tantum audiatur; vnde quos nunc Baſſos, priſci Succentores dicebãt, ſicut Cantores, eos qui vocem maximè attollebant: Occentores vero, qui inter vtroſque medium ſeruabant tenorem. Succinere quoq; ſumitur pro ſæpe eadem repetere. Et hoc modo ſumitur hic, vbi adoleſcẽs diſcipulus, camdem ſæpe repetebat, excuſatiuam querimoniam.

*AMBAGES* ſunt ſenſuum inuolucra, verborumq; circuitus, quum quis erubeſcit, aut timet clare exponere, quod ſentit, vt faciebat iſte adoleſcens, qui diſcendi nullam habebat voluntatem: ſed quum hoc dicere erubeſce-

ret, mille cauſabatur excuſationes, quibus crederetur à ſtudijs impeditus. Ita hac voce vſus Ouidius 4. Faſtorum dicens:

*Poſt vt Roma potens opibus iam ſecula quinq;*
*Vidit, & edomito ſuſtulit orbe caput*
*Carminis Euboici fatalia verba Sacerdos*
*Inſpicit, inſpectum tale fuiſſe ferunt.*
*Mater abeſt, matrem iubeo, Romane requiras,*
*Quum venies, caſta eſt accipienda manu*
*Obſcuræ ſortis patres ambagibus errant,*
*Quæue parens abſit, quoue petenda loco.*

Sic Virg. 2 Georg. verſ. 45.

*non hic te carmine ficto,*
*Neque per ambages, & longa exorſa tenebo.*

Et ita nunc eſt accipienda.

*TIBI luditur*. Dictum ad ſignificandum rem adoleſcentis agi. Metaphora ducta ex eo, quod paſſim fieri videmus, quum quis alterius nomine ludit: nam tunc, quidquid damni, vel emolumenti acciderit, (dummodo fraus, vel dolus malus ex parte ludentis non adfuerit) non ei adſcribitur, ſed illi, cuius nomine ludit. Sic ergo puerum monet, vt ſtudijs, totis incumbat viribus, nam quum eius agatur negociũ, ſi in eis incurioſus repertus fuerit, contemptum, infamiam, vituperationem, & damnum incurret, pro gloria, felicitate, & fama præclara.

*EFFLVIS*, ideſt extra fluis, & ſpargeris. Id accidit liquoribus, quum ſupra vaſorum capacitatem infunduntur. Cuius verbi oppoſitum eſt influere, ſignificans in interiorem partem fluere, colligere, & abundare. Et quia per iugem, & continuum effluxum, rei quan-

titas,

ſitas, aliunde non reparata, minoratur, tandemq; ad nihilum venit, id nunc ſignificatur, adoleſcentis dignitati accidere. Et quia res minorata, minoris eſtimatur, & contemnitur, hoc verbo, metalepticè res contemptibilis denotatur. Et in eodem verbo eſt metonymia ſubiecti pro adiuncto, dum de adoleſcente dicitur effluis, quum non ipſe extra ſe flueret, ſed attentio debita rebus ſerijs, currebat ad pueriles; vel tempus, in quo inextimabiles acquirere poterat ſapientiæ, & virtutum diuitias, elabebatur. In eodem verbo eſt metaphora, nam adoleſcens, argillæ ſimilis dicitur; argilla autem, ſi liquida, & fluida fuerit, inepta eſt vaſorum formationi: vnde exprobrando ipſi, quod efflueret, ſignificatur eius ineptitudo ad recipiendam virtutem, vel ſapientiæ formam.

*CONTEMNERE* penultima producta, eſt contemptui eris. Idque dixit iuxta Stoicorum placitum, aſſerentium ſolum ſapientem eſſe nobilem, diuitem, honorabilem, & beatum, etiam ſi olitoris filius fuerit: vitijs vero mancipatum, etiam ſi Regibus ortum, ignobilem, pauperem, contemptibilem, & infelicem. quod à Chriſtianorum placitis non multum abludit, quaſi dicat: Niſi ex animo virtutum conſecutioni te dederis, deſpicieris. Sic Horatius etiam loquitur 2. ſerm. ſat. 3.

*Inuidiam placare paras virtute relicta?*
*Contemnere miſer. Vitanda eſt improba Siren*
*Deſidia, aut quidquid vita meliore paraſti*
*Ponendum æquo animo.*

*SONAT vitium percuſſa malignè*, reſpondet

*viridi non cocta fidelia limo. Vdum, & molle lutum es, nunc nunc properandus, & acri fingendus ſine fine rota.* Ordo eſt: Fidelia percuſſa, ſonat vitium, non cocta viridi limo, reſpondet malignè. Es lutum vdum, & molle, properandus nunc nunc, & fingendus ſine fine acri rota. Proſequitur philoſophus monere adoleſcentem, quatenus ea ætate animum confirmare velit ſapientia, & virtutibus, nec ab eis ſtudijs reſilire, excuſationibus ipſius vitia detegentibus, quemadmodum ſonis, teſtarum, fictiliumque, ita vocibus hominum deteguntur defectus: vnde quidā ſapiens, adoleſcenti ad ſe venienti, vt eius ſe traderet magiſterio, dixit, loquere vt te videam: homines enim argillaceis vaſibus ſimiles eſſe dicuntur. Quod autem hic legimus: *Sonat vitium percuſſa malignè, reſpondet viridi non cocta fidelia limo*, in nonnullis codicibus, pro, non cocta, eſt iterum, percuſſa, perperam tamen, vt ante nos obſeruauit etiam Io: Baptiſta Plautius, & ita eſt ferè in omnibus impreſſis.

*FIDELIA* eſt vas ex argilla, ſiue creta formatum, ad plures, & varios vſus proportionatum, ſic dictum quia fideliter condita cuſtodiat, ſed per ſenecdochen accipitur pro quocumque vaſe argillaceo, immo, & pro quouis ſonoro, ſono ipſo manifeſtante vitium quo laborat, aliter enim ſonat integrum, aliter fractum: aliter ſiccum, aliter humidum, ſeu non coctum, & viride. Vbi nota, poetam vt repreſentaret philoſophum indignatione commotum, ad exaggerandum, & exprobrandum crimen deſidis diſcipuli, vſum ſchemate appel-

pellato Epimone, ſiue exergaſia, & pallilogia, de quo in Inſtit. Orat. lib.3. Tract. 3. cap.1. idem enim eſt ſonare vitium: & reſpondere maligne: & idem fidelia non cocta, & limus viridis. Nam limus tunc eſt viridis, ſiue obſcurus, quando non eſt coctus, iuxta canones artis figulinæ. Dicit ergo, fideliam non coctam, vt conſtantē ex limo viridi, percuſſam ſonare vitium, quia ipſo tinnitu percuſſionis, latentem indicat defectum; reſpondet enim maligne, inſuauiter, obſcurè, & cum quadam, vt ſic loquar, raucedine.

*VIRIDI limo*. Limus ſubſtantiuè erat veſtis, ab vmbilico ad pedes pertingens, qua pudenda tegebantur. Sic Virg. 12. Æn. v. 119.

*alij fontemque, ignemque ferebant*
*Velati limo, & verbena tempora vincti.*

Et ſic omnino legendum, vt Caper, & Higinus obſeruant, nam teſte Seruio: Fœciales, & Paterpatratus, per quos bella, vel fœdera confirmabantur, lineis veſtibus numquam vtebantur, Limus autem dicebatur ex eo, quia in extremo ſui, purpuram limam, ideſt flexuoſam, habebat intextam; & ab adiectiuo limi pro flexuoſo, veſtis ipſa dicta ſubſtantiuè limus. Et quia hęc veſtis, terram verrens, cœno, lutoque inquinabatur, limus dictus cœnum ipſum illi adhærens, & etiam ſubſtantiuè lutum illud mollius, ab aquis factum, ſiue delatum cum pulueris mixtione. Sic Hor. 2. ſer. ſat. 4.

*Magna mouent ſtomacho faſtidia, ſeu puer vnctis*
*Tractauit calicē manibus, dum furta ligurit,*
*Siue grauis veteri crateræ limus adhæſit.*

Et Ouid. 3. Faſt.

*Ridet & ipſe Deus, ſimumq; inducere mõſtrat*
*Hic pares monitis, & linit ora luto.*

Et Virg. 4. Georg. verſu 45.

*Tu tamen, & leui rimoſa cubilia limo*
*Vnge, fouens circũ, & raras ſuperinijce frõdes.*

Et idem Eclog 8. verſu 80.

*Limus vt hic dureſcit, & hæc vt cera liqueſcit*
*Vno eodemq; igni, ſic noſtro Daphnis amore.*

Et hoc modo nunc ſumitur, ſubſtantiue pro luto, vel creta aquis ſubacta, ex qua plaſtæ formant vaſa.

*VDVM, & molle lutum es.* Quid ſit vdum, dictum eſt ad illa verba ſatyræ 2. verſu 32.

*Vda labella*

*Lutum eſt* cœnum, ſiue terra aquis ſubacta, ita tamen vt non liqueſcat, nam ſic foret limus. Sic Horatius lib. 1. epiſt. 2.

*Sirenum voces, & Circis pocula noſti,*
*Quæ ſi cum ſocijs ſtultus cupiduſque bibiſſet,*
*Sub domina meretrice fuiſſet turpis, & excors*
*Vixiſſet canis immundus, vel amica luto ſus.*

Et Iuuen. ſat. 6. verſu 23.

*Quippe aliter tunc orbe nouo, cæloque recenti*
*Viuebant homines, qui rupto robore nati*
*Compoſitiuè luto, nullos habuere parentes.*

Vnde homo nauci, lutum à Lucilio appellatur, dum ait: *Nil parui, ac penſi vtiliter edoceas lutum.* Sic Cicero in Piſonem prædicantem, perperam triumphum appeti, ait: *O ſtultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos! O amentem Paulum, ruſticum Marium, nullius conſilij patres iſtorum amborum Conſulum, qui triumpharunt. Sed*

quo-

*quoniam præterita mutare non poſſumus, quid refert hic homulus ex argilla, et luto factus Epicureus, dare hæc preclara precepta ſapientiæ, clariſſimo, & ſummo Imperatori, genero ſuo?* Revera enim prima hominis origo, quoad corpus, lutum fuit, nedum apud poetas somniantes hominem, à Promotheo ex luto factum, ſed etiam iuxta diuinam Scripturam Geneſ. 2. ex luto, vel limo terræ humani corporis Dei manibus plaſmatio fuit. Nec tamen id nunc vult poeta, ſed tantum, quod, ſicut figuli ſua formant vaſa ex luto, illiſque, dum lutum eſt adhuc molle, quamlibet formam inducere poſſunt, iuxta illud Tibulli lib. 2. eleg. 1.

*Fictilia antiquus primum ſibi fecit agreſtis*
*Pocula, de facili compoſuitque luto:*

quod ſi forte indurnerit per areſactionem, contumax erit, & intractabile, nec intentam à figulo forma recipiet. Ita homo, qui in pueritia, vel adoleſcentia eſt quaſi molle lutũ, faciliime virtutum, & ſapientiæ figuram ſuſcipere poteſt; qui ſi forte per ſenectutem, vel ſtatam ætatem, vt lutum, exſiccatus fuerit, nullam nouam virtutis, & eruditionis formã ſuſcipiet. Hinc Horat. lib. 1. epiſt. 2.

*Ira furor brevis eſt, animum rege, qui niſi paret,*
*Imperat, hunc frenis, hunc tu compeſce catena.*
*Fingit equum tenera docilem ceruice magiſter*
*Ire viam, quam monſtrat eques. Venaticus, ex quo*
*Tempore ceruinam pellem latrauit in aula,*
*Militat in ſiluis catulus. Nunc adhibe puro*
*Pectore verba puer, nunc te melioribus offer,*

*Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem*
*Teſta diu.*

Sic Cicero 3. de Finibus: *Inſci iam debet ijs artibus, quas ſi, dum eſt tener, combiberit, ad maiora veniet paratior.* Idemque fuſius docet in 3. Tuſcul. Permagni enim refert, quibus in ſtudijs ab ætate tenera aſſuetus quis fuerit, nam vt dicitur Prouerb. 22. *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam quum ſenuerit non recedet ab ea.* Quod intelligens Adeodatus ille Eques Hieroſolymitanus (qui ab interfecto dracone, Rhodiorum inſulam deuaſtante, draconis eques cognominatus fuit) ne canis, & equus (quibus ad congrediendum cum beſtia vti volebat) huius inſolito terrerétur aſpectu, eos aſſuefecit, inuadere eiuſdem immanis beſtiæ ſimulacrum, ſicque parauit eos ad veram pugnam. Philoſophus itaque nunc ſuum monet diſcipulum, quatenus in ætate adhuc tenera, ſapientiæ virtutique acquirendæ, incumbat.

*NVNC nunc*, ideſt abſque mora, & dilatione: quaſi diceret: Si ætas iſta tranſierit, ineptus fies eruditioni, ſanctiſque moribus apprehendendis. Nam licet abſolute nullam diſciplinæ reſpuant ætatem, & ſenes, dummodo efficaciter velint, in eis proficere poſſint, prima nihilominus, & tenera ætas, eſt ad illas aptior. Vnde Seneca epiſt. 25. *Quadragenarium pupillum cogitas ſub tutela tua continere? Reſpice ætatem illius iam duram, et intractabilem: tenera finguntur.* Hinc merito Græci, eruditionem παιδείαν vocant, quum apud eoſdem pueri, ſiue filij παῖδας dicantur à parentibus, hac nominum deriuatione ſignificantes,

aptam

aptam eruditioni pueritiam, qua elapſa, fruſtra in huiuſmodi virtutibus magnum ſperari prouentum.

*PROPERANDVS*. Properare, & feſtinare, idem eſſe videntur, nempe accelerare, & omnem remouere moram. Sed, vt ait Gellius lib. 16. cap. 14. *M. Cato id differre exiſtimat: eaque hoc modo diuiſa, verba ſunt ipſius ex oratione quam de ſuis virtutibus habuit. Aliud eſt properare, aliud feſtinare. Qui vnum quid maturè tranſigit, is properat: qui multa ſimul incipit, neque perficit, is feſtinat. Verrius Flaccus rationem volens reddere differentię huius: Feſtinat, inquit à fando dicitur, quoniam iſti ignauiores, qui nihil perficere poßunt, plus verború, quam operę habent. Sed id nimis coactum, atque abſurdum videtur, neque tanti momenti eſſe potuiſ prima, in vtroque verbo litera, vt propter eam unam, tam diuerſa verba Feſtinare, & Fari, eadem videri debeant. Commodius autem propinquè viſum eſt feſtinare, quaſi feſſum eſſe, nam qui multis ſimul rebus properãdis defeſſus eſt, is iam non properat, ſed feſtinat.* Verum hic properandus dictum per enallagen, & poſitum participium pro aduerbio properè, ſequitur enim aliud participium, Fingendus: vnde ſicut quum apud Plautum Aulul. Actu 1. ſcena 5. dicitur:

*Vaſcula intus pure propera, atque elue,*

ſignificatur Propera eluere, ſic quum hic dicitur, Properandus, & fingendus, erit properè, ſiue celeriter fingendus.

*FINGENDVS*. Fingere eſt propriè componere, ſiue formare. Et quamuis dicatur gene-

taliter de omnibus quæ ingenio, arte, & manu hominis fiunt, immo & de iis, quæ brutorum ſolertia, adeout Cicero lib. 1. Offic. apibus tribuerit fictionem, dum ait: *Apum examina non fingendorum fauorum cauſa congregantur, ſed quum congregata natura ſint, fingunt fauos.* Sed quandoque fingere eſt ſimulare, nam quæ ſimulamus, taliter formamus, vt vera eſſe credantur. Hinc Cicero lib. 1. de Finibus: *Reſtat locus huic diſputationi, vel maximè neceſſarius, de amicitia, quam, ſi voluptas ſummũ ſit bonum, affirmatis nullam omnino fore. De qua Epicurus quidem ita dicit: Omnium rerum, quas ad beatè viuendum ſapientia comparauerit, nihil eſſe maius amicitia, nihil vberius, nihil iucundius. Neque vero hoc oratione ſolum, ſed multo magis uita & factis, & moribus comprobauit: quod, quã magnum ſit, fictæ ueterum fabulæ declarãt.* Propriè tamen dicitur de eo, quod ex creta formatur: vnde Gregorius hom. 22. in Euang. ait: *Fingere componere dicimus, unde & compoſitores luti figulos uocamus.* In qua etiam ſignificatione inquit Lactantius lib. 1. Diuin. Inſtit. cap. 16. *Non dubium quin illis temporibus homines regem ipſum, totamque gentem ſummis laudibus, ac nouis honoribus iactare cœperint, ut etiam Deos appellauerint, ſiue ob miraculum uirtutis (hoc uerè putabant rudes adhuc, & ſimplices) ſiue, ut fieri ſolet, in adulationem præſentis potentiæ, ſiue ob beneficia, quibus erant ad humanitatem compoſiti. Deinde ipſi Reges, clari quum fuiſſent, iis, quorum uitam compoſuerant, magnum ſui deſiderium, mortui, reliquerunt: itaque homines eorum ſimulacra finxerũt.*

Et Salluſtius Catilinariam, ſic exorditur: *Omnes homines, qui ſeſe ſtudent præſtare cæteris animantibus, ſumma ope niti decet, ne uitam ſilentio tranſigant, ueluti pecora, quæ natura prona, atque uentri obedientia finxit.* Et ita fingere propriè de corporum formatione dicitur. Hic nihilominus ſumitur metaphoricè pro formatione mentis, vel ingenij ad virtutem, & eruditionem ſub præceptoris diſciplina; cui ſimile habet infra ſat.5. verſu 39. *Et premitur ratione animus, uincique laborat, artificemque tuo ducit ſub pollice uultum,* perſtat enim in metaphora, qua, hominem molli comparauerat luto.

*ACER* quamuis propriè dicatur de aceto, & alijs acrimoniam habentibus, transfertur tamen ad alia: vnde Virg.9.Æneid.acrem appellauit Turnum, quem fortem, vel ferocem dicere volebat. Et 4.Æneidos: Acrem equum, id eſt celerem, & velocem. Dicimus etiam quempiam acri præditum ingenio, huius ſignificantes acumen. Et de ruſtico 1. Georg. verſu 405. ait,

*Iam tunc acer curas uenientem extendit in annum.*

Accipitur etiam acer pro ſeuero, apud Ciceronem 1.Officiorum: *Expendere oportebit quid quiſque habeat ſui, eaque moderari, nec uelle experiri, quam ſe aliena deceant: id enim quemque decet, quod eſt cuiuſque ſuum maxime. Suum igitur quiſque noſcat ingenium, acremque ſe & uitiorum, & bonorum ſuorum iudicem præbeat.* Idemque Cicero in Lęlio ait: *Tiberium Gracchum ſequebantur C. Carbo, C. Cato, & minime*

*tunc quidem Caius frater, nunc idem acerrimus hoſtis*, ideſt ſæuiſſimus, vel crudeliſſimus. Et hic acris rota metaphoricè appellata eſt ſæuera diſciplina, quæ tunc eſt vſurpanda, quãdo deſides pueri alioquin diſcere negligunt.

*ROTA* dicta à rotunditate, ſiue à ruendo, nam facile in ſuos orbes ruit: ſumitur frequenter pro ea, qua defertur currus, immo &, per ſenecdochen, pro toto curru. Sic Hor. lib 1. epiſt. 19.

*Si te grata quies, & primam ſomnus in horam*
*Delectat, ſi te puluis, ſtrepituſque rotarum*
*Si lædet caupona, Ferentinum ire iubebo.*

Sed hic ſignificatur rota figulina, qua tornantur, & componuntur fictilia, de qua Plinius lib 7. cap 56. *Fabricam ferream inuenere Cyclopes: figlinas, Chorabus Athenienſis in his orbes Anacharſis Scythes, ut alij, Hyperbios Corinthius*. De eadem Horatius ad Piſones:

*amphora cœpit*
*Inſtitui, currente rota quur urceus exit.*

Et Iuuen. ſat. 4. verſ. 132.

*Debetur magnus patinæ ſubituſq; Prometheus*
*Argillam, atque rotam citius properate: ſed ex hoc*
*Tempore, iã Cæſar, figuli tua caſtra ſequãtur.*

Et iſta rota, figuli pede in orbem agitata, lutum, artificis manu, in quamcumquè formã celeriter figuratur. Additur, ſine fine, non tantum ideo, quia, quum rota ſit figuræ orbicularis, tam fine caret, quam principio: ſed etiam quia ſi in diſciplinis proficere velimus, numquam à lectione, eruditione, vel meditatione debemus ceſſare, quæ ceſſatio eſſet rotæ finis,

Et

Et idem eſt de virtutum exercitio.

*SED rure paterno eſt tibi far modicum, purũ, et ſine labe ſalinum, quid metuas? cultrixq; foci ſecura patella eſt. Hoc ſatis? An deceat pulmonem rumpere ventis, ſtemmate, quod Thuſco ramum milleſime ducis? Cenſoremue tuum, vel quod trabeate ſalutas ad populum phaleras, ego te intus, & in cute noui. Non pudet ad morem diſcincti viuere Nattæ?* Aduertens philoſophus diſcipulum poſſe reſpondere, non oportere tantoperè de ſcientijs eſſe ſollicitum: hæ namque illis conueniunt, quibus aliunde non ſuppetit, vnde ſibi comparent victum ſibi vero ſatis eſſe diuitiarum, honorum, & dignitatis, à maioribus hæreditario iure acceptarum. Hanc ergo hypophoram, ſeu oppoſitam rationem, diluit per antipophoram, vt faciendum monebamus in Inſtit. Orat. lib. 3. Tract. 3 cap. 13. Quod dicit: *Rure paterno*, prædio ruſtico intelligit. Nomina enim ruris, agri, prædij, poſſeſſionis, & fundi, quoad rem quidem ſunt idem, quoad nominis originem, differunt. Nam fundus dicitur, vel quod quotannis multa fundat, vel quod ſit rei familiaris fundamentum: quo nomine venit ager cum ſuis ędificijs ruſticis, & aliquãdo, eſto minus propriè, etiam ædes vrbanæ. Singuli vero horti, prata, oliueta, ſaliceta, pomaria, vineæ, & ſimilia, ſiue habeant, ſiue nõ, ædificium, ſi ſint in agro, fundi; ſi in oppido, vrbe, vel caſtello, prædia dicuntur. Poſſeſſio eſt ager, quem quis ipſe poſſidendi occupat actu. Antiquitus enim agri, communes erant, ſed appropriari cœperunt, ſecundum quod quis, aliquam eius par-

tenet

tem coluiſſet, & quam quis, agri communis partem, ſiue maiorem, ſiue minorem, coluiſſet, eam poſſidebat, & eius poſſeſſio dicebatur. Cicero circa finem vltimi paradoxi, ait: *Iſti callidi rerum æſtimatores, prata, & areas quaſdam magni æſtimant, quod ei generi poßeſſionũ, minime quaſi noceri poteſt.* Prædium appellatur à præda, nam antiqui, deuictos hoſtes agris omnibus, vel eorum parte mulctabant, eoſque prædæ nomine habebant inter ſe diuiſos. Ager dictus quod, ad habendum ex eo fructũ, ſit in eo ſemper aliquid agendum. Et eſt adiacens alicui vrbi, hinc eſt ager Campanus, vel Tarentinus: quomodo includit lacus, etiam piſcatorios, nemora, ſaltus, villas, & huiuſmodi alia. Rus dictum, quod in eo quotannis rurſum eadem fieri debeant, alioquin non fructificabit. Vel potius dictũ à Græco ἄρουρα abiecto priori elemento, vt in alijs fieri videmus. Tale ergo rus habens hic adoleſcens, hereditario iure per manus à parentibus acceptum, gloriabatur quaſi non indigeret ſapientia.

*EST tibi far modicum*. De farre dictum ſatyra 2. verſu vltimo. Quod autem hic denominetur modicum, poſſet intelligi dictum per ironiam, cum ſignificatione contrarij, vt eſſet nedum ſufficiens ſibi, & familiæ, ſed alijs multis. Sed verius modicum eſt dictum per tapinoſim, ſeu extenuationem, adhibitam modeſtiæ cauſa. Non enim videtur veroſimile, quempiam ob modicam farris menſuram, ex ſuis agris prouenientem, tam altos aſſumere

pa-

potiùs ſpiritus, vt eruditionem, virtuteſque acquirere negligeret. Nec obſtat, hæc eſſe verba philoſophi, deprimentis altos adoleſcẽtis ſpiritus. Nam philoſophus refert verba, quæ frequentia erant in ore adoleſcentis modeſtiam ſimulantis. Nec eſt, quod aliter interpretemur, quum adoleſcens iſte foret de proceribus, & forte ipſe Princeps Nero, immẽſos habens etiam hæreditarios à patre Domitio agros, & ex eis prouentus.

*PVRVM & ſine labe*. Labes à labendo, & verbo labor, ruinam ſignificat. Sic Virgil. 2. Æneid. verſu 97.

*Hinc mihi prima mali labes.*

Significat etiam violentam aquæ illuuionem, & ex ea factam terræ voraginem, vel hiatum. Sic Cic. 1. de Diuinat. *Tantos terremotus in Liguribus, Gallia, compluribuſque inſulis, totaque in Italia factos eſſe, vt multa oppida corruerint, multis locis labes factæ ſint, terræque deſederint.* Et in eodem libro 1. *Quoties Senatus decemuiros ad libros ire iuſſit? Nam & quum duo viſi ſoles eſſent, & quum tres lunæ, & quum faces, & quũ Sol nocte viſus eſſet, & quum è cælo fremitus auditus, & quum cælum diſceſſiſſe viſum eſt, atque in eo animaduerſi globi, delata eſt ad Senatum labes agri Priuernatis, quum ad infinitam altitudinem terra deſediſſet.* Frequentius tamen accipitur pro macula, qualis fieri ſolet atramento, luto, oleo, aut ſimili, in faciem, vel veſtem lapſo, & generalius pro inquinamento, & parte dedecenti toto. Sic Ouid. 1. de arte:

*Signatus tenui medius inter cornua nigro*

*Vna*

*Vna fuit labes, cætera læta erant.*

Et hoc modo ſalinum dicitur purum, & ſine labe, non maculatum, nec inquinatum. Ab hac autem labis acceptione, pro macula, trāſfertur labis nomen ad ſignificanda vitia, vnde dicimus labem auaritiæ, & aliorum vitiorum. Sic Ouid. epiſt. 9.

*Hoc velit Euryſtheus, velit hoc germana Tonantis,*
*Lætaque ſit vitæ labe nouerca tuæ.*

Et idem lib. 2. Triſtium.

*Illa noſtra dies, qua me malus abſtulit error*
*Parua quidem perijt, ſed ſine labe domus.*

Et lib. 4. Triſtium eleg. 8.

*Iamque decem luſtris omni ſine labe peractis*
*Parte premor vitæ poſteriore meæ.*

*SALINVM* eſt vas, in quo ſal reponitur, tam pro communis menſæ vſu, quam pro ſacrificijs, & oblationibus Idolorum. Dijs enim nulla grata erant ſacrificia, quæ non forent ſale condita. Immo ſacrificia veri Dei Iſrael, cum ſale offerebantur, iuxta Dei præceptum latum Leuitici cap. 2. *Quidquid obtuleris ſacrificij, ſale condies, nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo: in omni oblatione offeres ſal.* Vtitur autem hic poeta eadē ironia, vel Tapinoſi, & extenuatione, de qua diximus in *far modicum*. Nam quum ſalinum per ſenecdochē ſpeciei pro gēnere, ſumatur pro quocumque vaſe fictili menſæ pauperis, iuxta illud Horatij 2 carminum ode 8.

*Viuitur paruo bene cui paternum*
*Splendet in menſa tenui ſalinum,*

Philoſophus repetens verba diſcipuli, nequaquam

quam dicere volebat illum eſſe pauperem, ac prima frõte verba ſignificare videtur, quin potius eum eſſe ditiſſimũ, vt propterea poſſet laborioſa literarum negligere ſtudia, quando pro vniuerſis liberalibus diſciplinis, ipſi erant ſuæ immenſæ diuitiæ. Quum autem ſal ſit omnium condimentum, nec quidquam placeat niſi ſale conditum, doceantque philoſophi in omni mixto inueniri ſal, extrahibile per Chimicam, puto ſalinum hic poſitum nedum pro fictilibus, chryſtallinis, aureis, argenteis, & ſimilibus, ſed & pro vniuerſa ſuppellectile, abacis, menſis, lectis, aulæis, & aliis munditiem, ſplendoremq; deſignantibus, quæ voluit intelligi, ſalini nomine, adoleſcentem iſtũ poſſidere. Et ne crederes ea pauca fuiſſe, additum eſt. *Purum, & ſine labe*, ad puritatem enim, & illibationem vſualis ſuppellectilis, nõ ſufficit vnius ſpeciei, vnum tantum, vel duo vaſa habere, immo neceſſaria ſunt plura, vt ſi vnum ſorduerit, præſto ſint alia pura. Sic ergo nomine puri ſalini, intelliguntur huius adoleſcentis immenſæ diuitiæ.

*CVLTRIX* eſt nomen adiectiuum, deductum à verbo colo, quod eſt veneror, adoro, amo, obſequor. Significat etiam exercere, vt colere ſtudia, militiã, vel terram. Sic Cicero 2. de Finibus: *Hoc fœdus facere ſi potuerunt, faciant etiam illud, vt æquitatem, modeſtiam, virtutes omnes per ſeſpſas gratis diligant: at vero ſi fructibus, & emolumentis, & vtilitatibus amicitiam colemus, ſi nulla charitas erit, quæ faciat amicitiam ipſam ſua ſponte ui ſua, ex ſe, & propter ſe expetendam, dubium eſt quin fundos, &*

*in-*

*inſulas amicis anteponamus.* Et lib. 5. de Finib. *Et uiuere uitem, & mori dicimus, arboremque & nouellam, & uetulam, & uigere, & ſeneſcere. Ex quo non eſt alienum, ut animantibus, ſic illis, & apta quędam ad naturam adaptare, & aliena amputare, earumq; augendarum, & alendarum quandam cultricem eſſe, quæ ſit ſcientia, atque ars agricolarum.* Colere etiam eſt habitare, ex quo dicti ſunt ruricolæ, vel cœlicolę, ſic Virg. Eclog. 2. verſu 61.

*Pallas quas condidit arces,*
*Ipſa colat.*

Sæpe etiam colere ponitur pro ornare. Sic Ouid. de Medicamine faciei:

*Rure latens, leguntq; comas, licet arduus illas*
*Cœlet Athos, cultas altus habebit Athos,*

id eſt comptas, & ornatas. Et aliquo ex his tribus poſtremis modis, ſumitur hic patella foci cultrix, nam eſt foci ornamentum, & ipſum focum, ſiue ignem exercet, quum eo coquantur, & calefiant in ipſo contenta, & circa focum, & domum inhabitat.

*FOCVS* dictus à fouendo, locus eſt in quo ignis ſeruatur. Vnde Cato de R. R. cap. 75. *Folia ſubdito in foco calido, ſub tecto coquito leniter.* Et Ouid. 6. Faſtorum:

*At focus à flammis, & quod foueat omnia dictus.*

Et Plautus prologo Aululariæ:

*hanc domum*
*Iam multos annos eſt, quam poſſideo, & colo,*
*Patriq; auoq; amicus, huius qui nũc hic habet,*
*Sed mihi auos huius obſecrans concredidit*
*Theſaurum auri clam omnes in medio foco*

De.

*Defodit, uenerans me, ut id ſeruarem ſibi.*
Et eadem fabula Actu 2. ſcena 5.

*Hæc imponentur in foco noſtro Lari,*
*Vt fortunatas faciat gnatæ nuptias.*

Verum ut ſæpe aræ ponuntur pro templis, ſic foci pro domibus priuatis. Sic Plautus Amphitruone Actu 1. ſc. 1.

*Conuenit, uicti utri ſint eo prælio,*
*Vrbem, agrum, aras, focos, ſeq; uti dederent.*

Et hoc modo patella cultrix foci, dicta eſt, quæ foret ornamentũ totius priuatæ domus.

*SECVRVS* ille dicitur, qui animo eſt tranquillo, pacato, quaſi ſine cura, ſollicitudine, & anxietate; differtque à tuto, nam tutus eſt ille, qui quamuis extra periculi aleam ſit cõſtitutus, non tamen ceſſat timere, & anxiari. Securus vero, licet ſub imminentibus periculis, de eis non curat, nec ſollicitatur, vt erant homines in ætate aurea Ouid. 1. Metam.

*Non galeæ, non enſis erat, ſine militis uſu,*
*Mollia ſecuræ peragebant otia gentes.*

Et infra:

*Neue foret terris ſecurior arduus æther*
*Affectaſſe ferunt regnum Cœleſte gigantes.*

Sic Liuius lib. 3. cap. 41. *Dum hæc in Italia geruntur, Antiochus Epheſi ſecurus admodum de bello Romano erat, tamquam non tranſituris in Aſiam Romanis, quam ſecuritatem ei magna pars amicorum, aut per errorem, aut aſſentando faciebat.* Et propriè ſecurus non dicitur, niſi de homine ratione vtente, quia is tantum curam, ſollicitudinemq; poteſt habere. Quapropter patella dicta eſt ſecura, nedum metaphorice, ſed & catachreſtice, ſiue abuſiuè.

Et

Et eſt in eadem voce metonymia, in quantum ſecuritas adſcripta patellæ, deriuatur ad hominem, ſiue quia vt diximus, denotat, rerum omnium abundantiam, & ita dabat eſſe abſq; paupertatis timore: ſiue quia, quum patella primitiæ, & oblationes Dijs offerrentur, hinc ædium dominus, ſiue inquilinus, reddebatur ſecurus, quaſi Dij propitiati mala auertere, & bona affatim concedere deberent.

*PATELLA* appellatur à Plinio quoddam arborum vitium, fungus ab alijs dictus. Sic enim ait lib. 17. cap. 24. *Olea præter uermiculationem, quam æquè ac ficus ſentit, clauum etiã patitur, ſiue fungum, uel patellam, hæc eſt ſolis exuſtio.* Anatomiſtæ patellam dicunt commiſſuram in cruribus, in cuius medio coxarum capita coeunt, quo facilius ab eiſdem cruribus excipi poſſint. Sed neutro ex his modis nunc ſumitur. Igitur patella à patendo, vt patina, dicta eſt vas eſcarium, condiendis, & deferendis obſonijs aptum. Sic Horat. lib. 1. epiſt. 5.

*Si potes Archiacis conuiua recumbere lectis,*
*Nec modica cœnare times olus omne patella,*
*Supremo te Sole domi, Torquate, manebo.*

Sic etiam Ouidius lib. 2. Faſtorum:

*Et libatę dapes, ut grati pignus amoris*
*Nunciat intinctos miſſa patella cibos.*

Putant aliqui, patellam eamdem eſſe cum Sartagine; ſed Iuuen. ea diſtinguit ſat. 10. v. 60.

*Iam ſtridunt ignes, iam follibus atq; caminis*
*Ardet odoratum populo caput, & crepat ingẽs*
*Seianus. deinde ex facie toto orbe ſecunda*
*Fiunt urceoli, pelues, ſartago, patellæ.*

Et

Et ſic patella eſt vas eſcarium patens, ſeu latum, ad inſtar paropſidis, de ferendis dapibus proportionatum. Sed per eamdem ſenecdochen ſpeciei pro genere, qua vſus fuerat in nomine ſalini, intelligit omnem domus ſupellectilem. Quod ſi patellæ nomine intelligere velis ſartaginem, & appellatione foci ipſum ignem, tunc patella cultrix foci, dicitur poſita ad deſignandam adoleſcentis ſordes, qui ſibi adeo blandiebatur ſplendide, et quum philoſophi frugaliter viuerent, inepta celebrarent conuiuia, ipſe vas eſcarium qui ſemper expoſitum habens, omni qua libuiſſet hora, non ſolum cocta, ſed & calida haberet edulia, & propterea patella erat cultrix foci. Notum illud Plutarchi in Antonio: *Ex Lampria auo meo audiui narraſſe ſibi Philotam medicum, qui per id tempus, ſtudiorum cauſa Alexandriæ fuerat. Aiebat enim Philotas, ſe à quodam ex Antonij coquis, quo cum forte familiaritatem habebat, ductum eſſe in eum locum, ubi epulę Antonio parabantur, uidiſſeque illic, & alia complura, & apros octo ſe autem admiratum magnitudinem epularum, quæſiſſe, quantus eſſet conuiuarum numerus? Riſiſſe hic coquum, dixiſſeq; non multos eſſe conuiuas, ſed circiter duodecim. Verum cibos ponere in ipſo articulo, quum ſuccolentiſſimi ſunt oportet: atqui temporis momento marceſcunt: & ille nunc parari cœnam uult ſtatim, nunc differri paullum, ſępe etiam in horam alteram trahi uult, dum uel potare nunc lubet, uel ſermo quiſpiam incidit; unde multis opus eſt paratis coenis.* Sic etiam iſte adoleſcens, vt tempore opportuno exhiberetur, patellā habe‐t

foci

ſoci cultricem, ideſt multas patellas,& alia ganeæ inſtrumenta.

*HOC ſatis?* quærit philoſophus ab adoleſcente diſcipulo, num diuitiarum abundantia, ſufficiat ad beatitudinem. Quum enim tria ſint bonorum genera, animi, vt virtutes, & ſapientia: corporis, vt integritas membrorum, ſanitas, robur, agilitas: & externa, vt diuitiæ, potentia. Et inter iſta, animi bona ſint præſtantiora: quum iam recenſita ſint externa & fortunæ, nominata quidem bona à Peripateticis in quantum ſunt vtilia bonis animi acquirendis, vel exercendis, & ita in infimo bonorum genere: à Stoicis vero nullatenus bona dicantur, merito quærit, num adeo deſipiat, vt ea exiſtimet ſufficientia ad vitam beatam. Beatitudo tamen, nedum apud Stoicos, & Academicos, ſed etiam apud Epicurum conſiſtit in operatione omnium perfectiſſima, ſeu in adeptione ſummi boni, vndequaque animum ſatiantis, quod diuitiæ præſtare non poſſunt, vt nec aliud externorum bonorum, probat Boœtius de Conſol. philoſophiæ l. 3. à proſa 3. ad 8. & ſpecialiter de generis ſplendore, Iuuenalis qui dixerat ſat. 8. v. 19.

*Nobilitas ſola eſt, atq; unica uirtus.*

Eadem ſatyra verſu 134. ait:

*Quod ſi precipitem rapit ambitus, atq; libido*
*Si frangis uirgas ſociorum in ſanguine, ſi te*
*Delectant hebetes, laſſo lictore ſecures:*
*Incipit ipſorum contra te ſtare parentum*
*Nobilitas, claramq; facem preferre pudendis.*
*Omne animi uitium tanto conſpectius in ſe*
*Crimen habet, quanto maior, qui peccat, habetur.*

Et

Et vt dicebamus in Inſtit. Orat. lib. 1. Tract. 8. cap. 4 Nobilitas quamuis aſſociata ſapientiæ, & virtutibus, inter hominis bona connumeretur, vitijs tamen inquinata, à ſapientibus peſſima iudicatur, vtpotè quæ illa conſpectiora reddat.

*AN deceat pulmonem rumpere uentis.* Lucio paraph. aſt c., pro gloriari. Nam qui ſibi placent, ipſo ſuperbiæ ſpiritu tumorem contrahunt. Spiritus autem ventus nominatur & flatus, cuius in corpore animalis pulmo eſt ſedes, & origo: & vt diximus ad illa verba ſat. 1. verſu 14.

*pulmo animæ prælargus anhelet*,

quum ſit ſpongioſus, aptus eſt ijs gignendis, nutriendiſque. Et quando in eo multi ſunt tales ſpiritus (vt in eis, qui ſibi placent, ſiue ob diuitias, aut aliam cauſam) videtur diſtendi, & quaſi rumpi, non valens eos continere, vnde hæc rogat, num deceat adeo de diuitijs, & alijs gloriari, vt pulmo rumpatur. Contra Ouid. 13. Metamorph.

*Na genus, & proauos, & quæ non fecimus ipſi*
*Vix ea noſtra uoco.*

Seneca de Nobilitate ſic loquitur epiſtola 44. *A primo mundi ortu, uſque in hoc tempus, pro luxit nos ex ſplendidis, ſordidiſque alternata ſeries. Non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus: nemo in noſtram gloriam uixit, nec quod ante nos fuit, noſtrum eſt. Animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione, ſupra fortunam licet ſurgere.* Et alia multa in hanc ſententiam. Sic etiam Cicero in recriminatione ad Salluſtium. *Quoniam omnium maiores Criſpus*

*pus Salluſtius ad unum exemplum, & regulam quęrit, uelim mihi reſpondeat, numquid ij, quos protulis Scipiones, Metellos, & Fabios, ante fuerint, aut opinionis, aut glorię, quam eos res geſtę ſuę & uita innocentiſſime acta, commendauit? Quod ſi hoc fuit initium nominis, & dignitatis, quur non ęquè de nobis exiſtimetur, cuius & res geſtę illuſtres, & uita integerrimè acta? Quaſi uero tu ſis ab illis uiris Salluſti ortus: quod ſi eſſes, nonnullos iam tuę turpitudinis pigeret. Ego meis maioribus uirtute mea prę-luxi, ut ſi prius non fuerint, à me accipiant initiũ memorię ſuę: tu tuis uita quam turpiter egiſti, magnas offudiſti tenebras, ut etiã ſi fuerint egregij ciues, certè uenerint in obliuionem.*

*STEMMA* eſt corona, quũ ſit à στέφω corona: corona inquã illa, in cuius medio cera exprimuntur vultus maiorũ. Hinc refert Firmicus l. 2. Magnos viros faciet Mercurius, qui ſacris, & glorioſis ſtemmatibus gloriatur. At ſæpius ſumitur pro imaginibus, & ſtatuis maiorum, quæ in gloriæ, & nobilitatis oſtẽtat onem, à filijs, ac nepotibus in atrijs, atq; porticibus, qua ſi eorumdem coronæ, locabantur. Sic Martial. lib. 1. epigram. 119.

*Atria Piſonum ſtabant cum ſtemmate toto.*

Et Seneca epiſt. 44. *Si quid aliud eſt in philoſophia boni, hoc eſt, quod ſtemma non inſpicit.* Et Iuuen. ſat. 8. verſu 1.

*Stemmata, quid faciunt! quid prodeſt Pontice (longo*
*Sanguine cenſeri, pictoſque oſtendere uultus*
*Maiorum, & ſtantes in curribus Æmilianos,*
*Et Curios iam dimidios, naſumq; e minorem*
*Coruini, et Galbam auriculis, naſoq; carentem,*

In-

Indeque hoc nomen deriuatur ad ſignificandam nobilitatem. Et etiam factum, vt ponatur pro opere præclarè geſto. Nam quia nobilium ſucceſſores, ob res domi, militiæ vel egregie patratas, coronis donabātur, ipſi eaſdē coronas ſtatuis ſuorum maiorū imponebant, illis acceptas referentes à quibus habuiſſent tam sāguinis originem, quam virtutum exempla, ideoque talia etiam opera ſtemmata, dicebantur. Sic Mart. epigram. 16. Amphitheatralium.

*Cæſaris atq; Iouis, confer nūc ſtēma Iuuentus,*
*Par onus vt tulerint, altius iſte tulit.*

Verum hic ſtemma eſt generis ſeries, ſeu gradus deſcendentium, qui ramis quibuſdam, & veluti intercurrentibus lineis diſtinguuntur, & inſigniuntur inſcriptionibus. Sic Plin. lib. 35. cap. 2. *Stemmata vero lineis diſcurrebant ad imagines pictas.*

*THVSCO.* Ex Etruria multæ nobiliſſimæ familiæ Romam migrarunt tam regnante Tarquinio Priſco, quam pace cum rege Porſena compoſita: ex quarum aliqua adoleſcens iſte originem habuiſſe fingitur, & eſſe eiuſdem ramum, ſiue gradum milleſimum in ſcala à ſtipite deſcendentium. Non quod reuera talis eſſe potuerit, nam quum ab Vrbe condita ad Perſij tempora, vix octingenti, & decem fluxerint anni, ſurculus iſte nedum nequiuit eſſe milleſimus, ſed ne ſexageſimus quidem: immo etiam ſi rami ſumantur à primo humani generis ſtipite, & mundi principio, quum nondum fluxiſſent anni ſex mille, nec quatringenteſimus eſſe potuit; poſitus eſt ergo numerus de-

finitus pro indeterminato. Et ad occultandum de quo loqueretur, nominatum eſt ſtemma Thuſcum, & tamen intelligebat de Nerone, qui non ex Etruria, ſed ex alio deſcendebat.

*CENSOREMVE tuum, vel quod trabeate ſalutas* Exiſtimat Caſaubonus legendum eſſe *Cenſoremne*: quia quum in verſu ſit alia diſiunctiua, *Vel*, hæc videtur ſuperflua. Sed retinendum *Cenſoremne*, quum, ipſo Caſaubono teſte, ſic reperiatur in omnibus exemplaribus etiam emendatioribus, & manuſcriptis. Nec obſtat ratio in contrarium, ſiquidem duplex illa diſiunctiua, ad exaggerationem facit, & incrementum orationis. Erat autem Cenſura magiſtratus quinquennalis, maximæ poteſtatis, vnde Cicero lib 3. de legibus ait; *Cenſores, populi ciuitates, ſoboles, familias, pecuniaſque cenſento: Vrbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuento: populique partes in tribus diſtribuūto, exinde pecunias, æuitatis, ordines partiunto. Equitum, peditumque prolem diſtribunto: cælibes eſſe prohibento, mores populi regunto, probrum in ſenatu ne relinquunto: bini ſunto, magiſtratum quinquennio habento.* Et Liuius li. 4. cap. 8. *Hic annus Cenſuræ initium fuit, rei à parua origine ortæ, quę deinde tanto incremento aucta eſt, vt morum diſciplinęque Romanæ penes eam regimen, Senatus, Equitumque centuriæ, decoris, dedecoriſque diſcrimen ſub ditione eius, magiſtratus publicorum ius, priuatorumque locorum, & vectigalia populi Ro. ſub nutu atque arbitrio eſſent.* Et Plutarchus in Paulo Æmilio ait: *Æmilius licet aſſertor optimatum eſſet, nihilominus à plebe magis amabatur, quam is,*

qui

*qui maximè popularem ſe præſtabat, quod animaduerſum eſt præter cæteros honores in Cenſura ſibi demandata, quæ magiſtratus maxime omniũ reuerentiæ eſt, plurimæque poteſtatis, quum aliis rebus, tum ad morum emendationem, nam in Senatu remouere immeritos poteſt, & principem perſcribere. auferre equos, notare infamia, cenſum agere, luſtrum condere.* Dicti Cenſores à cenſendo, quod eis ſummum foret ius, arbitriumque aliorum rerum, & morum, nam morum magiſtri extimabantur, tantique quilibet ſua extimabat, quanti illi cenſuiſſent. Vel à cenſu, quem quinto quoque anno agebant, quando & luſtrum condebant. Quum ergo ſumma eſſet in Rep. Cenſorum circa mores, & bona poteſtas, Cæſares, ſibi excelſa arrogantes omnia, vt Dictaturam, Conſularem, Pontificiam, & Tribunitiam poteſtates, ita & Cenſuram vſurpabant. Et de huiuſmodi Cenſore, nempe Claudio Imperatore, nunc intelligit, quem Nero eius priuignus, trabeatus ſalutabat.

*TRABEATE*, trabea indutus, vocatiuum pro nominatiuo, vt, ramum milleſimæ ducis, familiare poetis. Erat autem trabea chlamys alba, purpura prætexta, clauiſque aut trabibus è cocco diſtincta, à quibus trabea dicebatur. Paludamentum vero Conſulum, hoc à trabea differebat, quod totum erat coccineũ, ſed limbo purpura prætextum. Trabea ergo breuior erat, quam toga, vnde Virg. 7. Æn. verſ. 187.

*Ipſe Quirinali lituo, paruaque ſedebat*
*Succinctus trabea, læuaque ancile gerebat*

*Picus equum domitor.*

Tria autem erant trabearum genera, vnum Dijs ſacratum, quod erat tantum de purpura: aliud Regum, purpureum quidem, ſed aliquid albi habens admixtum: Vnde Ouid. 2. Faſtorum.

*Pulcher, & humano maior, trabeaq; decorus,*
*Romulus, in media viſus adeſſe uia.*

Tertium, augurale è purpura, & cocco. Omnibus commune erat, vt circa pectus aureis annecteretur fibulis, & ſubtegmen haberet puniceum. Dicta trabea, quod trabes haberet: nam ſicut trabes ligna ſunt, quæ compage, & commiſſura duorum tignorum coaleſcunt, ſic trabea conſtet contextu fimbriato ex pannis, & limbis: vt veſtis palmata, palmam habebat intextam, quam triumphantes geſtabant. Ius etiam erat equitibus in pompis funeralibus trabeam, forte auguralem, geſtare. Hinc Tacitus 3. Annal. cap. 1. ait: *Igitur tribunorum, centurionumque humeris cineres portabantur; precedebant incompta ſigna, verſi faſces, atque vbi colonias transgrederētur, atrata plebes. trabeati equites, pro opibus loci, veſtem, odores, aliaque funerum ſollemnia cremabant.* In tali veſte adoleſcens ſalutabat ſuum Cenſorem, ideſt, vt paſſim omnes interpretantur, imaginem, vel ſtatuam alicuius è ſuis gentilibus Cenſura functũ, in atrio, vel poſtico domus exiſtētem. Sed quia non videtur veroſimile, adoleſcētem iſtum tantos aſſumere potuiſſe ſpiritus, eo quod Cenſorem in maioribus olim habuiſſet, in eam propendo ſententiam, vt credam, hunc adoleſcentem fuiſſe Neronem, qui decreto Se-

natus

natus ante legitimum tempus virilem aſſumpſerat togam, quo Reip. capeſſendæ habilis redderetur: & deinde vigeſimo ætatis anno, vt Conſolatum iniret, ac interim Proconſulare imperium extra Vrbem obtineret. Vnde iuuentutis appellatus Princeps, congiarium plebi, & donatiuum militi, eius nomine effuſum eſt: necnon, Circenſibus, quum Britannicus prætexta, ipſe triumphali veſte proceſſit amictus, vt refert Tacitus ad annum Vrbis 804. nempe annalium lib. 12. cap. 9. Hanc ergo Imperatoriam Proconſularem, & triumphalem veſtem, nunc trabeam vocat, in qua ſuum Cenſorem Claudium, qui ſe adoptauerat, ſalutabat. Nec moueat, quod Nero non ex Etruſca, ſed ex Troiana nobilitate per AEneam deſcenderit, vnde eſt illud apud Sueton. in Nerone cap. 39.

*Quis neget AEneæ magna de ſtirpe Neronem?*
*Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.*

Nam quamuis ex Iulia, ſiue Troiana ſtirpe fuerit ex parte matris Agrippinæ, Germanici filiæ, & Auguſti proneptis, ex parte tamen patris Domitij Aeneobarbi, forte ex Etruria deſcēdebat. Et huius potius, quā illius nobilitatis meminiſſe voluit, ad occultandum de quo loqueretur. Et verba conueniunt magiſtro Neronis, qui erat Seneca è ſecta Stoicorum. Hinc fit, non fuiſſe ſuperfluam duplicem illam diſiunctiuam, quarum altera Caſaubono adeo negocium faceſſiuit, vt eam cōmutauerit in encliticam, *ne*: nam altera poſita eſt ad diſtinguendam nobilitatem à potentia, altera ad exaggerationem: vt ſit ſenſus, non de-

bere eum gloriari ob diuitias, & Etruſcam ſiue Ilienſem nobilitatem, nec quod ei liceret ſuum Cenſorem, & Imperatorem ſui generis, Reip. Principem ſalutare, etiam in veſte trabeata, & triumphali.

*PHALERÆ* ſunt equorum ornamenta: nam quum ſint à Græco φαλῶ, ideſt illuſtre, deſignāt paruas illas, ac ſplendidas ſcutellas, quę in equorum phaleratorum nitent pectoribus. Sed nomen transfertur etiam ad ornamenta virorum, vnde Liuius lib 9. cap. 45. ait. *Eodem anno C. Flauius Cn. filius ſcriba, patre libertino, humili fortuna ortus, cæterum callidus vir. & facundus. Ædilis curulis fuit: tantumque Flauij comitia indignitatis habuerunt, vt plerique nobilium anulos aureos, & phaleras deponerent.* Hinc & oratio phalerata dicta, quę verborum ſententiarumque luminibus ſupra modum ſit ornata. Et de his externis ornamētis, vel veſtiū luxu, ſuperbire, & gloriari ſolent, qui vera bona neſciunt extimare. Ideo philoſophus iſte Stoicus, adoleſcentem diſcipulum arguēs. Tu inquit de diuitijs, nobilitate, atque potentia poteris gloriari apud rudem populum, & ſtultam plebeculam, neſcientem verum formare iudicium de eo, quod eſt bonum, vel malum, & putārem ſummum bonum in eo ſitum, quod nullatenus in bonis eſt habendum, vt ſunt iam enumerata. At mecum hæc fruſtra proſequeris quippe qui, quum te probe nouerim, ſcio quibus ſis vitijs inquinatus, ob quæ, niſi illa à te abſcideris, à beatitudine excluderis.

*INTVS, & in cute*. Cutis eſt pellis, ſiue co-

corium, & pars corporis exterior, dum adhuc carni adhæret, nam ſi ab ea ſit ſeparata, non amplius cutis, ſed corium, vel pellis diceturſ Sic Plancus inter familiares Ciceronis lib. 10. epiſt. 18. *Non poſſum non exhorreſcere, ſi quid intra cutem ſubeſt vulneris, quod prius nocere poteſt, quam ſciri curarique poſſit.* Et Gellius lib. 18. cap. 4. *In multorum hominũ cœtu, Apollinaris Sulpicius, uir in memoria noſtra preter alios doctus, iactatorem quempiã, & venditatorem Salluſtianæ lectionis irriſit, illuſitque, genere illo, facetiſſime diſſimulationis, qua Socrates ad ſophiſtas vtebatur: nam quum ille ſe vnum, & vnicum lectorem eſſe, enarratoremque Salluſtij diceret, neque primam tantum cutem, ac ſententiarum ſpeciem, ſed ſanguinem quoque ipſum, ac medullam uerborum eius eruere, atque introſpicere penitus prædicaret,* Hinc noſcere ſecundum cutem, eſt cognoſcere ſecundum exteriorem corporis formam. At noſcere intus, eſt intelligere animum, conſilia, finem, & intentionem factorum, & dictorum. Vnde quod hic dicitur: Intus, & in cute, notatur veluti comprehenſiua notitia, vt nihil interiorum lateat, nec exteriorum, vt nequeat capi phaleris verborum, nec actionum hypocriſi.

*NON pudet ad morẽ diſcincti uiuere Nattę.* Diſcinctus, & accinctus opponuntur. Accinctus enim eſt ſollers, ſtrenuus, efficax, & induſtrius, qui eſt ſemper promptus ad opus, qui etiam præcinctus dicitur: Diſcinctus eſt iners, mollis, effœminatus, inefficax, & deſidioſus, qui in diſſoluti animi argumentum, ſæpe diſſolutis diſcinctiſq; incedit tunicis. Sic

Ouid. 1. Amorum elegia 9.

*Ipſe ego ſegnis eram, diſcinctaq; in ocia, natus,*
*Mollierant animos lectus, & umbra meos.*

Et Horat. epodo ode 1.

*haud parauero*
*Quod aut auarus, ut Chremes, terra premam*
*Diſcinctus, aut perdam, ut nepos.*

Et hi ſic diſcincti, nedũ ab alijs publicis muneribus, ſed à militia etiam repellebantur, nam milites omnes præcincti eſſe iubebantur, & inde erat cingulum militare. Nacta igitur diſcinctus, ſignificatur iners.

NACTAE. Io. Baptiſta Plautius hic putat legendum eſſe Naccæ, nam ait: *Lego hæc apud Pompeium: Naccę appellantur fullones, quod nauci non ſint, id eſt nullius pretij. Omnia enim ferè opera ex lana nata, νάκαι dicuntur à Græcis. Quibus uerbis in hanc uenio ſententiam, ut Apuleium, Catonem, Horatium, & Perſium corrigendos eſſe exiſtimem, apud quos Nactam ſemper legimus, quum melior, probior, & magis propria ſit lectio, ſi Naccam lectitabimus. Quod ut magis credatur (nam ueritas magis oculata fide, quam per aures, ut inquit Iuſtinianus, animis hominum infigitur) uerba Apulei ſubſcribemus, ex 9. metamorph. quæ ſunt: Nam & opportunè maritus apud Nactam proximum cænitabat: Lucium autem de fullone intelligere, non poſſumus inficiari, quum inferius ſubiungas.* Contubernalis mei fullonis vxor. *Periculo ergo meo, ſcribe Naccam. Nec minus apud Catonem in oratione, quæ inuenitur poſt Salluſtiũ, ubi refert Catilinam Nactas fouiſſe, tu ſcribe Naccas. Horatianum carmen tale eſt 1. ſer. ſat. 6.*

vngor oliuo nõ quo fraudatis immundus Nactà lucernis, *ubi licet interpretari hominem uiliſſimum, abiectum, & ignobilem, quales ſunt fullones: quam expoſitionem, qui Perſio noſtro congruam putabunt, inter doctos annumerabuntur.* Sentit ergo Nactam non fuiſſe nomen proprium viri, ſed communem artis fulloniæ profeſſoris, ideoque Naccam, ideſt immundum vilem, & nauci. Sic & Philippus Beroaldus in locum Apulei citatũ ex 9. Aſini aurei inquit: *Apud Horatium, & Perſium Nacta uſurpatur pro nomine ſordidi hominis, & deſpectiſſimi. Sic & hic Nactam poſuit pro uiliſſimo. Opinor legendum eſſe Naccam, exponendumq; apud fullonem, namque fullonem appellant Nacam, quod nauci non ſint, ideſt nullius precij. Quod autem fullo fuerit is, apud quem cœnitauit, paulo mox apertiſſimè demonſtrat, ſcribens.* Contubernalis mei fullonis. At Cornutus hic vult Nactam eſſe nomen proprium, ſed fictum: refert tamen aliquos exiſtimaſſe Nactam fuiſſe quemdam luxurioſum, qui ſuum prodegerat patrimonium, nobilitatemq; malè viuendo, turpauerat. Sed quum Cicero ad Atticum l. 4. epiſt. 8. meminerit cuiuſdam Nactæ, dicens: *De Nacta ex tuis primum ſciui litteris, oderam hominem.* Et idem pro Murena dixerit, de quodam L. Nacta, eum eſſe adoleſcẽtem ſummo loco natum, ſed in vitia procliuem, de hoc puto intelligendũ, & philoſophi nomine moneri diſcipulum, ne hunc Nactam imitetur, qui adeo vixit diſſolutè, vt ſibi, familiæ, & toti vrbi, probri, & dedecoris maculam inuſſerit.

*SED ſtupet hic vitio, & fibris increuit opimũ*

*pingue:caret culpa,neſcit quid perdat,et alto demerſus, ſumma rurſus non bullit in vnda.* His verbis vult, huius adoleſcentis grauiorem, quam Nactæ eſſe culpam. Nacta ſiquidem ob ſcientiæ, & inſtitutionis defectum, nullam habere potuiſſe ſapientiæ, & virtutis notitiã, ideoq; quum peccaret ex ignorantia,habebat excuſationem: at adoleſcens iſte,philoſophicis ſtudijs innutritus, virtutis pulchritudinem, vitiorumque probe nouerat fœditatem, & ita nullam habebat excuſationem. Stupere autem eſt,quodammodo rerum ſenſum non habere,quo morbo laborantes,ſtupidi dicuntur,vel attoniti. De quo Celſus lib.3.cap 26. ait: *Attonitos quoque raro uidemus, quorum & corpus,& mens ſtupet. Fit interdum ictu fulminis,interdum morbo ἀποπληξίαν hũc Græci appellant.* Sic Ouid.5.Metamorph.

*Mater ad auditas ſtupuit,ceu ſaxea,uoces*
*Attonitæque diu ſimilis fuit.*

Et idem Ouid.4. Triſt. eleg 1.

*Vtque ſuum Bacchæ non ſentit ſaucia uulnus,*
*Dum ſtupet Idæis exululata iugis.*
*Sic ubi mota calent ſacro mea pectora thyrſo*
*Altior humano ſpiritus ille malo eſt*
*Ille nec exilium, Scythici nec frigora Ponti*
*Ille nec iratos ſentit habere Deos,*
*Vtq: ſoporiferæ biberem ſi pocula Lethes*
*Temporis aduerſi ſic mihi ſenſus abeſt.*

Et Ter. Andr. Act.2.ſc.1.

*Vt animus in ſpe,atque in timore, uſq; antehac attentus fuit,*
*Ita poſtquam adempta ſpes eſt, laſſus, cura confectus, ſtupet.*

Et

Et per hoc, quod ait ſtupet vitio, ſignificat vitioſam conſuetudinem ex peruerſa natam educatione, adeo in naturam abijſſe, vt in malis, veluti ſtupidus, ipſorum ſenſu careat. Vitium enim etiam corporis, hoc differt à morbo, quod hic & ſentitur, & curari poteſt, & multoties ideo ſanatur, vt vulnus, febris, & alij. At vitium, vt plurimum, non ſentitur, vnde nec per naturam, nec per artem venit ad ſanitatem, ſed eſt incurabile, vt cæcitas, vel claudicatio naturalis. Quum igitur Nacta ex inolita conſuetudine, non aduerteret ſe vitijs inquinatum, neſciretque ſuas operationes eſſe prauas, nec, ſi id cognoſceret, canones, aut rationes haberet eas corrigendi, vitio ſtupere dictus fuit.

*ET fibris increuit opimum pingue*: quaſi diceret: aucta eſt pinguedo in intimis præcordijs. Quid ſint fibræ, dictum eſt ad illa verba ſatyræ 1. verſu 47.

*Nec enim mihi cornea fibra eſt*,

eſſe extremitates, maximè præcordiorum: & de his nunc intelligit. *Increſcere* eſt intus creſcere, & augeri in interioribus: ſumitur tamen multoties pro ſimpliciter creſcere, vel augeri. Sic Ouid. 9 Metamorph.

*Vt dolor increuit, ſeq; ipſum pondus in auras*
*Expulit.*

Et Liuius lib. 1. cap. 33. *Quiritium quoque foſſa, haud parum munimentum à planioribus aditu locis, Anci Regis opus eſt: ingenti incremento rebus auctis, quum in tanta multitudine hominũ, diſcrimine rectè an perperam facti confuſo, facinora clandeſtina fierent, carcer ad terrorem in-*

*creſcentis audaciæ, media Vrbe, imminens foro, ædificatur.* Sed hoc loco propriè eſt accipiendum.

*OPIMVM pingue.* Concretum poſuit pro abſtracto, pingue pro pinguedine. Opimum autem eſt abundans, & copioſum, & ſic accepit Cicero pro Roſcio Amœrino: *Quod ſi aut cauſa criminis, aut facti ſuſpicio, aut quælibet denique vel minima res reperietur, quamobrem videatur illi nonnihil tamen in deferendo nomine ſecuti. Prætereà ſi præter eam prædam, quam dixi, quidquam aliud cauſæ inueneritis, non recuſamus quin illorum libidini Sexti Roſcij vita dedatur. Sin aliud agitur nihil, niſi vt jis ne quid deſit, quibus ſatis nihil eſt: ſi hoc ſolum hoc tempore pugnatur, ut ad illam opimam, præclaramque prædam, damnatio Sexti Roſcij uelut cumulus accedat.* Sic Horatius lib. 1. epiſt. 2.

*Inuidus alterius macreſcit rebus opimis.*

Et hic opimum pingue, craſſam ſignificat pinguedinem. Ex diuitijs enim, & lautè viuendi conſuetudine, in Nactæ nedum corpus, & carnem, obeſam redditam, & torpentem, ſed etiã in mentem, & ingenium, pinguedo venerat. Aptiores autem exercitationi, & ſcientijs acquirendis, graciles, & macilenti, quam carnoſi habitioreſque, qui ijſdem ſuo videntur pondere reluctari. Pingues enim plurimum pituitæ ſanguini habent admixtum, at illa ingeniũ hebetat, quia ſpiritus animales, neceſſarij operationibus phantaſiæ, & intellectus, à pituitæ frigore conſtringuntur. Inde quum quidpiam prauè ineptèque factum ſignificare volumus, craſſa Minerua factum dicimus. Nacta autem

quum

quum omnia faceret, abſque ordine ad virtutem, cuius carebat notitia, vt & ingenii cultura, cuncta craſſa operabatur Minerua, quaſi in eius fibris pingue creuiſſet opimum.

*CARET culpa, neſcis quid perdas.* De Nacta loquitur, docens eum eſſe abſque culpa, ignorantia eum excuſante. Nam quum defectu inſtitutionis, nullam haberet notitiam felicitatis, conſiſtentis in operatione virtutis, nec vitiorum nouiſſet turpitudinem, illius peccatũ nullum erat, vel leue. Et videtur hic comparaſſe incontinentem cum intemperante, de quibus Ariſtoteles Ethic. lib. 7. per totum, & maximè cap. 12. ait: [ Eſt autem intemperans, qualem poſtea non pœniteat, nam in electione perſiſtit: incontinentem vero pœnitet: quapropter hic quidem ſanabilis, ille autem inſanabilis. Aſſimilatur autem vitium (*intemperantia*) hydropiſi, & ptiſi, incontinentia vero epilepticis: illa enim continua, hæc non continua improbitas eſt: & omnino aliud eſt genus incontinentiæ, quam vitij: nam vitium quidem latet, incontinentia vero non latet.] Et eiuſdem libri cap. 4. inquit: *Videtur, quod incontinens ſit ſimilis Ciuitati, quę omnia opportunè decernat, ac leges habeat bonas, ſed illis non utatur, ut Anaxandrides obiecit, inquiens Ciuitas nolebat, cui legum cura eſt. Malus autem* (intemperãs) *ciuitati, quæ legibus utitur, ſed malis.* Nactam ergo deſcribit intemperantem, nullam pulchritudinis virtutis, aut dedecoris vitiorum, notitiam habentem, ideoq; non aduertentem ſe peccare, quum malè agebat. Adoleſcentem vero, vt incontinentem,

qu-

qui quum ex recta, & philoſophica inſtitutione, boni & mali, virtutis, & vitij notitiam haberet, ſciens, & volens, repugnante intus ratione, conſcientia, ſiue ſynderesi, & ſecretam obganniente in aurem, in ſcelera ruebat. Quãuis autem tam intemperans, quam incontinẽs ſint ſenſibilium mancipia voluptatum, hæc tamen inter eos ab aliquibus conſtituitur differentia, quod intemperans peccat quaſi ex natura, nam longa conſuetudo in naturam migrat, vt Ariſtoteles docuit loco citato, & ideo nũmquam, vel raro ad bonam redit frugem, vt merito hic dicatur: *Alto demerſus, ſũma rurſus non bullit in unda*: ſed incontinens peccat ex paſſione, vnde eius emendatio non eſt adeo deſperata. Cæterum iuxta ſententiã aliquorum, licet incontinens ſit magis ſanabilis, & ex hac parte leuius peccet, quia tamen peccat ſciens, & volens, intemperans vero peccat, non aduertens id, quod agit eſſe peccatum; hinc, dicunt, peccatum incontinentis eſſe grauius: nam qui non deliquit voluntate, dignior eſt venia, quam is, qui ex propoſito peiora eligit, hic enim nullam meretur excuſationem; ſed potius multiplicem pœnã. Et ita hic Nacta intemperans, dictus eſt carere culpa, quia neſciebat quid perderet. nempe felicitatem. Incontinens vero, qui aſſidua aduerſus vitia colluctatione, debuit eſſe exercitatus ad ea debellanda, illis ſuccũbendo grauius peccat; & exaggeratur eius peccatum, vtpote procedens ex voluntate, & plena deliberatione: quando intemperans, ſimilis attonito, vel phrenetico, peccabat non intelligens

ſe

ſe errare. Hęc dicta ſunto iuxta Perſij mentē Cæterum iuxta veritatem de incontinentia, & intemperantia hęc ait D.Th.2.2 q.156.a.3.o. [ Peccatum ſecundum Auguſt.præcipuè in voluntate conſiſtit, voluntas enim eſt, qua peccatur, & rectè viuitur.Et ideo vbi eſt maior inclinatio voluntatis ad peccandum,ibi eſt grauius peccatum.In eo autem,qui eſt intemperatus, voluntas inclinatur ad peccandum, ex propria electione, quæ procedit ex habitu per conſuetudinem acquiſito:in eo autem,qui eſt incontinens, voluntas inclinatur ad peccandum ex aliqua paſſione.Et quia paſſio cito tranſit,habitus autē eſt qualitas difficilè mobilis,inde eſt,quod incontinēs ſtatim pœnitet tranſeunte paſſione, quod non accidit de intemperato, quinimmo gaudet ſe peccaſſe, eo quod operatio peccati eſt ſibi facta connaturalis ſecundum habitum: vnde de his dicitur Prou. 2. quod lætantur quum malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis:vnde patet,quod intemperatus eſt multo peior, quam incontinens. ] Et ad 1.eiuſdem art. ait: Ignorantia intellectus, quandoque quidem præcedit inclinationem appetitus, & cauſat eam: & ſic quanto eſt maior ignorantia, tāto magis peccatum diminuit, vel totaliter excuſat, in quantum cauſat inuoluntarium. Alio modo è conuerſo ignorantia rationis ſequitur inclinationem appetitus,& talis ignorantia quanto eſt maior,tanto peccatum eſt grauius,quia oſtenditur inclinatio appetitus eſſe maior. Ignorantia autem tam incontinentis,quam intemperati, prouenit ex eo, quod appetitus

eat

eſt in aliquod inclinatus, ſiue per paſſionem, ſicut in incontinente, ſiue per habitum, ſicut in intemperato: maior autem ignorantia cauſatur ex hoc in intemperato, quam in incontinente. Et vno quidem modo quantum ad durationem, quia in incontinente durat illa ignorantia ſolum paſſione durante: ſicut acceſſio febris tertianæ durat, durante commotione humoris: ignorantia autem intemperati durat aſſiduè, propter permanentiam habitus, vnde aſſimilatur phthiſicæ, vel cuicumq; morbo continuo, vt Philoſ. dicit 7. Ethic. Alio autem modo eſt maior ignorãtia intemperati, quantum ad id, quod ignoratur: nam ignorantia incontinentis attenditur quantum ad aliquod particulare eligibile, prout ſcilicet æſtimat, hoc nunc eſſe eligendum: ſed intemperatus habet ignorantiam circa ipſum finem, in quantum ſcilicet iudicat hoc eſſe bonum, vt irrefrenatè concupiſcentias ſequatur. Vnde Philoſ. dicit in 7. Ethic quod incontinens eſt melior intemperato, quia in eo ſaluatur optimum principium, ſcilicet recta æſtimatio de fine.] Et ibidem ad 3. ait: Libido voluntatis, quæ auget peccatum, maior eſt in intemperato, quam in incontinente: Sed libido concupiſcentiæ appetitus ſenſitiui, quãdoque maior eſt in incontinente, quia incontinens non peccat, niſi à graui concupiſcentia: ſed intemperatus etiam ex leui concupiſcentia peccat, & quandoque eam præuenit. Et ideo Phil. dicit 7. Ethic. quod magis intemperatum vituperamus, quia non concupiſcēs, sed quietè, id eſt remiſsè concupiſcens perſe-

quitur

quitur delectationes. Quid enim faceret ſi adeſſet concupiſcentia iuuenilis !] Ethnicorũ aliqui, culpam fato adſcribunt, de quorum numero eſt Iuuenalis dicens ſat.2.verſ.14.

*Rarus ſermo illis, & magna libido tacendi,*
*Atque ſupercilio breuior coma: verius ergo*
*Et magis ingenuè Peribonius, hunc ego fatis*
*Imputo, qui vultu morbum inceſſuq; fatentur*
*Horum ſimplicitas miſerabilis, his furor ipſe*
*Dat veniam, ſed peiores, qui talia verbis*
*Herculis inuadunt, & de virtute locuti*
*Clunem agitāt: Ego te ceuentē Sexte verebor?*

Sed fatuè ſtultèque fato humanas adſcribu t actiones, quum fatum aliud non ſit, niſi Diuina voluntas, & prouidentia, cui impium eſt peccata adſcribere: ſed peccatorum cauſa omnimoda eſt humana, ideſt creata de nihilo deficiens, & libera voluntas. Itaque abſolute & ſimpliciter, nedum diuturnius, ſed etiam grauius eſt peccatum intemperantis, quam incontinentis, tum ob rationem D.Th. tum etiam eo, quod ignorantia illa, incogitantia, & ſtupiditas ob quam labitur, ex vitio proceſſit, & culpabilis fuit, diſcere namque neglexit neceſſaria ad tranſigendam vitam iuxta honeſtatis regulas, quum id commodè potuiſſet.

*ALTO demerſus, ſumma rurſus non bullit in vnda*. Familiaris fuit philoſophis metaphora iſta, ab eis ducta, qui aquis demerſi, periclitantur. Ea vtitur inter alios Dio Chryſoſtomus lib. 4. de Regno dicens: *Si fortè leuatus typho, & gloria, poſſit pauxillum emergere*. Et Cicero 4. de Finibus: *Quis enim ignorat, ſi plures ex alto emergere velint, propius fore eos quidem*

*uiem ad reſpirandum, qui ad ſummam iam aquã appropinquant: ſed nihilo magis reſpirare poſſ, quam eos, qui ſunt in profundo? Nihil ergo iuuat procedere, & progredi in virtute, quo minus miſerrimus ſit antequã ad eam peruenerit, quoniam in aqua nihil adiuuat procedere.* Et denotat, quod quemadmodum, qui alto flumine, mari, aut alio profundo gurgite eſt demerſus, numquam inde ſanus, & vigens emergere poterit, dum aqua eius ſpiritum, & reſpirationem intercludit: ita qui in profundo vitiorum quaſi cœno detinetur, ſi in eis obcalluit, illaq; in quaſi naturam abierunt, numquam ad frugem veniet meliorem. Quid ſit autem bullire, dictum ad illud ſatyræ 2. verſu 10.

*O ſi ebullet patrui præclarum funus.*

*MAGNE pater Diuum, ſæuos punire Tyrannos haud alia ratione velis, quum dira libido mouerit ingenium, ferventi tincta veneno, virtutem vt uideant, intabeſcantque relicta.* Ordo eſt: Magne pater Diuum, haud velis punire ſæuos Tyrannos, quum dira libido tincta ſeruenti veneno, mouerit ingenium (eorum) alia ratione (quam) vt videant virtutem, & intabeſcant relicta. Magne pater. Diuum, ſiue Diuorum, dictus eſt Iuppiter, nõ quod Deorum omnium ſit pater naturalis, niſi Apollinis, Herculis, Dionyſij, Mercurij, Caſtoris, & Pollucis, Mineruę, Veneris, Dianæ, & quorumdam aliorum. Saturnus tamen eius fuit pater, Iuno, Neptunus, & Pluto eius fuere fratres: Cœlum, Ops, Veſta, & alij, alio quam filiali nomine eum attingebant. Deorũ tamen omnium dictus eſt pater, quia omnium

erat

erat Rex: & in bene inſtituta Rep. (cuiuſmodi decet eſſe Diuinam) Rex, ſubditorum patrem ſe debet exiſtimare, eorumque curare vtilitates, haud aliter, quam pater filiorum.

*TYRANNI* nomen antiqui in bonam accipiebant partem, pro iuſto, regali, & politico imperio Virg. 7. Æneid. verſu 263.

*Ipſe modo Æneas (noſtri ſi tanta cupido eſt*
*Si iungi hoſpitio properat ſociuſque vocari)*
*Adueniat, vultus neue exhorreſcat amicos:*
*Pars mihi pacis erit, dextram tetigiſſe Tyrani.*

Sed quum deinde Regum pleriq; Rerumpub. commoda, contra ius, & fas in propriam vertere cœpiſſent vtilitatem, ſubditorum opes rapientes, & in eorum corpora, vitaſque ſæuientes, diſtingui cœptum Regium à Tyrannico nomine, illiſque Regis remanſit nomen, qui veluti patres in priuatis familijs, ſubditorum in Rep. felicitatem, pacem, opes, & cõmoda, totis viribus procuraſſent. Tyranni vero dicti, qui populos quacumq; premerent ratione, ſiue eos libertate ſpoliando, ſiue Regnũ iuſto titulo partum, impotenter adminiſtrando, auferendo, vel diuitum facultates, vel matronarum pudicitiam, vel vitam innoxiorum, vt feciſſe legimus Tarquinium ſeptimum, & vltimum Romanorum Regem, duos Syracuſanos Dionyſios, Phalaridem Agrigentinum, Buſyridem Ægyptium, & alios. Talis etiam fuit Licaon ille, de quo Ouid. 1. Metamorph.

*Arcados hinc ſedes, et inhoſpita tecta Tyranni*
*Ingredior, traherent quum ſera crepuſcula noctem.*
*Signa dedi veniſſe Deum, vulguſq; precari*

*cæ-*

*Cæteras, irridet primo pia uota Licaon.*

Et de talibus Tyrannis, populos quacumque ratione prementibus, ſpoliantibus tam commodis, quam iuribus, & libertatibus, & ad ſe omnia trahentibus, nunc loquitur eos appellans ſæuos.

*QVVM dira libido.* Dirus eſt immitis, ſęuus, & irreconciliabilis: dictæ diræ quaſi Deorum iræ; ipſæque furiæ Diræ ſunt appellatæ, ſed propriè in cœlo, nam in terris Furiæ, in inferno vero dicuntur Eumenides. De his Virgilius 12. Æneid. verſu 845.

*Dicuntur geminæ peſtes cognomine Diræ,*
*Quas & tartaream Nox intempeſta Megeram*
*Vno eodemque tulit partu, paribuſq; reuinxit*
*Serpentum ſpiris, ventoſaſq; addidit alas.*
*Hę Iouis ad ſolium, ſæuiq; in limine Regis*
*Apparent, acuuntq; metum mortalibus ægris*
*Si quando læthum horrificũ, morboſq; Deũ Rex*
*Molitur, meritas aut bello terretat vrbes*

Diræ etiam dicuntur imprecationes, execrationeſue, quibus quicumque deuouebantur, maximis credebantur afficiendi malis. Hinc Cic. 1. de Diuin. [ Siniſtra dum non exquirimus, in dira, & vitioſa incurrimus, vt P. Claudius Appij cœci filius, eiuſque collega L. Iunius, claſſes maximas perdiderunt, quum vitio nauigaſſent. Quod eodem modo euenit Agamemnoni, qui quum Achiui cœpiſſent inter ſe ſtrepere, apertèque artem obterere, extis piſcium ſoluere imperat, ſecundo rumore, aduerſaque aue. Sed quid vetera? M. Craſſo quid acciderit videmus, dirarum obnunciatione neglecta, in quo Appius collega tuus, bonus

augur, vt ex te audire ſoleo, non ſatis ſcienter virum bonum, & ciuem egregium, Cenſor, C. Etheium notauit, quod ementitum auſpicium ſubſcriberet. Eſto, fuerit hoc Cenſoris, ſi iudicabat ementitum: at illud minimè auguri, quod adſcripſit, ob eam cauſam Romanum populum calamitatem maximam cepiſſe. Si enim ea cauſa calamitatis fuit, non in eo eſt culpa, qui obnunciauit, ſed in eo, qui non paruit; veram enim fuiſſe obnunciationem, vt ait idem augur, & Cenſor, exitus approbauit: quæ ſi falſa fuiſſent, nulla afferre potuiſſent cauſam calamitatis. Etenim Diræ, ſicut cætera auſpicia, vt omina, vt ſigna, non cauſas adferunt, quur quid eueniat, ſed nunciant ventura niſi prouideris.] Sed propriè dirus eſt immitis, & crudelis. Virg 3. Georg. v. 468.

*Continuo culpam ferro compeſce, priuſquam*
*Dira per incautum ſerpant contagia uulgus.*

Et Ouid. 1. Faſtor.

*Brutus erat ſtulti ſapiens imitator, ut eſſet*
*Tutus ab inſidijs dire Superbe tuis.*

Et idem Ouid. 4. Triſt. eleg. 4.

*Nec procul à nobis locus eſt, ubi Taurica dira*
*Cæde pharetratæ ſpargitur ara Deæ.*

Et Seneca de Conſol. ad Marciam cap 9. *Quis non, ſi admoneatur, ut de ſuis cogitet, tamquam dirum omen reſpuat, & in capita inimicorum, aut ipſius intempeſtiui monitoris, abire illa iubeat?* Et hoc modo, videlicet pro fero, immani, & crudeli, nunc dirus ſumitur.

*LIBIDO* eſt voluntas, cupiditas, & deſiderium effrænе, ac extraordinarium, temere procedens, nec rationi obediens; qualis eſt in

e.s

eis quibus eſt pro ratione voluntas, & operantur ad libitum, ideſt abſque ductu rationis. Salluſtius in Catilinario vſus eſt hoc vocabulo, vt medio inter ſcæuum, & honeſtum, dicens: *Ciuitas incredibile eſt memoratu, adepta libertate, quantum breui creuerit, tanta libido gloriæ inceſſerat. Iam primum iuuentus, ſimul ac belli patiens erat, in caſtris per laborem, uſu militiam diſcebat, magiſque in decoris armis & militaribus equis, quam in ſcortis, atque in conuiuijs libidinem habebat.* Nihilominus frequentius in deteriorem partē accipitur. Vnde Auguſt. 14. de C.D. cap. 15. ait: [ Voluptatem præcedit appetitus quidam, qui ſentitur in carne, quaſi cupiditas eius, ſicut fames, & ſitis, & ea, quæ in genitalibus vſitatius libido nominatur, quum ſit hoc generale vocabulum omnis cupiditatis. Nam & ipſam iram, nihil aliud eſſe, quam vlciſcendi libidinem veteres definierunt, quamuis nonnumquam homo vbi vindictæ nullus eſt ſenſus, etiam rebus inanimis iraſcatur, vt malè ſcribentem ſtylum concidat, vel calamum frangat iratus. Verum & iſta licet irrationabilior, tamen quædam vlciſcendi libido eſt, & neſcio quæ (vt ita dixerim) quaſi vmbra retributionis, vt qui mala faciunt, mala patiantur. Eſt igitur libido vlciſcendi, quæ ira dicitur: Eſt libido habendi pecuniam, quę auaritia: Eſt libido quomodocumque vincendi, quæ peruicacia eſt: Eſt libido gloriandi, quæ iactantia nuncupatur. Sunt multæ, varięque libidines, quarum nonnullæ habent etiam vocabula propria, quędam vero non habent. Quis enim facilè dixerit

rit quid vocetur libido dominandi, quam tamen plurimum valere in tyrannorum animis, etiam ciuilia bella teſtantur? ] Et ſequitur cap. 16. Quum igitur ſint multarum libidines rerum, tamen quum libido dicitur, nec cuius rei ſit libido additur, non ferè aſſolet animo occurrere niſi illa, qua obſcœnæ partes corporis excitantur. Hæc autem ſibi non ſolum totum corpus, nec ſolum intrinſecus vendicat, totumque commouet hominem, animi ſimul affectu, cum carnis appetitu coniuncto, atque permixto, vt ea voluptas ſequatur, qua maior in corporeis voluptatibus nulla eſt: ita ut momento ipſo temporis, quo ad eius peruenitur extremum, pene omnis acies, & quaſi vigilia cogitationis obruatur. ] Cicero etiam 4. Tuſculan. ait: *Voluntatem Stoici ſic definiunt: Voluntas eſt quæ, quid cum ratione deſiderat: quæ autem aduerſa ratione incitata eſt vehementius, ea libido eſt, vel cupiditas effrænata, quæ in omnibus ſtultis inuenitur.* Et Gellius lib. 19. cap. 4. libidinem ad naturalem lotij emittendi voluntatem extendit, dicens: *Ariſtoteles in problematibus quærit, quur accidat, ut eum qui propter ignem diutius ſtetit libido urinæ laceſſat.* At Horatius libidinem Veneream intelligit, cum ait lib. 1. Carm. ode 25.

*Inuicem mœchos, anus arrogantes*
*Flebis in ſole leuis angiportu*
*Tracio baccantes magis ſub inter*
*Lunia vento*
*Quum tibi flagrans amor, & libido,*
*Quæ ſolet matres furiare equorum*
*Sæuiet circa iecur ulceroſum.*

At nunc libido poſita eſt pro quacumque ar-denti, & effręni Tyrannorum cupiditate, ſiue feratur ad vindictā, ſiue ad pecuniam, ſiue ad rem Veneream, vel ad dominationem.

*INGENIVM* à gignendo dicitur, denotat q; indolem, naturam, & inclinationem cuiq; ingenitam ad aliquid faciendum, vel excogitandum. Sic Plaut. Moſtell. Actu 1. ſc 3.

*Proh Dij immortales mulierem lepidam, & pudico ingenio!*

Extenditur autem ad indicandam vim naturalem hominibus inditam inueniendi ea, quæ per naturam poſſunt inueniri. Hinc Cic. 5. de Finibus ait: *Animi autem, et eius animi partis, quæ princeps eſt, quæq; mens nominatur, plures ſunt uirtutes, ſed duo prima genera, unum earū, quæ ingenerantur ſuaptè natura, appellanturq; non uoluntaria; alterum earum, quę in uoluntate poſita, magis proprio nomine appellari ſolent, quarum eſt excellens in animorum laude præſtantia Prioris generis eſt docilitas, memoria, quę ferè omnia appellantur uno ingenij nomine, eaſque uirtutes, qui habent ingenioſi uocantur.* Ex hac Ingenij acceptione factum, vt ingeniorum quædam dicantur ſolertia, acuta, vel præclara; alia inertia, rudia, tarda, vel obtuſa. Vnde hic ingeniū nominatum eſt vis excogitandi nouos libidinis modos, vel noua pœnarum genera, vt fuit in Tyrannis.

*FERVENTI*, ideſt maximè calido, nam eſt participium verbi ferueo: feruere autem eſt ebullire, aut incaleſcere, vt mare agitatum feruet, & etiam muſtum dum tranſit in vinū. Vnde Plin. lib. 14. cap. 9. ait: *Medium inter*

dulcia

*dulcia uinumque eſt, quod Græci* ἀγλευκος *vocant, hoc eſt, ſemper muſtum id euenit cura, quoniam feruere prohibetur ſic appellant muſti in uina tranſitum.* Homines etiam cupiditatibus feruere dicimus. Sic Cicero pro Quintio: *Quod viri optimi faciunt, ſi qui ſuos propinquos ac neceſſarios, charos, & honeſtos eſſe, atque haberi nolunt, id Sextus Næuius non faceret. qui uſque eo feruet, ferturque auaritia, ut de ſuis commodis nolit aliquam partem amittere, ne quam partē huic propinquo ſuo ullius ornamenti relinquat.* Sic Horatius lib. 1. epiſt. 1.

*Feruet auaritia, miſeraque cupidine pectus.*

Sed feruor iſte maxime excitatur concupiſcentia, & ira, nam concupiſcentia hepar, & ſanguis excandeſcit Ou. 1. de Arte:

*Illic ſæpe animos iuuenum rapuere puellæ*
*Et Venus in vinis, ignis in igne fuit.*

Ira verò quum ſit accenſio ſanguinis circa cor, nihil mirum ſi irati feruent. Sic Ouid. 1. Metamorph.

*Laurea delapſa eſt, audito crimine amantis,*
*Et pariter, vultuſque Deo plectrumq; colorq;*
*Excidit, vtq; animus tumida feruebat ab ira,*
*Arma aſſueta capit, flexumq; à cornibus arcū*
*Tendit, & illa ſuo toties cum pectore iuncta*
*Indeuitato traiicit pectora telo.*

*TINCTA.* Tingere eſt inficere, immergere, & colore, vel humore imbuere. Sic Martial. lib. 1. epigr. 4.

*Tingit crinem Carinus, & tamen pallet.*

Et in eodem ſenſu idem Martialis lib. 5. epigramm 89.

*Mentiris iuuenem, tinctis Lentine, capillis*

*Tam ſubito coruus qui modo cycnus eras.*

Sic Ouid. 1. de Arte.

*Conſule de gemmis, de tincta murice lana*
*Conſule de facie, corporibuſque diem.*

At pro immergere Virg. 1. Æn. verſ. 749.

*Quid tantum Oceano properent ſe tingere Soles*
*Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.*

Sed frequentius ponitur pro inficere colore, vel ſanguine. Sic Virg. 3. Georg. verſu 490.

*Inde neq; impoſitis ardent altaria fibris,*
*Nec reſponſa poteſt conſultus reddere vates,*
*Ac vix ſuppoſiti tinguntur ſanguine cultri,*
*Summaque ieiuna ſanie infuſcatur arena.*

Et Ouid. 2. Triſt.

*Tingeres vt ferrum natorum ſanguine mater.*

Et idem Ouid. 4. Triſt. eleg. 2.

*Candidaq; adducta collum percuſſa ſecuri*
*Victima purpureo ſanguine tingit humum.*

Verum hic libido dicitur metaphorice tincta, quia affecta eſt calore excitato ab ira, vel cõcupiſcentia, quo etiam coloratur, vt hic interueniat metonymia effectus, dum color à paſſione in cutem inductus, ipſi tribuitur paſſioni, & conſequenter eſt hic etiam metalepſis, ſiue gradatio.

*VENENVM* dicimus, quod Græci *φάρμακον* appellant. Et quum pharmacum dicatur tam noxium, quam ſaluferum, etiam venenum rem mediam importat. Sic Gellius l. 12. cap. 9. ait: [ Eſt plurifariam videre, atque animaduertere in veteribus ſcriptis, pleraque vocabula, quæ nunc ſermonibus vulgi, vnam certamque rem demonſtrant, ita fuiſſe media, & communia, vt ſignificare, & capere poſſent

duas

duas inter ſeſe res contrarias: ex quibus quędam ſatis nota ſunt, vt tempeſtas, valetudo, facinus, dolus, gratia, induſtria. Hæc enim fere iam vulgatum eſt eſſe ancipitia, & vtroq; verſus dici poſſe. Periculum etiam, & venenum, & contagium, non, vti nunc dicuntur, pro malis tantum dicta eſſe, multum exemplorum eiuſmodi reperias.] Caius etiam de verbor. ſignific. inquit. Qui venenum dicit, adijcere debet, vtrum bonum, vel malum intelligat. Sic Plautus venenum pro bono accepit: Pſeudolo actu 3. ſcena 2. dicens:

*ſorbitione faciam ego te hodie mea,*
*Item ut Medea Peliam concoxit ſenem,*
*Quem medicamento, & ſuis venenis dicitur*
*Feciſſe rurſus ex ſene adoleſcentulum*
*Ita te ego faciam.*

Sed communiter ſumitur pro re noxia atque mortifera, & in partem deteriorem. Sic Ouid. 4. Triſt. eleg. 1

*Hoſtis habens arcus, imbutaque tela veneno*
*Sæuus anhelanti mœnia luſtrat equo.*

Et Cic. Catilinaria 2. *Hi pueri tam lepidi, ac delicati, non ſolum amare, & amari neque cantare, & ſaltare, ſed etiam ſicas vibrare & ſpargere venena didicerunt, qui niſi exeunt, niſi pereunt, etiam ſi Catilina perierit, ſcitote hoc in Rep. Seminarium Catilinarum futurum.* Sumitur etiam pro colore quo vellus vel alia inficiuntur. Sic Virg. 2. Georg. verſu 465.

*Alba, nec Aſſyrio fucatur lana veneno.*

Et hoc modo poni c[illegible] quo vehemens ira, aut concupiſcentia, [illegible] & colorat & maxime [illegible], [illegible] quā

per metonymiam ſubiecti, intelligit nomine paſſionis, in vultu ſeipſam prodentis.

*INTABESCERE* eſt tabo, morbo corporali, vel animi conſumi ægritudine. Idem ſignificaſſet, ſi dixiſſet: Tabeſcant, proprius tamen & ſignificantius dixit: Intabeſcant. Intabeſcere enim eſt interno conſumi langu re, quaſi intus tabeſcere: tabeſcere vero eſt modo quocumque deficere, morbo etiam exterius apparẽte. Et quum loqueretur de eis, qui interius angebantur, dolebantque quod virtutis, ſapientiæ, & honeſtatis viderent excellentiam, quam reliquiſſent, merito dicere debuit intabeſcant. Sic Ouid. 2. Metamorph.

*Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto*
*Nuſquam recta acies, liuent rubigine dentes*
*Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno,*
*Riſus abeſt, niſi quem viſi fecere dolores,*
*Nec fruitur ſomno, vigilantibus excita curis.*
*Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo*
*Succeſſus hominum, carpitq; & carpitur vna*
*Suppliciumque ſuum eſt.*

Sic Columella lib. 4. cap. 3. ait: *Res eſt tenera, infirma iniuriæ maximè impatiens, quæ plerumque nimio labore, & vbertate conſumitur, peritque. ſi modum non adhibeas, fœcunditate ſua: quum tamen aliquatenus ſe confirmauit, & veluti iuuenile robur accepit, negligentiam ſuſtinet. Nouella vero, dum adoleſcit, niſi omnia iuſta perceperit, ad vltimam redigitur maciem, & ſic intabeſcit, vt nullis deinceps impenſis recreari poſſit.* Et talis eſt Tyrannorum conditio: quod & Hieron agnouit apud Xenophontem in Tyranno, dicens: [ Aliam Tyrannorum calami-

mitatem tibi dicam, Simonides: Nouerunt nō minus, quam priuati, probos, ſapientes, & iuſtos viros. Hos, quum diligere deceant, metuunt. Fortes quidem, ne quid audeant libertatis amore: ſapientes, ne quid machinentur: iuſtos vero, ne multitudo cupiat ab illis gubernari. Quos poſtquam ob metum, clam ſuſtulerunt, quinam ſiunt illis reliqui, quibus vtantur, niſi vel iniuſti, vel intemperantes, vel ſeruiles? iniuſti quidem habentur, quoniā metuunt, quemadmodum, & Tyranni, ne quando ciuitates libertati redditæ, ipſos opprimant. Intemperantes, ob præſentem, & temporariam potentiam. Porro, qui ſeruili ſunt ingenio, ob id, quod ipſi ne cupiant quidem eſſe liberi. Quapropter mihi quidem videtur, & hæc eſſe magna calamitas, quum alios ducamus bonos viros, cogi vt alijs vtamur. Accedit his, quod Tyrannum quoque neceſſe eſt eſſe Ciuitatis ſtudioſum, ſiquidem abſque Rep. nec incolumis eſſe poſſit, nec felix. Contra Tyrannis ipſa compellit, vt propriam criminentur patriam. Neque enim fortes, neque bellaces ciues, ſibi parare gaudent, ſed gaudent potius, hoſpites, ac peregrinos, ciuibus potentiores reddere, atque horum adhibent ſatellitium. ] Et ita nunc, de Tyrannis loquens, ait, illos intabeſcere, vel inuidia felicium ob virtutem, & ſapientiam, qua ipſi carent, vel ira, & cupiditate.

*ANNE magis Siculi gemuerunt æra iuuenci, et magis auratis pendens laquearibus enſis Purpureas ſubter ceruices terruit, imus, imus præcipites quam ſi ſibi dicat, & intus palleat infelix,*

*lix, quod proxima neſciat uxor?* Ordo eſt: Anne æra iuuenc. ſiculi gemuerunt magis, & enſis pendens auratis laquearibus terruit magis ceruices purpureas ſubter ( poſitas ) quam ſi (quis) ſibi dicat: imus, imus præcipites, & infelix palleat intus, quod vxor proxima neſciat. Senſus eſt. Nullum eſſe tormentum maius eo, quo affliguntur improbi, qui poſt cognitam virtutis præſtantiam, ab eius poſſeſſione ſe ſiuerunt abduci. Nihil enim miſerius animo hominis facinoris ſui conſcio, nam ipſa conſcientia erinnarum loco ipſum lancinat, & torquet, vt rectè ait Petronius in ſuo Satyrico: *Dij, Deæque, quam malè eſt extra legẽ viuentibus! quidquid meruerunt, ſemper expectant.* Adſtipulatur Boætius de Conſol. philoſ. lib. 3. cap. 8.

*Quid dignum ſtolidis mentibus imprecer?*
*Opes, honores ambiant,*
*Et quum falſa, graui mole parauerint*
*Tum vera cognoſcant bona.*

Quum enim Deus, naturæ autor, hominibus virtutum amorem, vitiorumq; indiderit odiũ, quantumuis, poſt originale peccatum, tam amor ille, quam iſtud odium deferbuerint, adeo vt Geneſeos 4. dicatur: *Senſus & cogitatio humanĩ cordis, in malum prona ſunt ab adoleſcentia*, numquam tamen vitium à quoquam probari potuit, nec quiſquam ſciens, & volẽs ſcelera eſt amplexus, niſi fortè pauci, ſimiles Medeæ illi, quæ ait apud Ouid. 7. Metam.

*video meliora proboque*
*Deteriora ſequor:*

aut ſimiles Hieroni dicenti, apud Xenophontem

tem in Tyranno *Iſto nomine miſerrima eſt Tyrannis, quod ab ea non licet diſcedere. Quomodo enim quiſquam Tyrannus vnquam ſufficeris ad pecuniam rependendam ijs, quos ſpoliauit? aut quomodo vincula repenſet his, quos detruſit in vincula? aut quomodo reſtituet tot animas extinctas his, quos occidit? ſed ſi cuiquam alteri, ò Simonides, expedit laqueo finire uitam, ſcito, inquit, me compertum habere, vt id faciat nulli magis expedire, quam Tyranno: quandoquidem huic uni mala nec retinere, nec deponere expedit.* Quod tamen ex puſillanimitate, aut deſidia potius, quam ex propoſito accidit, aut electione. Et hæc ignauia multos peſſumdedit, eos ſcilicet, qui deterrentur laboribus, felicitatem præcedentibus: nam dexter virtutis callis, initio quidem arduus eſt, & ſalebroſus, & quum *arcta ſit uia, quę ducit ad vitam*, vt dicitur Matthæi 7, pleriquę puſillanimes effecti illius aſperitate, ab eius deficiunt proſecutione, ad vitiorum lata, & plana flectentes. Qui ſi cognouiſſent, quam ingens ſit malum à virtutis, iam cognitæ, ſemita declinare, & quam ſit difficilè ad eam iterum redire, iuxta illud Apoſtoli ad Hebræos 6. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum Cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, guſtauerunt nihilominus bonũ Dei verbum, virtuteſque ſeculi uenturi, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pænitentiam*, totis conarentur viribus proſequi iter virtutis arreptum, quantumcumque videretur arduũ: alioquin infortunium non euadent, nedum in futuro ſeculo, verum etiam in præſenti, vt ab

eo ſe tota I npe⸗j vaſtiſſima p ten:ia ſubtrahere nequ u t Tiberius,de quo Tacitus lib.6. cap. 1. *Inſigne uiſum eſt earum Cæſaris litterarum initium, nam his uerbis exorſus eſt*. Quid ſcribam uos P.C. aut quomodo ſcribam, aut quid omnino non ſcribam hoc tempore, Dij me, Deæque peius perdant, quam perire quotidie ſentio, ſi ſcio. *Adeo facinora atque flagitia ſua, ipſi quoque in ſupplicium uerterãt. Neque fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt*. ſi recludantur Tyrannorum mentes, poſſe aſpici laniatus & ictus, quando vt corpora verberibus, ita ſæuitia,libidine, malis conſultis,animus dilaceratur. *Quippe Tiberium non fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris, ſuaſque ipſe pœnas fateretur*. Rectè namq; ille Deo falſus eſt, qui dixit: Iuſſiſti Domine, & ſic eſt, vt pœna ſit ſibi omnis inordinatus animus. *Æra* autẽ *iuuenci Siculi* hic poſita ſunt periphraſticè,pro tauro ex ære conſtructo. Peryllus enim Athenienſis, egregius faber ærarius, quum audiſſet Phalaridem Agrigentinorum Tyrannum, miſerorum, quos necari iubebat, cruciatibus oblectari: taurum ex ęre tali arte fabrefecit, vt quum homines eo incluſi, ſubiecto torrebantur igne, quicumque gemitus ab eis emiſſus, bouis mugitus eſſe videretur. Sic Paulus Oroſius lib. 1. cap. 20. [ Ea tempeſtate Phalaris Siculus, Agrigentinos, arrepta tyrannida, depopulabatur. Qui crudelis mente,com mentis crudelior,omnia nefarie in innocentes agens, inuenit aliquando quem iuſtè puniret iniuſtus. Nam Perillus quidam æris opifex, aſſe-

affectans Tyranni amicitiam, aptum munus crudelitati illius ratus, taurum æneum fecit, cui fabre ianuam e latere compoſuit, quæ ad cõtrudendos damnatos receptui foret, vt quũ incluſus ibidem, ſubiectis ignibus torreretur, ſonum vocis extortæ, capacitas concaui æris augeret, pulſuque ferali competens imagini murmur emitteret, nefarioque ſpectaculo, mugitus pecudis, non gemitus videretur. Sed Phalaris factum amplexus, factorem execratus, & vltioni materiam præbuit, & crudelitati, nam ipſum opificem ſua inuentione puniuit.] Sic Plinius lib. 34. cap. 8. Perillum nemo laudat, ſæuiorem Phalaride Tyranno, cui taurum fecit, mugitus hominis pollicitus igne ſubdito. & primus eum expertus eſt cruciatum, iuſtiore ſæuitia. In hoc à ſimulachris Deum, hominumque deuocauerat humaniſſimam artem Ideone tot conditores eius elaborauerant, vt ex ea tormenta fierent? Itaq; vna de cauſa ſeruantur opera eius, vt quiſquis illa videat, oderit manus.] Hoc ergo pœnale inſtrumentum, quum Perillus Phalari contuliſſet, eiuſque vſum verbis expoſuiſſet, volupe Tyranno fuit inuentum, ſuo ſæuiſſimo genio proportionatum, ideoque condignum inuentori premiũ ſolui iuſſit, conſimile ei quod Buſiris Thraſio, ſiue Tharaſio dedit, de quo Ouid. 2. de arte:

*Dicitur Ægyptus caruiſſe iuuantibus arua*
*Imbribus, atque annos ſicca fuiſſe nouem.*
*Quum Thraſius Buſirin adit, monſtratq; piari*
*Hoſpitis effuſo ſanguine poſſe Iouem.*
*Illi Buſiris: Fies Iouis hoſtia primus*

*Inquit, & Ægrotum in dubio bibiſſe aquam.*
Sic Phalaris Perillum ſuo experimento probare voluit, num vera forent, quæ promiſerat de hominum necandorum ad boum inſtar mugitu, atque iuſſit illum æneo illi tauro incluſum, ſub eo igne torreri. De quo Ouid. 1. de arte:

*Et Phalaris tauro, violenti membra Perilli*
*Torruit infelix imbuit autor opus.*
*Iuſtus uterque fuit, neque enim lex æquior ulla eſt,*
*Quam necis artifices, arte perire ſua.*

Et in Ibin ait:

*Ære Perillæo veros imitere iuvencos*
*Ad formam tauri conueniente ſono,*
*Vtque ferox Phalaris lingua prius ille reſecta*
*More bouis, Paphio clauſus in ære gemas.*

Et 5. Triſt. eleg. 1.

*Ipſe Perillæo Phalaris permiſit in ære*
*Edere mugitus, & bouis ore queri.*

Æra ergo iuuenci à quibus hæc intelliguntur, quæ Agrigenti Siciliæ vrbe, primumque in hunc vſum venere, vt homines gementes boum mugitum edere viderentur, quum æneo illo tauro clauſi torrerentur. Gemere enim eſt vocem emittere, ſignificantem animi anguſtiam: & homines clauſi æneo illo tauro, vocem quamcumque emittentes, boum repreſentabant mugitum.

ET *magis auratis pendens laquearibus enſis, &c.* Tangit his verbis Damoclis, ſiue Democlis adulatoris Dionyſij cruciatum. Quum enim Damocles Dionyſium beatum prædicaret, recenſens illius immenſas copias, opes

[illegible]

ineſtimabiles, Regni Syracuſani maieſtatem, regiarum ædium magnificentiam, rerum denique omnium abundantiam, indeque concluderet, nunquam aliquem fuiſſe beatiorem. Ad hæc Tyrannus. Viſne, o Damocles, hanc deguſtare vitam, & meam experiri felicitatē? illoque cupide annuente, iuſſit hominem aureo in lecto recumbere, pulcherrime ſtrato, textili ſtragulo, magnificiſque operibus picto: abacos quamplurimos, auro, argentoque cęlato ornatos. Tum ad menſam conſiſtere delectos egregia forma pueros, eoſque ad nutum recumbentis miniſtrare. Aderant tibicines, & omne genus muſicorum, vnguenta, coronæ, odores, menſæ denique exquiſitiſſimis inſtructę epulis. Inter hęc beatus ſibi Damocles videbatur, quum repente fulgentem gladium e lacunari, equina ſuſpenſum ſeta, imminentem ſuis ceruicibus videt. Itaq; nec formoſos aſpiciebat miniſtros nec arte argentum cęlatum, nec ad menſam manus amplius porrigebat, ipſiſque defluebant coronæ, ideoque Tyrannum rogauit, vt quoniam ſic beatus eſſe nollet, ſibi abire liceret. Et tunc Dionyſius illi expoſuit, in eodem, immo, multo maiori periculo, momento quolibet, Tyrannos verſari, quorum vitæ, ſubditi, & omnes libertatis ſtudioſi, merito inſidiari credantur, & propterea nullam de rebus, alioquin delectabilibus, capere poterant voluptatem. Vnde Damocles, palinodiam deinceps canens, affirmabat infelicem, miſerrimamq; Tyrannorum eſſe conditionem.

*LAQVEAR*, ſiue laqueare eſt ſuperior cu-

biculi, ſiue cœnaculi pars, dicta etiam lacu-
nar, quia tignorum, ſiue trabium interualla,
quandam laci ſpeciem præſeferunt. De qua
parte Horat. lib.2.carm. ode 18.

*Non ebur, neque aureum,*
*Mea renidet in domo lacunar.*

Et hæc laquearia ad conuiuarum, ſiue ad-
ſtantium oblectamentum, nedum exornari ſo-
lebant figuris, atque ſculpturis, ſed &, cum
tignis intercurrentibus in diuitum domibus,
deaurari. Hinc merito dictum hic fuit, enſem
pendere ex auratis laquearibus Tyranni Sy-
racuſani.

PENDERE aliquando eſt angi, vel crucia-
ri. Sic Cicero 1. Tuſcul. *Nunc quidem cogita-
tionibus molliſſimis effeminamur, vt, ſi ante
mors aduenerit, quam Chaldæorum promiſſa con-
ſecuti ſumus, ſpoliati magnis quibuſdam bonis,
illuſi deſtitutiq; videamur. Quod ſi expectando,
deſiderandoque pendemus animis, cruciamur, an-
gimur.* Nonnumquam eſt rei vnius deſiderio,
ab omni alia appetenda ceſſare. Sic Ouidius
epiſt. 1.

*Mirantur iuſtique ſenes, trepidæque puellæ,*
*Narrantis, coniux pendet ab ore viri.*

Sæpe eſt pondus efficere. Sic Plinius l.2 c 34.
*Drachma Attica (ferè enim Attica obſeruatione
Medici vtuntur) denarij argentei habet pon-
dus: eademque ſex obolos pondere efficit: obulus
decem chalcos. Cyathus pendet per ſe drachmas
decem. Quum acetabuli menſura dicitur, ſignifi-
cat heminæ quartam partem, ideſt drachmas
quindecim. Mna, quam noſtri minam vocant,
pendet drachmas Atticas centum.* M[illegible] mi cc

ſcu-

pendere dicti ſunt rei, quorum nomina publicè in tabula erant ſuſpenſa. Sic Sueton. in Domitiano cap. 6. *Res, qui ante quinquennium proximum, apud ærarium pependiſſent, vniuerſos diſcrimine liberauit.* Sunt & aliæ huius verbi ſignificationes, ſed propriè eſt eſſe ſuſpenſum, & in ſublime libratum, quodammodo inter cœlum, & terram, vt alis libratur auis, & poma ab arboribus pericarpio. Sic Virgilius Ecloga 4. verſu 28.

*Molli paulatim flaueſcet campus ariſta,*
*Incultiſq; rubens pendebit ſentibus vua.*

Et ſic nunc accipitur, quum ſit ſermo de gladio, per capulum, equina ſeta, vel tenui filo ſuſpenſo, cuſpide deorſum verſa in caput recumbentis Damoclis.

*PVRPVREAS ſubter ceruices terruit.* Ceruices in numero multitudinis dicebant antiqui, primuſque Hortenſius, Quintiliano teſte, in ſingulari, ceruicem nominauit. Eſt autem ceruix poſterior colli pars, ab occipitio incipiens, ad dorſi vſque ſpinam protenſa. Ouid. lib. 1. de arte:

*Sed tamen & tauri ceruix oneratur aratro.*

Et Cato de R.R. cap. 157. *Si caput, aut ceruices dolent, eas loteo caldo lauito, deſinent dolere.* Ceruices autem commoditas ea maxima eſt, vt eius vſu poſſit animal verti, & reſpicere ad dextram vel ſiniſtram, antrorſum, retrorſum, & in quodcumque latus, conſtat enim oſſibus orbicularim vertebratis, indeque ad circumſpiciendum eſt habilis. Hinc qui nec flecti, aut ſuaderi, nec cogi poſſunt, duræ dicuntur ceruicis; & hominem inexorabilem, indomabilem,

lem, & contumaciam, ceruicoſam appellamus, à ceruicis. Propriè ergo ceruix à capite eſt diuerſa, licet nonnunquam pro capite ponatur. At hic vtroque modo accipi poteſt: gladius enim ceruicibus imminens, Damoclis capiti videbatur inſidiari. Sed quum ceruices denominentur purpureæ, non puto interpretandas de capite, flauos habente capillos, ſed propriè de dorſo, & poſteriore colli parte, quæ, Dionyſij iuſſu, purpura, vel regia clamyde fuerat decorata, vt Damocles, veſte quoque Regis indueret perſonam. Poteſt etiam ceruix per ſynecdochen partis pro toto, intelligi pro ipſo Damocle regie veſtito, purpuraque ornatum.

*TERRERE* eſt metum, formidinem, vel pauorem incutere. Sic Virgilius lib. 8. Æneid. v. 349

*Iam tum relligio pauidos terrebat agreſtes*
*Dira loci, iam tum ſiluam ſaxumq; tremebāt.*

Sic Cæſar 3. de bello Ciuili: *Vt ad mare noſtræ cohortes nonæ legionis excubuerant, acceſſere ſubito prima luce Pompeiani exercitus, nouuſque eorum aduentus extitit, ſimulque nauibus circumuecti milites, in interiorem vallum tela iaciebant, foſſæque aggere complebantur. & legionarios interioris munitionis defenſores, ſcalis admotis, tormentiſque cuiuſque generis, teliſque terrebant.* Differt autem terror à metu, iuxta Feſtum, quod terror alijs inferatur, vnde terribilis eſt, quem alij metuunt: metus vero eſt, quem habent timentes.

*IAM, iam.* Schema dictum Epizeuxis, quo in eadem periodo, idem abſque interpoſitione replicatur verbum, & vt diximus Inſtit. Orat.

Orat. lib. 3 Tract. 3. cap. 2. deſeruit ad exprimendam orationis, & affectus vehementiam. Sentit enim non eſſe tormenta maiora his, quę dat animus ſibimet, quum eſt ſcelerum ſibi conſcius. Sic Ambroſius in prophetam Michæam obſeruatione 1. ad Horontianum: *Nullus maior eſt dolor, quam is, qui peccati mucrone vulnerat conſcientiam: neque vllum grauius eſt onus, quam peccatorum ſarcina, & pondus flagitiorum: deprimit animam, curuat vſq; ad terram, ne ſe erigi poſſit. Grauia fili, grauia nimis delictorum pondera.* Et eo grauiora, quo quis ea propalare non audet. Sic Ouid. 5. Triſt. eleg. 1.

*Strangulat incluſus dolor, atque æſtuat intus*
*Cogitur, & vires multiplicare ſuas.*

Et talis deſcribitur iſte, adeo pauens à ſuis internis ſceleribus, vt ea nec vxori proximè cubanti, auderet manifeſtare. Quum autem peccata talia ſunt, vt eorum ſibi conſcius, ea alteri non audeat dicere, ei ſimilis, de quo Iuuen. ſat. 8. verſu 50.

*cui feruens*
*Æſtuat occultis animus, ſemperq; tacendis,*
grauiſſimum, & importabile ſuſtinet crucia-tum. Ex quo maximas debemus gratias Redemptori, qui, vt huic medelam malo adferret, confeſſionem inſtituit auricularem, quam fieri præcepit, tanta cum fide ſecreti, vt non ſit poteſtas ſuper terram, valens imperare eorum delictorum propalationem, quæ quis homini, vice Dei, manifeſtauit. In quo etiam ſacramento, quid bet, quorumuis immanium ſcelerum co... it ... dummodo ex corde

ſi-

*Tam ſubito coruus qui modo cycnus eras.*

Sic Ouid 1. de Arte.

*Conſule de gemmis, de tincta murice lana*
*Conſule de facie, corporibuſque diem.*

At pro immergere Virg. 1 Æ. 1. verſ 749.

*Quid tantum Oceano properent ſe tingere Soles*
*Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.*

Sed frequentius ponitur pro inficere colore, vel ſanguine. Sic Virg. 3. Georg. verſu 490.

*Inde neq; impoſitis ardent altaria fibris,*
*Nec reſponſa poteſt conſultus reddere vates,*
*Ac vix ſuppoſiti tinguntur ſanguine cultri,*
*Summaque ieiuna ſanie infuſcatur arena.*

Et Ouid. 2. Triſt.

*Tingeres vt ferrum natorum ſanguine mater.*

Et idem Ouid 4. Triſt. eleg 2.

*Candidaq; adducta collum percuſſa ſecuri*
*Victima purpureo ſanguine tinget humum.*

Verum hic rubido dicitur metaphorice tincta, quia affecta eſt calore excitato ab ira, vel cõcupiſcentia, quo etiam coloratur, vt hic interueniat metonymia effectus, dum color à paſſione in cutem inductus, ipſi tribuitur paſſioni, & conſequenter eſt hic etiam metalepſis, ſiue gradatio.

*VENENVM* dicimus, quod Græci φάρμακον appellant. Et quum pharmacum dicatur tam noxium, quam ſalutiferum, etiam venenum rem mediam importat. Sic Gellius l. 12. cap. 9. ait [ Eſt plurifariam videre, atque animaduertere in veteribus ſcriptis, pleraque vocabula, quæ nunc ſermonibus vulgi, vnam certamque rem demonſtrant, ita fuiſſe media, & communia, vt ſignificare, & capere poſſent

duas

duas inter ſeſe res contrarias: ex quibus quędam ſatis nota ſunt, vt tempeſtas, valetudo, facinus, dolus, gratia, induſtria. Hæc enim ferè iam vulgatum eſt eſſe ancipitia, & vtroq; verſus dici poſſe. Periculum etiam, & venenum, & contagium, non, vti nunc dicuntur, pro malis tantum dicta eſſe, multum exemplorum eiuſmodi reperias. ] Caius etiam de verbor. ſignific. inquit. Qui venenum dicit, adijcere debet, vtrum bonum, vel malum intelligat. Sic Plautus venenum pro bono accepit: Pſeudolo a&u 3. ſcena 2. dicens:

*ſorbitione faciam ego te hodie mea,*
*Item ut Medea Peliam concoxit ſenem,*
*Quem medicamento, & ſuis venenis dicitur*
*Feciſſe rurſus ex ſene adoleſcentulum*
*Ita te ego faciam.*

Sed communiter ſumitur pro re noxia, atque mortifera, & in partem deteriorem. Si. Ouid. 4. Triſt. eleg. 1

*Hoſtis habens arcus, & imbutaque tela veneno*
*Sæuus anhelantis mœnia luſtrat equo.*

Et Cic. Catilinaria 2. *Hi pueri tam lepidi, ac delicati, non ſolum amare, & amari neque cantare, & ſaltare, ſed etiam ſicas vibrare, & ſpargere venena didicerunt, qui niſi exeunt, niſi pereunt, etiam ſi Catilina perierit, ſcitote hoc in Rep. Seminarium Catilinarum futurum.* Sumitur etiam pro colore quo vellera, vel alia inficiuntur. Sic Vi g 2. Georg verſu 465.

*Alba, nec Aſſyrio fucatur lana veneno.*

Et hoc modo noſ c ſumitur [illegible] colore, quo vehemens ira, aut concupiſcentia, mentem inficit, & colorat & maxime os, hue facem, quã

per metonymiam ſubiecti, intelligit nomine paſſionis, in vultu ſeipſam prodentis.

*INTABESCERE* eſt tabo, morbo corporali, vel animi conſumi ægritudine. Idem ſignificaſſet, ſi dixiſſet: Tabeſcant, proprius tamen & ſignificantius dixit: Intabeſcant. Intabeſcere enim eſt interno conſumi languore, quaſi intus tabeſcere: tabeſcere vero eſt modo quocumque deficere, morbo etiam exterius apparēte. Et quum loqueretur de eis, qui interius angebantur, dolebantque quod virtutis, ſapientiæ, & honeſtatis viderent excellentiam, quam reliquiſſent, merito dicere debuit Intabeſcant. Sic Ouid. 2. Metamorph.

*Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto*
*Nuſquam recta acies, liuent rubigine dentes*
*Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno,*
*Riſus abeſt, niſi quem viſi fecere dolores,*
*Nec fruitur ſomno, vigilantibus excita curis.*
*Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo*
*Succeſſus hominum, carpitq; & carpitur vna*
*Suppliciumque ſuum eſt.*

Sic Columella lib. 4. cap. 3. ait: *Res eſt tenera, infirma iniurię maximè impatiens, quæ plerumque nimio labore, & vbertate conſumitur, peritque ſi modum non adhibeas, fœcunditate ſua: quum tamen aliquatenus ſe confirmauit, & veluti iuuenile robur accepit, negligentiam ſuſtinet. Nouella vero, dum adoleſcit, niſi omnia iuſta perceperit, ad vltimam redigitur maciem, & ſic intabeſcit, vt nullis deinceps impenſis recreari poſſit.* Et talis eſt Tyrannorum conditio: quod & Hieron agnouit apud Xenophontem in Tyranno, dicens: [ Aliam Tyrannorum calami-

mi-

mitatem tibi dicam, Simonides: Nouerunt nō minus, quam priuati, probos, ſapientes, & iuſtos viros. Hos, quum diligere debeant, metuunt. Fortes quidem, ne quid audeant libertatis amore: ſapientes, ne quid machinentur: iuſtos vero, ne multitudo cupiat ab illis gubernari. Quos poſtquam ob metum, clam ſuſtulerunt, quinam fiunt illis reliqui, quibus ūtantur, niſi vel iniuſti, vel intemperantes, vel ſeruiles? iniuſti quidem habentur, quoniā metuunt, quemadmodum, & Tyranni, ne quando ciuitates libertati redditæ, ipſos opprimant. Intemperantes, ob præſentem, & temporariam potentiam. Porro, qui ſeruili ſunt ingenio, ob id, quod ipſi ne cupiunt quidem eſſe liberi. Quapropter mihi quidem videtur, & hæc eſſe magna calamitas, quum alios ducamus bonos viros, cogi vt alijs vtamur. Accedit his, quod Tyrannum quoque neceſſe eſt eſſe Ciuitatis ſtudioſum, ſiquidem abſque Rep. nec incolumis eſſe poſſit, nec felix. Contra Tyrannis ipſa compellit, vt propriam criminentur patriam. Neque enim fortes, neque bellaces ciues, ſibi parare gaudent, ſed gaudent potius, hoſpites, ac peregrinos, ciuibus potentiores reddere, atque horum adhibent ſatellitium. ] Et ita nunc, de Tyrannis loquens, ait, illos intabeſcere, vel inuidia felicium ob virtutem, & ſapientiam, qua ipſi carent, vel ira, & cupiditate.

*ANNE magis Siculi gemuerunt æra iuuenci, et magis auratis pendens laquearibus enſis Purpureas ſubter ceruices terruit, imus, imus præcipites quam ſi ſibi dicat, & intus palleat inſelix,*

*lix, quod proxima neſciat uxor?* Ordo eſt: Anne æra iuuenci Siculi gemuerunt magis, & enſis pendens auratis laquearibus terruit magis ceruices purpureas ſubter (poſitas) quam ſi (quis) ſibi dicat: imus, imus præcipites, & infelix palleat intus, quod vxor proxima neſciat. Senſus eſt. Nullum eſſe tormentum maius eo, quo affliguntur improbi, qui poſt cognitam virtutis præſtantiam, ab eius poſſeſſione ſe ſiuerunt abduci. Nihil enim miſerius animo hominis facinoris ſui conſcio, nam ipſa conſcientia erinnarum loco ipſum lancinat, & torquet, vt rectè ait Petronius in ſuo Satyrico: *Dij, Deæque, quam malè eſt extra legẽ viuentibus! quidquid meruerunt, ſemper expectant.* Adſtipulatur Boœtius de Conſol. philoſ. lib. 3. car. 8.

*Quid dignum ſtolidis mentibus imprecer?*
*Opes, honores ambiant,*
*Et quum falſa, graui mole parauerint*
*Tum vera cognoſcant bona.*

Quum enim Deus, naturæ autor, hominibus virtutum amorem, vitiorumq; indiderit odiũ, quantumuis, poſt originale peccatum, tam amor ille, quam iſtud odium deferbuerint, adeo vt Geneſeos 4. dicatur: *Senſus & cogitatio humani cordis, in malum prona ſunt ab adoleſcentia,* numquam tamen vitium à quoquam probari potuit, nec quiſquam ſciens, & volẽs ſcelera eſt amplexus, niſi fortè pauci, ſimiles Medeæ illi, quæ ait apud Ouid. 7. Metam.

*video meliora proboque*
*Deteriora ſequor:*

aut ſimiles Hieroni dicenti, apud Xenophontem

tem in Tyranno *Iſto nomine miſerrima eſt Tyrannis, quod ab ea non licet diſcedere. Quomodo enim quiſquam Tyrannus vmquam ſufficeris ad pecuniam rependendam ijs, quos ſpoliauit? aut quomodo vincula repenſet his, quos detruſit in vincula? aut quomodo reſtituet tot animas extinctas his, quos occidit? ſed ſi cuiquam alteri, ò Simonides, expedit laqueo finire uitam, ſcito, inquit, me cōpertum habere, vt id faciat nulli magis expedire, quam Tyranno: quandoquidem huic uni mala nec retinere, nec deponere expedit.* Quod tamen ex puſillanimitate, aut diffidia potius, quam ex propoſito accidit, aut electione. Et hæc ignauia multos peſſumdedit, eos ſcilicet, qui deterrentur laboribus, felicitatem præcedentibus: nam dexter virtutis callis, initio quidem arduus eſt, & ſalebroſus, & quum *arcta ſit uia, quę ducit ad vitam*, vt dicitur Matthæi 7, pleríque puſillanimes effecti illius aſperitate, ab eius deficiunt proſecutione, ad vitiorum lata, & plana flectentes. Qui ſi cognouiſſent, quam ingens ſit malum à virtutis, iam cognitæ, ſemita declinare, & quam ſit difficilè ad eam iterum redire, iuxta illud Apoſtoli ad Hebræos 6. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum Cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, guſtauerunt nihilominus bonū Dei verbum, virtuteſque ſeculi uenturi, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam*, totis conarentur viribus proſequi iter virtutis arreptum, quantumcumque videretur arduū: alioquin infortunium non euadent, nedum in futuro ſeculo, verum etiam in præſenti, vt ab

eo ſe tota Imperij vaſtiſſima potentia ſubtrahere nequiuit Tiberius, de quo Tacitus lib. 6. cap. 1. *Inſigne viſum eſt earum Cæſaris litterarum initium, nam his verbis exorſus eſt. Quid* ſcribam vobis P.C. aut quomodo ſcribam, aut quid omnino non ſcribam hoc tempore, Dij me, Deæque peius perdant, quam perire quotidie ſentio, ſi ſcio. *Adeo facinora atque flagitia ſua, ipſi quoque in ſupplicium verterãt. Neque fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt*, ſi recludantur Tyrannorum mentes, poſſe aſpici laniatus & ictus, quando vt corpora verberibus, ita ſæuitia, libidine, malis conſultis, animus dilaceratur. *Quippe Tiberium non fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris, ſuaſque ipſe pœnas fateretur.* Rectè namq; ille Deo faſſus eſt, qui dixit: Iuſſiſti Domine, & ſic eſt, vt pœna ſit ſibi omnis inordinatus animus. *Æra* autẽ *ſæuientis Siculi* hic poſita ſunt periphraſticè, pro tauro ex ære conſtructo. Peryllus enim Athenienſis, egregius faber ærarius, quum audiſſet Phalaridem Agrigentinorum Tyrannum, miſerorum, quos necari iubebat, cruciatibus oblectari: taurum ex ęre tali arte fabrefecit, vt quum homines eo incluſi, ſubiecto torrebantur igne, quicumque gemitus ab eis emiſſus, bouis mugitus eſſe videretur. Sic Paulus Oroſius lib. 1. cap. 20. [ Ea tempeſtate Phalaris Siculus, Agrigentinos, arrepta tyrannida, depopulabatur. Qui crudelis mente, com mentis crudelior, omnia nefariè in innocentes agens, inuenit aliquando quem iuſtè puniret iniuſtus. Nam Perillus quidam æris opifex, aſſe-

affectans Tyranni amicitiam, aptum munus crudelitati illius ratus, taurum æneum fecit, cui fabre ianuam è latere compoſuit, quæ ad cõtrudendos damnatos receptui foret, vt quũ incluſus ibidem, ſubiectis ignibus torreretur, ſonum vocis extortæ, capacitas concaui æris augeret, pulſuque ferali competens imagini murmur emitteret, nefarioque ſpectaculo, mugitus pecudis, non gemitus videretur. Sed Phalaris factum amplexus, factorem excera-tus, & vltioni materiam præbuit, & crudelitati, nam ipſum opificem ſua inuentione puniuit.] Sic Plinius lib. 34. cap. 8. Perillum nemo laudat, ſæuiorem Phalaride Tyranno, cui taurum fecit, mugitus hominis pollicitus igne ſubdito & primus eum expertus eſt cruciatum, iuſtiore ſæuitia. In hoc à ſimulachris Deum, hominumque deuocauerat humaniſſimam artem Ideone tot conditores eius elaborauerant, vt ex ea tormenta fierent? Itaq; vna de cauſa ſeruantur opera eius, vt quiſquis illa videat, oderit manus.] Hoc ergo pœnale inſtrumentum, quum Perillus Phalari contuliſſet, eiuſque vſum verbis expoſuiſſet, volupe Tyranno fuit inuentum, ſuo ſæuiſſimo genio proportionatum, ideoque condignum inuentori premiũ ſolui iuſſit, conſimile ei quod Buſiris Thraſio, ſiue Tharaſio dedit, de quo Ouid. 2. de arte:

*Dicitur Aegyptus caruiſſe iuuantibus arua*
*Imbribus, atque annos ſicca fuiſſe nouem.*
*Quum Thraſius Buſirin adit, monſtratq; piari*
*Hoſpitis effuſo ſanguine poſſe Iouem.*
*Illi Buſiris: Fies Iouis hoſtia primus*

*Inquit, & Ægypto tu dabis hoſpes aquas.*

Sic Phalaris Perillum ſuo experimento probare voluit, num vera forent, quæ promittebat de hominum necandorum ad bouis inſtar mugitu, itaque iuſsit illum æneo illi tauro incluſum, ſubiecto igne torreri. De quo Ouid. 1. de arte:

*Et Phalaris tauro, uiolenti membra Perilli*
*Torruit infælix imbuit autor opus.*
*Iuſtus uterq; fuit, neque enim lex æquior ulla eſt,*
*Quam necis artifices, arte perire ſua.*

Et in Ibin ait:

*Ære Perillæo ueros imitere iuuencos*
*Ad formam tauri conueniente ſono,*
*Utq; ferox Phalaris, lingua prius enſe reſecta*
*More bouis Paphio clauſus in ære gemas.*

Et 5. Triſt. ele. 1.

*Ipſe Perillæo Phalaris permiſit in ære*
*Edere mugitus, & bouis ore queri.*

Æra ergo inuenta a qua hæc intelliguntur, quæ Agrigenti Siciliæ vrbe, primum in hunc vſum venere, vt homines gementes bouum mugitum edere viderentur, quum æneo illo tauro clauſi torrerentur. Gemere enim eſt vocem emittere, ſignificantem animi anguſtiam: & homines clauſi æneo illo tauro, vocem quamcumque emittentes, bouis repreſentabant mugitum.

*Et magis auratis pendens laquearibus enſis,* &c. Tangit his verbis Damoclis, ſiue Democlis adulatoris Dionyſij cruciatum. Quum enim Damocles Dionyſium beatum prædicaret, enumerans illius magnificas copias, opes

ac ra-

ineſt mirabiles, Regni Syracuſani maieſtatem, regiarum ædium magnificentiam, rerum denique omnium abundantiam, indeque concluderet, nunquam aliquem eo fuiſſe beatiorem. Ad hæc Tyrannus. Viſne, o Damocles, hanc deguſtare vitam, & meam experiri felicitatē? illoque cupide annuente, iuſſit hominem aureo in lecto recumbere, pulcherrime ſtrato, textili ſtragulo, magnificiſque operibus picto: abacos quamplurimos, auro, argentoque cęlato ornatos. Tum ad menſam conſiſtere delectos egregia forma pueros, eoſque ad nutum recumbentis miniſtrare. Aderant tibicines, & omne genus muſicorum, vnguenta, coronæ, odores, menſæ denique exquiſitiſſimis inſtructę epulis. Inter hęc beatus ſibi Damocles videbatur, quum repente fulgentem gladium e lacunari, equina ſuſpenſum ſeta, imminentem ſuis ceruicibus videt. Itaq; nec formoſos aſpiciebat miniſtros, nec arte argentum cęlatum, nec ad menſam manus amplius porrigebat, ipſique defluebant coronæ, ideoque Tyrannum rogauit, vt quoniam ſic beatus eſſe nollet, ſibi abire liceret. Et tunc Dionyſius illi expoſuit, in eodem, immo, multo maiori periculo, momento quolibet, Tyrannos verſari, quorum vitæ, ſubditi, & omnes libertatis ſtudioſi, merito inſidiari credantur, & propterea nullam de rebus, alioqui delectabilibus, capere poterant voluptatem. Vnde Damocles, palinodiam deinceps canens, affirmabat infęlicem, miſerrimamq; Tyrannorum eſſe conditionem.

*LAQVEAR*, ſiue laquear eſt ſuperior cu-

biculi, ſiue cœnaculi pars, dicta etiam lacunar, quia tignorum, ſiue trabium interualla, quandam laci ſpeciem præſeferunt. De qua parte Horat. lib. 2. carm. ode 18.

*Non ebur, neque aureum,*

*Mea renidet in domo lacunar.*

Et hæc laquearia ad conuiuarum, ſiue adſtantium ob ectamentum, nedum exornari ſolebant figuris, atque ſculpturis, ſed &, cum tignis intercurrentibus in diuitum domibus, deaurari. Hinc merito dictum hic fuit, enſem pendere ex auratis laquearibus Tyranni Syracuſani.

PENDERE aliquando eſt angi, vel cruciari. Sic Cicero 1. Tuſcul. *Nunc quidem cogitationibus molliſſimis effœminamur, vt, ſi ante mors aduenerit, quam Chaldæorum promiſſa conſecuti ſumus, ſpoliati magnis quibuſdam bonis, illuſi deſtitutiq; videamur. Quod ſi expectando, deſiderandoque pendemus animis, cruciamur, angimur.* Nonnumquam eſt rei vnius deſiderio, ab omni alia appetenda ceſſare. Sic Ouidius epiſt. 1.

*Mirantur iuſtique ſenes, trepidæque puellæ,*

*Narrantis, coniux pendet ab ore viri.*

Sæpe eſt pondus efficere. Sic Plinius l. 2 c. 34. *Drachma Attica (ferè enim Attica obſeruatione Medici vtuntur) denarij argentei habet pondus: eademque ſex obolos pondere efficit: obulus decem chalcos. Cyathus pendet per ſe drachmas decem. Cum acetabuli menſura dicitur, ſignificat heminæ quartam partem, ideſt drachmas quindecim. Mna, quam noſtri minam vocant, pendet drachmas Atticas centum.* M. ſeu. m. ce

pen-

pendere dicti ſunt rei, quorum nomina publicè in tabula erant ſuſpenſa. Sic Sueton. in Domitiano cap. 6. *Reos, qui ante quinquennium proximum, apud ærarium pependiſſent, vniuerſos diſcrimine liberauit.* Sunt & aliæ huius verbi ſignificationes, ſed propriè eſt eſſe ſuſpenſum, & in ſublime libratum, quodammodo inter cœlum, & terram, vt alis libratur auis, & poma ab arboribus pericarpio. Sic Virgilius Ecloga 4. verſu 28.

*Molli paulatim flaueſcet campus ariſta,*
*Incultiſque rubens pendebit ſentibus vua.*

Et ſic nunc accipitur, quum ſit ſermo de gladio, per capulum, equina ſeta, vel tenui filo ſuſpenſo, cuſpide deorſum verſa in caput recumbentis Damoclis.

*PVRPVREAS ſubter ceruices terruit.* Ceruices in numero multitudinis dicebant antiqui, primuſque Hortenſius, Quintiliano teſte, in ſingulari, ceruicem nominauit. Eſt autem ceruix poſterior colli pars, ab occipitio incipiens, ad dorſi vſque ſpinam protenſa. Ouid. lib. 1. de arte:

*Sed tamen & tauri ceruix oneratur aratro.*

Et Cato de R. R. cap. 157. *Si caput, aut ceruices dolent, eas lotio caldo lauito, deſinent dolere.* Ceruicis autem commoditas ea maxima eſt, vt eius vſu poſſit animal verti, & reſpicere ad dextram vel ſiniſtram, antroſum, retrorſum, & in quodcumque latus, conſtat enim oſſibus orbiculatim vertebratis, indeque ad circumſpiciendum eſt habilis. Hinc qui nec flecti, aut ſuaderi, nec cogi poſſunt, duri dicuntur ceruicis; & hominem inexorabilem, indomabilem,

lem, & contu nacen, ceruicuſum appellamus, & du æ ceruicis. Propriè ergo ceruix à capite eſt diuerſa, licet nonnumquam pro capite ponatur. At hic vtroque modo accipi poteſt: gladius enim ceruicibus imminens, Damoclis capiti videbatur inſidiari. Sed quum ceruices denominentur purpureæ, non puto interpretandas de capite, flauos habente capillos, ſed propriè de dorſo, & poſteriore colli parte, quæ, Dionyſij uſu, purpura, vel regia chlamyde fuerat decorata, vt Damocles, veſte quoq; Regis indueret perſonam. Poteſt etiam ceruix per ſenecdochen partis pro toto, intelligi pro ipſo Damocle regie veſtito, purpuraque ornato.

*TERRERE* eſt metum, formidinem, vel pauorem incutere. Sic Virg. lib. 8 Æneid. v. 349

*Iam tunc relligio pauidos terrebat agreſtes*

*Dira loci, iam tunc ſiluam, ſaxumq; tremebāt.*

Sic Cæſar 3. de bello Ciu. l.: *Vt ad mare noſtræ cohortes nonæ legionis excubuerant, acceſſere ſubito prima luce Pompeiani exercitus, nouuſque eorum aduentus extitit, ſimulque nauibus circumuecti milites, in interiorem vallum tela iaciebant, foſſæque aggere complebantur: & legionarij interioris munitionis defenſores, ſcalis admotis, tormentiſque cuiuſque generis, telisque terrebant.* Differt autem terror à metu, iuxta Seruium, quod terror alijs inferatur, vnde terribilis eſt, quem alij metuunt: metus vero eſt, quem habent timentes.

*IAM, iam.* Schema dictum Epizeuxis, quo in eadem periodo, idem abſque interpolatione replicatur verbum, & vt diximus Inſtit.

Orat.

Orat. lib. 3. Tract. 3. cap. 2. deſeruit ad exprimendam orationis, & affectus vehementiam. Sentit enim non eſſe tormenta maiora his, quę dat animus ſibimet, quum eſt ſcelerum ſibi conſcius. Sic Ambroſius in prophetam Michæam obſeruatione 1. ad Horontianum: *Nullus maior eſt dolor, quam is, qui peccatis microne vulnerat conſcientiam: neque vllum grauius eſt onus, quam peccatorum ſarcina, & pondus flagitiorum deprimit animam, curuat vſq; ad terram, ne ſe erigi poſſit. Grauia ſilt, grauia nimis delictorum pondera* Et eo grauiora, quo quis a propalare non audet. Sic Ouid. 5. Triſt. eleg. 1.

*Strangulat incluſus dolor, atque æſtuat intus*
*Cogitur, & vires multiplicare ſuas.*

Et talis deſcribitur iſte, adeo pauens à ſuis interius ſceleribus, vt ea nec vxori proximè cubanti, auderet manifeſtare. Quum autem peccata talia ſunt, vt eorum ſibi conſcius, ea alteri non audeat dicere, ei ſimilis, de quo Iuuen. ſat. 8. verſu 50.

*cui feruens*
*AEſtuat occultis animus ſemperq; tacendis,*

grauiſſimum, & importabile ſuſtinet cruciatum. Ex quo maximas debemus gratias Redemptori, qui, vt huic medelam malo adferret, confeſſionem inſtituit auricularem, quam fieri præcepit, tanta cum fide ſecreti, vt non ſit poteſtas ſuper terram, valens imperare eorum delictorum propalationem, quæ quis homini, vice Dei, manifeſtauit. In quo etiam ſacramento, quilibet, quorumuis immanium flagitiorum confeſſus, dummodo ex corde

ſe-

pœniteat, nedum eorum emendationem, ſed & ſolamen, fideleque conſilium, vt à Deo, poteſt inuenire.

*PRÆCEPS* incrementum habet duarum ſyllabarum, vt anceps, biceps, & alia à capite compoſita. Ille autem dicitur præceps, qui è loco editiore deturbatus, in caput decidit, vt in vertiginoſis. Sed quandoque ſumitur pro loco prærupto, vnde quis facilè poteſt deturbari. Sic Virgil. lib. 2. Æneid. verſ. 460.

*Turrim in præcipiti ſtantē, ſummiſq; ſub aſtra*
*Eductam tectis.*

Verum hic, præcipitem ire, eſt vel feſtinare, vt apud Virg. 2 Æn. verſu 515.

*Hic Hecuba, & natæ nequicquā altaria circū*
*Præcipites, &c.*

Vel is dicitur præceps, qui per prærupta, aut ſe deuoluit, aut tendit ad lapſum, & deuolutionem. Sic Virg. ecl. 8. verſu 58.

*Omnia vel medium fiant mare, viuite ſyluæ.*
*Præceps aerij ſpecula de montis in vndas*
*Deferar, extremū hoc munus morientis habeto.*

Et ita nunc queritur ſe quaſi in locum lubricum præruptumque redactum, vnde ineuitabile ſit ei præcipitium, & quidem feſtinanter.

*ET intus palleas.* Pallor eſt in cuti exteriore liueſcente, eo quod ſanguis ad interiora ſe recepit. Si ergo eſt cutis exterioris, quomodo dici potuit *Intus palleas?* pallor enim eſt vna ex colorum ſpeciebus, quorum diſcretio, ſeu iudicium ad oculum, & ſenſum pertinet exteriorem: qui ergo videri potuit pallor internus? ſed per metonymiam effectus pro cauſa, palleat dixit, pro timeat, Sic Iuuen. ſat. 1. verſu 43.

Tal-

*Palleat, vt nudis preſſit qui calcibus anguem,*
*Aut Lugdunenſem rhetor dicturus ad aram.*
& quod Iuuenalis pallorem cutis exterio- poſuit pro timore. Perſius audaciori me- phora inte ni meminit palloris, quem fortè ... Horatius dicens lib. 1. epiſt. 7.
*Dum pueris omnis pater, & matercula pallet.*
... du n deſcribit Cicero lib. 5. Tuſculanarũ ...ns: *Duo de quadraginta annos Tyrannus Syracuſanorum fuit Dionyſius, cum quinque, & viginti natus annis dominatum occupaſſet. Qua pulchritudine vrbem, quibus autem opibus prædıtam, ſeruitute oppreſſam tenuit ciuitatem? Atqui de hoc homine à bonis autoribus ſic ſcriptum accepimus, ſummam fuiſſe eius in victu temperantiam, in rebuſque gerendis virum acrẽ, & induſtrium, eumdem tamen maleficum natura & iniuſtum. Ex quo omnibus benè veritatem intuentibus uideri neceſſe eſt, miſerrimum: ea enim ipſa, quæ concupierat, ne tum quidem quũ omnia ſe poſſe cenſebat, conſequebatur. Qui cum eſſet bonis parentibus, atque honeſto loco natus (etſi id quidem alius alio modo tradit) abundaretque & æqualiam familiaritatibus, & conſuetudine propinquorum, haberet etiam more Græciæ quoſdam adoleſcentes amore coniunctos, credebat eorum nemini, ſed iis, quos ex familiꝗ locupletum ſeruos delegerat, quibus nomen ſeruitutis ipſe detraxerat, & quibuſdam conuenis, & feris barbaris, corporis cuſtodiam permittebat. Ita propter iniuſtam dominatus cupiditatẽ, in carcerem quodammodo ipſe ſe incluſerat. Quin etiam ne tonſori collum committeret, tondere filias ſuas docuit. Ita ſordido, ancillariq; artificio,*

*regiæ*

## PARAPRHASIS TEXTVS PRIMI SATYRAE TERTIAE.

VNus ex comitibus nobilis cuiuſdam adoleſcẽtis,eiuſq;magiſter,vel pædagogus, irrumpens illius thalamũ Sole iã alto,vidẽſq; illum adhuc profundè dormire, clamat cũ indignatione, quur iſta ſępius fierent, vt dum Solis radij per clauſã ingrederẽtur feneſtrã, & illius tenues dilatarẽt fiſſuras,& dũ iã eſſet hora diei quinta, & ferè meridiana,dormiret tã profundè,vt potuerit quantacumq; concoquiſſe ebrietatem Et ſubdit. Aſpice quid agas quando æſtiuum caniculę ſidus,ex multis iam horis ſegetes vrit, & greges ſub vmbra requieſcunt. His excitatus adoleſcens, feſtinationemque præſeferens, cubicularium aduocat,eoque non adueniente, excandeſcit, clamatque ita,vt aſinorum imitari videretur ruditum. Sic veſtitus comptuſque, compoſitis etiam capillis, inſtrumenta aſſumit ſtudendi, librum,arundinem, & chartam:at quia animo erat à ſtudijs alieno, friuolas nectit excuſationes, & modo lamentatur,atramentum ob craſſitiem calamo non fluere, modo ob aquæ mixtionem inuiſibiles formare characteres: modo calamum pro ſimplici,geminam ſignare lineam. Cui magiſter molliciem obijcit, docens has pueriles eſſe excuſationes. Verum diſcipulus contendit, eſſe impoſſibile talibus inſtrumentis ſe ſtudijs poſſe vacare: Magiſter vero docet ipſius adoleſcentis rem agi, qui niſi eruditioni acquirendæ ſedulã nauet ope-

ram,

ram,omnibus erit cõtemptui: nã vt vas argillaceum ipſo dignoſcitur ſono,integrum, ne ſit an fractum , viride an exſiccatum , ſic adoleſcens tamquam molle lutum, ſigulari rota aſſiduæ diſciplinę,in ipſa pueritia eſt inſtituendus. Monet itaque adoleſcentem ne ſe tradat ignauiæ,neue refugiat addiſcendi laborem, eo quod hæreditarijs affluat diuitijs, neue inſletur titulo antiquę nobilitatis,aut ob potentiam,& dignitatem,etiam ſi talem,vt Triũphali veſte Reip. Principi ſe ſiſtere poſſit:hæc enim fortunæ ornamenta,populum quidem admiratione detinere poſſunt, ſapientem vero non mouent,nec me, inquit hic philoſophus, qui te iam comprehendi nedum ſecundum exteriorem corporis apparentiam , ſed etiam iuxta ea quę in animo latent: An fortè non te decet affici verecundia, quum viuas ad inſtar Nactæ,Nebulonis,nepotis,& flagitioſi?Et tamen hic ipſe Nacta,minus,quam tu peccat:ille namq;intemperans, quum nullam ex inſtitutione, aut eruditione,virtutis, & ſapientiæ habuerit notitiam , vitio carere videtur, neſciens quid perdat, nam profundo demerſus ignorãtię gurgite,nequit ſapientię lucẽ aſpicere.Tu vero virtutis nouiſti honeſtatem, vnde ſi ea relicta,per abrupta incedas vitiorum, ſciẽs & volens delinques , atque adeo vituperabilior eris . O autem Iuppiter,ſummè Deorum pater , ne velis aliter ſæuos punire Tyrannos, quum eos videris feruere ira,cupitate,aut alia paſſione,cui ſuccumbant,quam vt virtutis cernant pulchritudinem , & ita doleant ſe eam reliquiſſe , vt non detur amplius
ad

ad ipſam regreſſus: qualis eſt noticia in æternaliter damnatis. Nec enim maiores dedere gemitus, qui in Phalaridis cruciabantur tauro, nec maiore afficiebatur timore Damocles, quum exaginatum aſpexit gladium, equina ſeta ſuſpenſum, ſuo imminentem capiti, quam ſint gemitus, atque terrores, quos dat animus ſcelerum ſibi conſcius, dum ſe continuè conſpicit in barathrum ruere infelicitatis, & talia in ſua conſcientia cernit ſcelerum mõſtra, vt ea, nequidem vxori proximè cubanti, audeat manifeſtare.

*Finis Commentarij Textus primi Satyræ tertiæ.*

# SVMMARIVM TEXTVS SECVNDI SATYRÆ TERTIÆ.

Monuerat Stoicus philoſophus nobilem adoleſcentẽ ſuæ traditum inſtitutioni, ſtudijs ſedulam nauare operam, futileſq; illius reiecerat excuſationes. Nũc eũdem hortatur, aliorum, & ſuimet exemplo, infantilia deponere oblectamenta, ſerioque virtuti & philoſophicis ſe tradere ſtudijs. Idque eo magis, quo, iam nonnihil in eis profeciſſet, à quibus turpe foret retrocedere, poſtquam veram à falſa diſcernere didicerat felicitatem. Et quia adoleſcens ille adhuc horrere videbatur diſcendi labores, ab eo quęrit, num aliquem finem vltimum ſuarum ſibi præfixerit operationum, an operetur more brutorum, abſque finis præcognitione? nam ſi ita brutaliter viuat, in miſerrimam morũ incidet corruptelam, à qua nulla poterit medicina curari. Hinc generaliter vniuerſos inuitat, vt Stoicæ velint canones addiſcere philoſophiæ, ſi velint eſſe beati, cauereque ab inuidia, qua torquentur ſtulti, cernentes cauſidicos diuitijs abundare, dum ipſi egeſtate premuntur.

# TEXTVS SECVNDVS

## SATYRÆ TERTIÆ.

SÆpe oculos memini, tingebam paruus oliuo ,
Grandia ſi nollem morituri uerba Catonis ·
Diſcere, ab inſano multū laudanda magiſtro,
Quæ pater,adductis ſudans audiret amicis .
Iure etenim id ſūmū quid dexter ſenio ferret
Scire erat in uoto,damnoſa canicula quantum
Raderet,anguſtę collo non fallier orcę,
Neu quis callidior buxum torquere flagello.
Haud tibi inexpertum eſt curuos deprendere mores ,
Quæq; docet ſapiens bracchatis illita Medis
Porticus inſomnis quibus & detonſa iuuētus
Inuigilat,ſiliquis & grandi paſta polenta.
Et tibi quę Samios diduxit littera ramos
Surgentem dextro monſtrauit limite callem .
Stertis adhuc, laxumq; caput,compage ſoluta
Oſcitat heſternum diſſutis undique malis ?
Eſt aliquid quo tēdis,& in quod dirigis arcū?
An paſſim ſequeris coruos teſtaq; lutoque,
Securus quo pes ferat , atq; extempore uiuis?
Helleborū fruſtra,quū iam cutis ęgra tumebit
Poſcentem uideas.uenienti occurrite morbo.
Et quid opus Cratero magnos promittere mōtes

Di-

*Diſciteq; ò miſeri, & cauſas cognoſcite rerum*
*Quid ſumus? aut quid uicturi gignimur? Ordo*
*Quis datus? Aut metę, quam mollis flexus, & undæ?*
*Quis modus argento? Quid fas optare? Quid aſper*
*Vtile nũmus habet? Patrię chariſq; propinquis*
*Quantum elargiri deceat? Quem te Deus eſſe*
*Iuſſit? & humana, qua parte locatus es in re?*
*Diſce, nec inuideas quod multa fidelia putet*
*In locuplete penu, defenſis pinguibus Vmbris,*
*Et piper, & pernæ, Marſi monumẽta clientis,*
*Mænaque quod prima nondum defecerit orca.*

# EXPOSITIO TEXTVS SECVNDI SATYRAE TERTIAE.

Corrumpebatur nobilis adoleſcens exemplis ſuorum æqualium litteras cõtemnentium, ne labores pro earum aſſecutione neceſſarios, vellet ſubire: cuius farinæ erat Nacta ille, de quo ſupra dictum. Hinc Philoſophus, vt eum à tam pernicioſa reuocet perſuaſione, docet, non debere ipſum moueri illorum exẽplo, qui virtutum, ac ſapiẽtię prę-ſtantiam non cognouere, & propterea illarum aſſequendarum deſiderio non tenebantur, neſcientes qualis, & quã pretioſæ rei iacturam faciebant, quum tempus inutiliter terebant. Adoleſcentẽ vero diſcipulũ, iam philoſophiæ candidatum, dedecore ſuam conſpurcaturum famam, à bonarum artium adeptione recedẽdo, intendendoque ludicris. Maximè quum in ætate iam proceſſiſſet. Nam licet in pueris ſit tolerabilis inclinatio ad ludicra, & quędam fuga laboris ſtudendi, pro addiſcendis canonibus Grammaticæ, Rhetoricæ, vel artium aliarum: prouectiori tamen ætati hæc per-

mitti non debent. Idq; philoſophus ſuo confirmat exẽplo, qui adhuc puer, narrat à ſtudijs refugiſſe, vſumq; ſtratagematibus ne ſtudere cogeretur, & vt ſibi ludi permitterentur, quos iam, creſcente ætate, reliquiſſet. Quod & de ſe fatetur Apoſtolus dicens 1. Corinth. 13. *Quum eſſem paruulus, loquebar ut paruulus, cogitabam ut paruulus, ſapiebam ut paruulus; quando autem factus ſum uir, euacuaui, quæ erant paruuli.* Sic philoſophus monet, mitteret ludicra, quum iam emenſus eſſet pueritiam, & toto conatu litteris incumberet, ac virtutibus acquirendis, nec pro eis neceſſarios refugeret labores.

*SAEPE oculos memini tingebam paruus oliuo, grandia ſi nollem morituri uerba Catonis diſcere, ab inſano multum laudanda magiſtro, quæ pater adductis ſudans audiret amicis.* Tangebam oculos, id eſt oleum oculis infundebam: nam licet quamuis tangere proprie ſit ſenſu tactus comprehendere, iuxta Lucretium lib. 1 verſu 303.

*Tangere enim & tangi, niſi corpus nulla poteſt res.*

Transfertur tamen ad alia multa, vt poſſit etiam accipi pro liquoris infuſione. Et his verbis notatur ſtratagema pueritiæ, quo vſum ſe, fatetur philoſophus, ne à patre, vel ludimagiſtro ſtudere cogeretur. Oculos enim oleo tangebat, vt ſic lippitudinem, vel pituitam præſeferrent inflammationem, cui nocet applicatio ad legendum: vt ſic à patre legere prohiberetur. In nonnullis codicibus legimus Tingebam, quod verbum ex eo Caſaubonus expendit, quia, vt ipſe fatetur, tingere oculos,

[illegible]los, eſt linire ciliorum ſuperficiem, quod, [illegible]tius quam viſui efficiat, ipſum acuit, ro[illegible]rat, & confortat. Certè ſi oculos tingere[illegible] ret eorum exteriorem tantum linire ſuper[illegible]iem, cum Caſaubono conſentirem: ſed non [illegible]deo quur interiores oculi partes oleo tangi, [illegible] non tingi poſſint. nec quare exteriores tin[illegible], & non tangi, vnde dico vtraſque tangi, & [illegible]ngi poſſe, & ſicut tacta, vel tincta ciliorum [illegible]perficie, viſus firmatur, & clarior redditur, [illegible] tacta vel tincta parte interiori, ipſe ocu[illegible]s infirmatur, & lippit, ſaltem apparenter. Quapropter vtrouis modo dicas, nihil ad ré: [illegible]etinui tamen verbum Tingebam, quia lectio [illegible]ſt communior.

*PARVVS* opponitur magno, & ſumitur tã adiectiuè, quam ſubſtantiuè. Adiectiuè apta[illegible]tur cuilibet rei modicæ, vnde Plinius ait lib. 11. cap. 37. *Vni animalium homini, oculi deprauantur, vnde cognomina Strabonum, & Pætorum: ab iiſdem, quo alteroo lumine orbi naſcerentur, Coclites vocantur: qui paruis vtriſque, Ocellæ, Luſcini iniuriæ cognomen habuere.* At ſubſtantiuè, & etiam adiectiuè ſumitur pro puero infante, cuius diminutiuum, paruulus, eſt magis in vſu, quam paruus, & ſignificat puerulum, ætatis puerilis. Sic Ouid. 2. Faſt.

*Silua Veſtalis cæleſtia ſemina partu*
*Ediderat, patruo regna tenente ſuo*
*Is iubet auferri paruos, & in amne necari.*

Sic Horatius lib. 2. ſermonum ſat. 6.

*Carpe viam, mihi crede, comes, terreſtria quãdo*
*Mortales animas viuunt ſortita, neq; vlla eſt*
*Aut magno, aut paruo lethi fuga, quo, bone*
*circa* Q 2 *Dum*

*Dum licet in rebus iucundis viue beatus.*
Nunc paruus eſt puer.

*GRANDIA verba.* Verba grandia, quę ſint, & vnde granditatem, ſublimitatem, & magnificentiam habeant, dictum eſt Inſtit. Orat. lib. 3. Tract. 4. cap. 1. & 4. Verum hic ſpecialiter notatur, verba habere granditatem ex pondere, & dignitate ſententiarum, quales putabantur fuiſſe, dicta à Catone morituro. Et hic innuitur modus quidam exercitationis apud Ludimagiſtros in ſcholis rhetoricorum, in quibus, Magiſtro Chriam, ſiue argumẽtum proponente ex fabulis, vel hiſtorijs, diſcipuli circa illam dicebant, quæ viderentur proportionata facto, tempori, & perſonæ, cum figuris, & coloribus aptis. Et primo exercebantur in ſuaſorijs, vt facilioribus, deinde etiam in controuerſijs. Inter argumenta ſuaſoriarum, celebre erat illud Catonis, deliberantis, num ſe Cæſari traderet victori, an ſibi manus inferret; & de eo nunc loquitur. Cato autem iſte, à loco in quo deceſſit, dictus Vticenſis, Romæ natus, ex familia alterius Catonis ſapientis, & Cenſorini, ſecta Stoicus, morum, vt inter Ethnicos, integerrimorum, libertatis Reip. acerrimus propugnator, tanta prædıtus iuſtitiæ opinione, vt Lucanus dixerit lib. 1. verſu 128.

*Victrix cauſa Dŷ placuit, ſed victa Catoni.*

Is quum Pompei partes, cum optimatibus ferè omnibus, aduerſus Cæſarem, Reip. libertatem opprimentem, ſecutus fuiſſet, ſuis, ſemel in Pharſalia, & iterum in Africa victis, ne viuus in Cæſaris manus veniret, poſtquam

Pla-

Platonis librum de animæ immortalitate legiſſet, ferrum in ſua condidit viſcera, apud Vticam Africæ Vrbem. Et quum accurrentes amici,& medici,illius vellent prohibere mortem,ipſe in ſententia conſtans,factum vulnus manibus ſibi iterum aperuit, ſuaque diſſipauit viſcera,& ita demum expirauit. Quod factum, quamuis Senecæ, & quibuſdam alijs Ethnicis viſum fuerit laudabile, nedum tamen apud Chriſtianos, ſed & apud cordatiores Gentiles, vituperabile fuit, vtpotè contra naturæ leges, omittens ſtationis cuſtodiam ab ea ſibi aſſignatam,& fuit ſui-homicida; ſui inquam, hominis nimirum, putati iuſti,& ſapientis, ideoque factum execrabilius, quam ſi inſipientem necaſſet. Nec ille fortitudinis,ſed puſillanimitatis fuit actus, dum manus ſibi intulit,non valens tolerare alterius potentioris dominatum.

*INSANVS* communiter ſumitur pro eo, qui non eſt ſanæ mentis, aut conſilij. Sic Terentius Eunucho Actu 2. ſcena 2.

*Scitum herclè hominem: hic homines prorſum ex ſtultis inſanos facit .*

Et tales videri poſſunt ludimagiſtri, ebrioſi, aut emotæ mentis, & clamoroſi. Sic Gellius lib.18.cap.7.inquit: [ Domitio homini docto, celebrique in Vrbe Roma Grammatico, cui cognomentum, Inſano factum eſt,quoniam erat natura intractabilior,& moroſior. Ei Domitio, Phauorinus noſter, quum fortè apud phanum Carmentis obuiam veniſſet,atque ego cum Phauorino eſſem: Quæſo, inquit, te Magiſter,dicas mihi, num erraui,quod quum

vellem *δημηγορίας* Latinè dicere, Conciones dixi? dubito quippe, & requiro an veterum, eorum, qui electius locuti ſunt, pro verbis, & oratione, dixerit quis Concionem. Tum Domitius, voce atque vultu atrociore: Nulla inquit prorſus bonæ ſalutis ſpes reliqua eſt, quum vos quoque philoſophorum illuſtriſſimi, nihil iam aliud, quam verba, authoritateſque verborum cordi habeatis. Mittam autem librum tibi, in quo id reperias, quod quæris: Ego enim Grammaticus, vitæ iam, atque morum diſciplinas quæro, vos philoſophi mera eſtis, (vt M. Cato ait) mortuaria gloſſaria: nam qui collegiſtis, & lectitaſtis res tetras, & inanes, & friuolas, tamquam mulierum voces præficarum. Atque vtinam inquit muti omnes homines eſſemus, minus improbitas inſtrumenti haberet. Quumque digreſſi eſſemus. Non tempeſtiuè, inquit Phauorinus, hunc hominem acceſſimus, videtur enim mihi *ἐπιμαίνεσθαι*, *furere*, *inſanire*. Scitote inquit tamen intemperiem iſtam, quæ *μελαγχολία* *atrabilis* dicitur, non paruis, nec abiectis ingenijs accidere *ἀλλὰ εἶναι ἐνδεδεγμένον τὸ πάθος τοῦτο ἡρωικόν*, *ſed affectionem hanc heroicam eſſe*, & veritates plerumque fortiter dicere, ſed reſpectum non habere *μήτε καιροῦ*, *μήτε μέτρου*, *neque temporis*, *neq; modi*.] Sic ergo inſani dicuntur ira perciti, furijſque agitati, & tales ſunt multi ludimagiſtri, pueros immodicis clamoribus, verberibuſque territantes. Poſſunt etiam appellari inſani, qui ſunt valdè ſani, & ſapientes, vel eruditi, quum præpoſitio In, intendendi vim ha-

habeat. Sic Virgilius 6. Ænæidos verſ. 808.

*Quis procul ille autem ramis inſignis oliuę*
*Sacra ferens? noſco crines, incanaque menta*
*Regis Romani, primus qui legibus Vrbem*
*Fundabit, Curibus paruis & paupere terra*
*Miſſus in imperium magnum.*

Vbi menta incana, non intelliguntur de barba canitie deſtituta, ſed potius valdè cana, quum Numa octuagenario maior deceſſerit. Sic idem Virgil. 12. Æneid. verſu 1. ait:

*Turnus vt infractos aduerſo Marte Latinos*
*Defeciſſe videt.*

Nam & hic infracti dicuntur valdè fracti, languentes & debilitati pugna aduerſa. Et ita inſanus erit valde ſanus, vt 3. Æneid. v. 441.

*Huc vbi delatus, Cumęam acceſſeris vrbem,*
*Diuinoſque lacus, & Auerna ſonantia ſiluis*
*Inſanam vatem aſpicies, quę rupe ſub ima*
*Fata canit, foliiſq; notas, & nomina mandat.*

Sic etiam inſanum dicimus ſtudium venationis, nauigationis, & rerum aliarum, magnum intelligentes. Verum etſi doctus, ſapiens, & eruditus foret magiſter ille, vituperandus erat, quia præmiorum inductus ſpe, diſcipuli, etiam malam laudabat compoſitionem, ſiue recitationem. Nam ait Petronius in Satyrico: *Minimum in his exercitationibus doctores peccant, qui neceſſe habent cum inſanientibus furere, nam ni dixerint, quæ adoleſcentuli probent, vt ait Cicero, ſoli in ſcholis relinquentur: ſicut ficti adulatores, quum cœnas diuitum captant, nihil prius meditantur, quam id quod putant gratiſſimum auditoribus fore (nec enim aliter impetrabunt, quod petunt, niſi quaſdam inſi-*

*dias auribus ſecerint ) ſic eloquentiæ magiſter, niſi tamquam piſcator, eam impoſueris hamis eſcam, quam ſcieris appetituros eſſe piſciculos, ſine ſpe prædæ moratur in ſcopulo.* Inſanus ergo dictus eſt hic magiſter, quantumuis eruditus, ſi lucri gratia docebat, quum tamen profeſſione Stoicus eſſet, apud quos, præter ſapientem, cæteri omnes ſtulti, & inſani cenſentur. Qui autem ſpe illectus præmiorum, quidquam facit, aut dicit præter animi ſui ſententiam, non eſt ſapiens, quum non ſit liber, vel ſui iuris. & ideo talis inſanus iudicatur, vt hoc etiam modo hunc locum interpretemur.

*QVÆ pater adductis ſudans audiret amicis.* Sudare eſt aquam, ſiue aqueum humorem, per corporis poros eliquatum, effundere. Notatur autem hic parentis ambitio, qui ad audiendum filium declamantem, corrogatos amicos in ſcholam adduxerat. Quem morem innuit, & Statius lib. 5. ſiluarum in Epicedio patris:

*Qualis eras Latios, quoties ego carmine Patres*
*Mulcerem, felixq tui ſpectator adeſſes*
*Muneris? Heu qualia confuſus gaudia fletu*
*Vota, pioſque metus inter lætumque pudorem.*

Potuit autem ſudor iſte naſci ex nimia lętitia, quum audiret filiũ ob cõgruam recitationem laudibus extolli, ſicut ſat. 2. verſu 54. dixit.

*Sudes, & pectore læuo, excutias guttas.*

Potuit etiam oriri ex metu, ne filius recitans, actione, pronunciatione, vel memoriæ lapſu peccaret, & ita pro laude ſperata, vituperationem incurreret. Sed ſatius puto intelligere

ſudo-

ſudorem natum ex labore, paſſo in corrogandis amicis, qui recitantem filium audire debuerant.

*IVRE etenim id ſummum, quid dexter ſenio ferret, ſcire erat in voto, damnoſa canicula quantum raderet, anguſtæ collo non fallier orcæ, neu quis callidior buxum torquere flagello.* Conſtrue ſic: Etenim (tunc in illa puerili ętate) iure id ſummum (erat meorum deſideriorum) ſcire quid ferret (lucri) ſenio dexter: quantũ raderet damnoſa canicula: non falli collo orcę anguſtæ: & ne quis (foret) callidior torquere buxum flagello. Et ſentit rationabiliter tali ſe tunc modo geſſiſſe, quando ſcopum, finemq; vltimum ſuarum operationum, illum ſibi præfixerat, ne quiſpiam foret ſe cautior in quibuſdam puerilibus ludis: ideoque operando conuenienter ad illum finem, litterarum aſpernari debebat ſtudia, quæ ipſum ab illius aſſecutione auocabant. Sed quod ait, *Iure*, non eſt accipiendum quaſi foret aliquod ius ſcriptum, vel non ſcriptũ, lex ſiue ratio præcipiens ſic fieri oportere: ſed *iure* illius ætatis, & conſequẽter ad ſcopum ſibi præfixum. Qui enim vltimum finem in voluptate cõſtituunt, ſi cõſentaneè viuere, & operari velint, ad eam omnes operationes referre debent, eaque cauere, quæ illam impediunt: qui licet voluntate peccent, nõ tamen directione intellectus. Et qui virtutem, atque honeſtatem, bonorum vltimum ſibi proponunt, ad illam in omnibus collimare debent. Et hoc eſt cõmune philoſophorum omnium axioma, iuxta quod dicebat Seneca epiſtola 71. *Conſilium quemadmodum*

*inueniatur oſtendam. Quoties quid fugiendum ſit, aut petendum, voles ſcire, ad ſummum bonum, & propoſitum totius vitæ reſpice: illi enim conſentire debet quidquid agimus. Non diſponet ſingula, niſi cui iã ſumma ſuæ vitæ propoſita eſt.* Et idem Seneca epiſtola 95. *omnia bene fient, ſi honeſto nos addixerimus, idque vnum in rebus humanis bonum iudicauerimus, quæque ex eo ſunt. Ergo infigi debet perſuaſio ad totam pertinens vitam, hæc eſt quam decretum voco: qualis hæc perſuaſio fuerit, talia erunt, quæ agentur, quæ cogitabuntur.* Ex quo fit vt, licet perperã intenderint, qui voluptatem, aut ludos pro ſummo bono, & vltimo fine ſibi propoſuerũt, in eo tamen, quod omnia ad hunc finem dirigebant, conſentaneè procedebant, idq; nunc dicitur *Iure factum*. Contra vero inconſtantiæ, & deſultorietatis, à Cicerone, & alijs, notati fuere Epicurus Metrodorus, & alij eiuſdem ſectæ philoſophi, qui aſſerentes ſummum bonum in voluptate conſiſtere, prædicabant nihilominus, ſapientem etiam in Anacreontis pila, vel in Perilli tauro, eſſe beatum: & perpetienda quæcumque corporis cruciamenta pro tuenda virtute. Sed heu quam ſunt reprehendendi Chriſtianorum nonnulli, qui credentes fide Diuina, iter ad æternam beatitudinem non eſſe aliud, quam arduum ſequelæ Chriſti, & Crucis mortificationis, iuxta illud Matthæi 7. *Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam.* Et illud eiuſdem Matthæi 15 *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam.* Et illud eiuſdem 11. *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti*

ra-

*rapi... illud*, ad inſtar tamen Epicurçorum, ſeſe in ſenſuum voluptatibus volutantes, in delicijs corporum viuentes, fruſtra ſibi felicitatem promittunt.

*SENIO* appellatum eſt quoddam teſſeræ, vel tali latus, in quo deſcripta, vel impreſſa erant ſex puncta, à ſenario ſcilicet punctorum numero nomen habens: quod, quando mittenti, ſiuç ludenti apparebat, fauſtum erat: nam tunc is, iuxta communes ludi leges, quidquid in luſoria mençſa expoſitum erat, lucrabatur, ideoque merito hic dictus eſt dexter, nempe fauorabilis, & luciosus. Poterant tamen ludẽtes aliter inter ſe paciſci, vt videtur factum apud Suetonium in Auguſto dicentem c. 71. *Talis iactatis, ut quiſque canem, aut ſenionem miſerat, in ſingulos talos ſingulos denarios in medium conferebat, quos tollebat uniuerſos, qui Venerem iecerat.* Quæ, verba deprauata reputans Io: Baptiſta Plautius, ſic ea reſtituit: Talis iactatis, vt quiſque canem miſerat, in ſingulos talos, ſingulos denarios conferebat in medium, quos tollebat vniuerſos, qui Venerem iecçrat, aut ſenionem. Eſt autem talus os quadrilaterum, vel laterum ſex, & quidem in vno latere tali quadrilateris, depicta, ſiue inſculpta erant ſex puncta; quod propterea dicebatur Senio. In alio, huic oppoſito, vnum erat punctum, & dicebatur canis, vel canicula. Reliquorum duorum, in vno erant tria puncta, & dicebatur Chius, & qui iſtud iecisſet (niſi aliter conueniſſet) tres lucrabatur denarios. In alio erant puncta quatuor, dicebacebaturque Venus, vel Cous, quod qui iec ſ-

ſet, iuxta communes ludi leges, lucrari debebat quatuor denarios, niſi aliud pactum fuiſſet. At quum talus erat ſex laterum, quatuor eorum nomina ſunt iam recenſita: reliquorum vnum continebat puncta duo, aliud quinque & vnum dicebatur Vulturius, aliud Hercules baſilicus, & hoc erat lucroſum, vt innuitur apud Plaut. Curcul. Actu 2. ſc. 3.

*Poſtquam cænaſi, atque appoti, talos poſcit in manum*
*Prouocat me in aleam: ut ego ludā, pono palliū*
*Ille ſuum anulum oppoſuit, inuocat Planeſiū.*
*Ph. meos (quatuor.*
*Ne amores? C. Tace parumper. iacit Volturios*
*Talos arripio, inuoco almam meam nutricem Herem (ille ebibit,*
*Iacto baſilicum, propino magnum poculum:*
*Caput deponit, quom dormiſcit, ei ſubduco anulum*
*Deduco pedes de lecto clam, ne miles ſentiat.*
*Rogant me ſerui, quo eam, dico ire quo ſaturi ſolent (dedi.*
*Oſtium ubi conſpexi, exinde me illico protinam*

Eiuſdem ludi, & ſenionis meminit Martialis dicens lib. 13 epigr. 1.

*Nec mea magnanimo depugnat teſſera talo,*
*Senio, nec noſtrum cum cane quaſſat ebur.*

*CANICVLA* ſiue canis eſt tali facies, ſenioni oppoſita & denominatur damnoſa, quia iuxta communes ludi leges, quando apparebat, cogebatur iaciens, abſque lucro, denariū exponere, tollendum, cum aliis in menſa repertis ab eo, qui ſenionem, aut Venerem iecisset. Sic Ouidius lib. 2. Triſtium.

Quid

*Quid ualeant tali, quo poſſit plurima iactu*
*Figere, damnoſos effugiaſq; canes.*

Et idem 2. de Arte:

*Seu iacias talos, victam ne pœna ſequatur*
*Damnoſi, facito, ſtent tibi ſæpe canes.*

Et Propert. lib. 4. eleg. 9

*Me quoq; per talos Venerem quærente ſecundos*
*Semper damnoſi ſubſiluere canes.*

Et de hac canicula, ideſt tali facie, radente, ſeu auferente omnia, quæ ludens exponere voluit, nunc loquitur.

*ORCA* in primis eſt quædam marina bellua, ex cetorum genere, balenis infeſta, de qua Plinius lib. 9. cap. 6. ait: [ Balenæ, & in noſtra maria penetrant. In Gaditano Oceano non ante brumam conſpici eas tradunt, condi autem ſtatis temporibus in quodam ſinu placido & capaci, mirè gaudentes ibi parere. Hoc ſcire orcasq̃; infeſtam his belluam, & cuius imago nulla repreſentatione alia exprimi poſſit, quã carnis immenſæ, dentibus truculentæ. Irrumpunt ergo in ſecreta, ac vitulos earum, & fœtas, vel etiam num grauidas, lancinant morſu, incuſſæque ceu liburnicarum roſtris, fodiunt. Illę ad flexum immobiles, ad repugnandum inertes, & pondere ſuo oneratæ, tunc quidem, & vtero graues, pariendiue pœnis inualidæ, ſolum auxilium nouere in altum profugere, & ſe toto defendere Oceano. Contra orcæ occurrere laborant, ſeſeque opponere, & cautium anguſtijs trucidare, in vndas vrgere, ſaxis illidere. Spectantur ea prælia ceu mari ipſo ſibi irato, nullis in ſinu ventis, fluctibus vero ad anhelitus, ictuſque, quantos nullis

turbines, voluunt. Orca etiam in portu Oſtienſi viſa eſt, oppugnata à Claudio Principe: Venerat tunc exædificante eo portum, inuitata naufragijs tergorum aduectorum è Gallia, ſatianſque ſe per complures dies, alueum in vado ſulcauerat, accumulata fluctibus in tantũ vt circumagi nullo modo poſſet, & dum ſaginam perſequitur, in littus fluctibus propulſa, emineret dorſo multum ſupra aquas, carinæ vice inuerſæ. Prætendi iuſſit Cæſar plagas multiplices inter ora portus, profectuſq; ipſe cum Prætorianis cohortibus, populo Romano ſpectaculum præbuit, lanceas congerente milite, è nauigiis aſſultantibus, quorum vnum mergi vidimus, reflatu belluæ oppletum vnda Ora balenæ habent in frontibus, ideoq; ſumma aqua natãtes, in ſublime nimbos efflant.] Orca item appellatur gemma quædam, de qua idem Plinius lib.37.cap.19. ait: *Orca barbari nominis, è nigro fuluoq; e ac viridi, & candido placet.* Eſt etiam orca vas, ſiue arca, in quam mulieres ſua pigmenta, mundum muliebrem, & veſtes condunt pretioſas, cuius meminit Plinius lib. 31. cap.16. dicens: *Fuit & terra per ſe in Theodoti fundo inuenta Smyrnæ, qua veteres ad nauium picturas vtebantur, nunc omnis ex plumbo, & aceto fit, vt diximus vſta caſu reperta incendio Piræi, ceruſſa in orcis cremata.* Sumitur & orca, pro vaſe aquario, ſiue vinario, quod nunc (reſoluto diphthongo, vt in alijs fieri videmus) vrceus appellatur: eius meminit Varro R. R. lib.1. cap. 13. dicens: *Laudabatur villa ſi habebat culinam ruſticam bonam, præſepias laxas, cellam vinariam,*

*viam, & oleariam ad modum agri aptam, & pa-uimento proclini in lacum, in quo, ſi contigerit, defluens vinum excipiatur ne pereat, quod ſæpe, vbi conditum nouum vinum, orcæ in Hiſpania, feruore muſti ruptæ, nec nō & dolia, ut in Italia.* Orca etiam erat vas ligneum, vimineum, aut ex alia quauis materia, quo ſeruabantur ficus, nuces, vuæ paſſæ, & alia. De quali ſic Plinius lib.15.cap.19. *Fi is mollis omnibus ta-ctus, maturis frumenta intus, ſuccus matureſcentibus lactis, percoctis, mellis. Seneſcunt in arbore, anuſque diſtillant, gummi modo, lacry-mam; ſiccanturque. Honos laudatas ſeruat in capſis, Ebuſo inſula præſtantiſſimas, ampliſſi-maſque mox in Marrucinis, at vbi copia abun-dat, implentur orcæ in Aſia, cadi autem in Ru-ſpina Africæ vrbe, paniſque ſimul, & obſonij vi-cem ſiccatæ, implent, vipotè quum Cato cibaria ruris operarijs (iuſta ceu lege ſanciens) minime iubet perſici maturitatem.* Orca etiam eſt vas ligneum, quo ſaliti ſeruantur piſces, ſiue cum ſua muria, ſiue abſque ea, vt dicet infra verſu 76.

*Menaq; quod prima nondum defecerit orca.*

Sed nunc nullo ex his modis ſumitur, ſed po-tius pro vaſculo aleatorio, in quod conijcti agitabantur tali, priuſquam in menſam effun-derentur, ad euitandas aleatorum fraudes, ſi nuda iacerentur manu. Cuius vaſis nomen Græcū, ſed à Latinis frequētatum eſt πυργος, ſic Horat. lib.2. ſerm. ſat.7.

*Scurra Volanerius poſtquā illi iuſta chiragra*
*Contudit articulos, qui pro ſe tolleret, atque*
*Mitteret in pyrgum talos, mercede diurna,*

*Con-*

*Conductum panis*

Sed Martialis fritillum hoc vas appellat l.13. epigram.1.

*Hæc mihi charta nuces, hæc mihi charta fritillus,*
*Alea nec damnum, nec facit iſta lucrum.*

Sic etiam Iuuenalis ſatyra 14.verſu 4.

*Si damnoſa ſenem iuuat alea, ludit & heres*
*Bullatus, paruoq; eadem mouet arma fritillo.*

Et ita communiter accipitur, nam tale vas orca dicitur, ob ventris latitudinem, in quo tali debent agitari, & colli, per quod emittebantur, anguſtiam. Quod ſi durum videatur alueolum illud orcæ nomine denotari, quum nedum vrceum, ſed nec vrceolum adæquet, dicemus his verbis aliam puerilis, & ludicræ exercitationis ſpeciem ſignificari. Solent enim pueri, nuces, vel alios globulos quoſdam, vna manu collectos, in vas ſiue foueam anguſti oris, in decliui terræ loco excauatam, immittere; qua lucri ſpecie nunc ille victor cenſetur, qui omnes, vel plures globulos, in eam immittit orcam, ſiue foueam. Sed Ouid. carmine de Nuce innuit, illum vincere, qui vnam immitteret, ſic enim inquit:

*Vas quoque ſæpe cauum, ſpatio diſtante locatur*
*In quod miſſa leui nux cadat vna manu.*

Sed nunc non tantum nucibus, aut auellanis, ſed quibuſcumque luditur globulis.

*BVSSVS* arbor eſt exigua, tonſilis, & ſemper virens, ex ſe viſcum, & ſemen ſeu granū, cartegon appellatum, educens, omnibus inuiſum animantibus. Lignum durum vt cariem non ſentiat, & ponderoſum, vt in aqua ſubſidit.

dat. Ex eo fiunt pectines ad capillos explicandos, pyxides ad vnguenta ſeruanda, & tibiæ multi foratiles. Vnde per Senecdochen materiæ, buxum pro tibia poſuit Statius 2. Thebaidæ verſu 664. dicens:

*Hebridas, & fragiles thyrſos portare putaſtis,*
*Imbellem ad ſonitū, maribuſq; incognita viris*
*Fœda Celenæa committere proelia buxo.*

Sic Claudianus de Raptu Proſerpinæ lib. 3. verſu 130.

*Si buxos inflare velim, ferale gemiſcunt,*
*Tympana ſi quatiam, planctum mihi tympana reddunt.*

Verum hic per eādem ſenecdochen materiæ, buxus ponitur pro trocho, vel turbine. Nam ſignificatur alia ludi ſpecies, qua, ſcutica, ſeu flagello, turbo, ſiue trochus rotare cogitur. Et hunc trochum, ſiue turbinem buxi nomine intelligit, quia buxo conſtat; vel ſi fiat ex alia materia, interuenit hic duplex ſenecdoche, materiæ ſcilicet, & ſpeciei. Ludus autem ille duplex eſt, nam vel turbo, eſt inſtrumentum pyramidale, ad inſtar turbinis, è lato atque rotundo paulatim in acutum vergens, acumine deorſum verſo: & eo ludunt pueri, ſcutica ipſum flagellando, vt in orbes circumagatur, ſaltitando. Eiuſque meminit Virgil. 7. Æneid. verſu 378.

*Ceu quondam torto volitās ſub verbere turbo,*
*Quem pueri magno in gyro, vacua atria circū*
*Intenti ludo exercent: ille actus habena,*
*Curuatur fertur ſpatijs, ſtupet inſcia turba,*
*Impubeſque manus, mirata volubile buxum,*
*Dant animos plaga,*

Sic Tibullus lib. 1 elegia 5.

*Namque agor, ut per plana citus ſola uerbere turben,*
*Quem celer aſſueta verſat ab arte puer.*

Cuius etiam meminit Nazianzenus in fine orationis primæ in Iulianum dicens: *Trochus in orbem uolui, non progredi uidemus, atque immotè, ut ſic loquar, ſenticæ uiolentia uerſari.* Vel eſt inſtrumentum etiam pyramidale, & ſiguræ turbineæ, habens, in ea parte vbi anguli coeunt, breue ferrunculum infixum, circa quod, pueri chordulam circumuoluunt, ita vt multiplicatis huius chordulæ gyris, medietatem faſcient turbinis eiuſdem. Exinde extremum chordulæ retinentes, turbinem impetu manu emittunt; is vero emiſſus, uinculis, quibus ligabatur, cadendo ſoluitur, ſtatim terram attingens, liber omnino inuenitur; ex paſſis nihilominus vinculis, vertiginem experitur, cogiturque rotare ſuper ferrum illud, quod in eius cono eſſe diximus. In hoc ludo regulariter vincit ille, cuius turbo diutius rotat, vel qui propoſitum, emiſſus, ſignum attingit, niſi aliter ludentes conuenerint.

*FLAGELLVM*, ſiue in plurali, flagella, ſunt vitium teneriores palmites, ex anniculis nati ſarmentis. Sic Columella lib. 5. cap. 5. *Nonnulli in uineis characatis animaduerti, & maximè eluenaci generis, prolixos palmites, quaſi propagines ſummo ſolo adobruere, deinde rurſus ad arundines erigere, & in fructum ſubmittere, quod noſtri agricolæ mergos, Galli candoſoccos uocant, eoſque adobruunt ſimplici ex cauſa,*

quod

*quod exiſtiment plus alimenti terram præbe-re fructuarijs flagellis.* Et id.eod.l.c 6: *Alterum eſt genus palmitis, quod de nouello naſcitur, & in tenero alligatum dependet (materiam vocamus) ea & fructum, & noua flagella benè procreat, & iam ex uno capite duæ uirgæ ſubmittantur, tamen utraque materia dicitur.* Sic Virg.2.Georg. verſu 298.

*Neue tibi ad ſolem uergant uineta cadentem,*
*Neue inter uites corylum ſere, neue flagella*
*Summa pete, aut ſummas deſtringe ex arbore plantas.*

Sed nunc non ſic ſumitur. Flagellum etiam eſt lorum, ſcutica, vel quid ſimile, quo ſeruorum, nudata cæduntur corpora: quæ pœna grauior habebatur, quam fuſtuaria. Hinc Cicero ad Quirites pro C. Rabirio ait: *Vter noſtrum, Labiene, popularis eſt, tune, qui Ciuibus Romanis, in concione ipſa, carnificem, qui uincla adhiberi putas oportere, qui in Campo Martio, Comitijs centuriatis, auſpicato in loco, crucem ad ciuium ſupplicium defigi, & conſtitui iubes, an ego qui funeſtari concionem contagione carnificis ueto, qui expiandum forum populi Rom. ab illis nefarijs ſceleris ueſtigijs eſſe dico, qui caſtam concionem, ſanctum campum, inuiolatum corpus omnium Romanorum ciuium, integrum ius libertatis, defendo ſeruari oportere? Popularis uero Trib. plebis, cuſtos, defenſorque iuris, & libertatis. Portia lex uirgas ab omnibus ciuium Romanorum corpore amouit: miſericors flagella retulit. Portia lex libertatem ciuium lictori eripuit, Labienus homo popularis, carnifici tradidit.* Flagellis etiam vtuntur aurigæ,

ad caſtigandam equorum contumaciam, aut ſegnitiem, nedum eos verberando, ſed illa falcem explicando, ſiquidem excuſſa clarè ſonant. Sic Martial. lib.4.epigr.15.

*Proficies nihil hoc, cædas licet uſq; flagello*
*Si tibi purpureo de grege currit equus.*

Verum nunc flagellum eſt chorda, qua trochus faſciatur priuſquam emittatur ad rotandum, vel eſt ſcutica, qua verberatur vt rotet.

*HAVD tibi inexpertum eſt curuos deprendere mores, quæq; docet ſapiens, bracchatis illita Medis porticus, & ſomnis, quibus & detonſa iuuentus inuigilat, ſiliquis, & grandi paſta polenta. Inexpertum* hic non eſt idem, ac intentatum, vt accepit Virg.4.Æn.verſu 413.

*Ire iterũ in lacrymas, iterum tentare precãdo*
*Cogitur, & ſupplex animos ſubmittere amori,*
*Ne quid inexpertum fruſtra moritura relinquat.*

At hic eſt incognitum per experientiam, quæ eſt cognitio practica, ideſt habita per ſenſus, & actus proprios, ſeu peritia, proprio acquiſita periculo, ac labore: vt ille dicatur expertus, qui rei periculum fecit, eamque tentauit, ac probauit, & ipſius cognitionem nactus eſt experimentalem, ideſt certiſſimam quoad ſenſum, qui eſt tantum ſingularium, quæ ſola poſſunt experiri, quum ars, & ſcientia ſint vniuerſalium, quæ ſub experimento non cadunt. Et quum hic ponatur duplex negatio Haud, & Inexpertum, vehemens ſignificatur affirmatio, vt ſi diceretur: Tu iam certiſſima experimentali cognitione, Stoicorum nouiſti decreta, & rationem diſcernendi rectos, ſtu-

dio-

dioſoſque mores, à prauis,& vitioſis,vt excuſationem prętendere nequeas, ſi,illis relictis, hos fueris amplexatus. Vbi obſerua magiſtrũ, dixiſſe qualiter in pueritia vixiſſet, & quibus ſtudijs ludicris, proprijs illius ætatis, intentus fuerit: conſequens verò videbatur, vt exponeret, quid maturior feciſſet, & quomodo ab illis inanibus, ad ſeria philoſophiæ ſtudia gradum feciſſet: verum partem iſtam modeſtè, per eclypſin, ſiue Apoſiopeſin ) de qua in Inſtit. Orat. lib.3. Tract. 3. cap.8. ) ſubticuit, ne videlicet ſeipſum laudaret, quia laus in ore proprio ſordeſcit: nam propterea monet Sapiens Prouerb.27. *Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua.* Vnde ſtatim aggreditur propoſitum, monendo diſcipulum de eo, quod illi facto opus erat, vt, quoniam ex Stoica diſciplina, nouiſſet finem, ad quem ſuas dirigere deberet operationes, ita curaret in praxi exercere.

*CVRVOS mores* poſuit pro tortis, ideſt prauis, à bonitate, ſiue rectitudine flexis, & declinantibus, qui ſunt vitioſi. Ducta eſt metaphora à corporibus, quæ propriè curua, flexa ſunt, & tortuoſa; ſic Virg.2.Georg. v.189.

*Et filicem curuis inuiſam paſcis aratris.*

Sic Tibull.lib.3.eleg.5.

*Et nondum cani nigros læſere capillos,*
*Nec venit tardo curua ſenecta pede.*

Iuxta eandem metaphoram, idem noſter Perſius ſat.2.verſ.61. dixerat:

*O curuę in terras animę, & cœleſtium inanes.*

Et ita metaphoricè nunc ponitur pro moribus vitioſis.

*DEPRENDERE* dictum per ſyncopen, pro deprehendere, hoc autem eſt comperire, ſiue inuenire in aliquo facinore, ex quo deprehenſus erubeſcat. Sic Cic. Act.5. in Verrem: *Non modo accuſator, ſed ne obiurgator ferendus eſt is, qui quod in alio uitium reprehendit, in eo ipſe deprehenditur.* Et idem Cic. pro M. Cœlio: *Vehementer expectabam, qui nam iſti uiri boni, teſtes huius manifeſto deprehenſi ueneni dicerentur.* Sic Lactantius lib.1.cap.10. *Quid? omnium deorum pater Iuppiter, qui in ſolemni precatione Opt. Max. nominatur, nonne à prima ſua pueritia impius, ac pene parricida deprehenditur, quū patrem regno expulit, ac fugauit, nec expectauit mortem decrepiti ſenis, cupiditate regnandi?* Sed actus interni nequeunt propriè deprehendi, quum vix coniectura cognoſcantur. Vnde mores hic dicuntur deprehendi, quatenus operantes cognoſcuntur, quæ eſt metonymia: vel metaphoricè pro quauis cognitione.

*PORTICVS ſapiens* periphraſticè per metonymiam continentis, appellata eſt philoſophia Stoica. Erat namque Athenis quædam porticus, ad quam diuertebat Zeno cum ſuis auditoribus, ſuam tradens philoſophiam, indeque auditores iſti, qui à Zenone Zenici dici cœperant, à loco nempe porticu, in qua conueniebant, quæ Græcè στόα appellatur, Stoici dicti fuere, ſicut à loco, in quo Plato docebat, dicto Academia, nominati Academici, & ſic de multis alijs. Porticus etiam iſta ſpeciali nomine Poecile nuncupabatur, ob picturarum varietatē, ποικίλην enim Græcè, varium eſt Latinè; quam gratuito pinxerat Po-

lygno-

[illegible]gnotus Thaſius, de quo Plinius lib. 35. cap. 9 ait: *Certamen picturæ, etiam florente eo (Panæno fratre Phidiæ) inſtitutum eſt Corinthi & Delphis, primuſque omnium certauit cum Timagora Chalcidenſe, ſuperatus ab eo Pythijs quod & ipſius Timagoræ carmine uetuſto apparet, chronicorum errore non dubio. Alij quoque poſt hos clari fuere ante nonageſimam olympiadem, ſicut Polygnotus Thaſius, qui prius mulieres lucida ueſte pinxit, capita earum mitris uerſicoloribus operuit, plurimumq; picturæ primus contulit ſiquidem inſtituit os adaperire, dentes oſtendere, uultum ab antiquo rigore uariare. Huius eſt tabula in porticu Pompeij, quæ ante curiam eius fuerat in qua dubitatur aſcendentem cum clypeo pinxerit, an deſcendentem. Hic Delphis ædem pinxit. Hic & Athenis porticum, quæ Pœcile uocatur gratuito, quum partem eius, Mycon mercede pingeret, unde maior huius autoritas; ſiquidem Amphictiones (quod eſt publicum Græciæ concilium) hoſpitia ei gratuita decreuere.* Hic idem, teſte Pauſania, quo ſignificaret fruſtra ad rei familiaris incrementum aſpirare eum, qui, licet nihil omitteret laboris, vel induſtriæ, quo ſui voti compos efficeretur, domi tamen vxorem haberet ſtultam, prodigam, aut ebrioſam, Ocnum pinxit funiculum de ſparto torquentem, & pone eum aſellam, eundem arrodentem ſpartum: ex quo factus locus prouerbio dicenti Ocnus funiculum torquet, cui alluſit Propertius, dicens lib. 4. eleg. 3.

*Dignior obliquo funem, qui torqueat Ocno*
*Æternuſq; tuam paſcat aſella famem.*

BRACCATI à braccis denominantur, brac-

cæ

cæ, autem ſunt bracchæ, vel fæminalia, aut fęmoralia, ſubligacula, & ſubligaria, nempe veſtes fluxæ, & intonſæ, ad frigus arcendum proportionatæ, quibus vtebantur Medi, & alij frigidarum regionum incolæ. Et vt in illud Priapediæ carmine 46.

*O non candidior puella Mauro,*

ad illa verba: *Medis laxior Indiciſque braccis*, ait Gaſpar Scioppius: *Bracca, ſeu bracha, veſtimenti laxi genus, pudenda maxime tegens, Medis, Indis, & Scythis uſitatum*. His ergo braccis pudenda tegebantur: vnde Ambroſius Officiorum lib. 1. cap. 18. inquit: *Sacerdotes quoq; veteri more, ſicut in Exodo legimus, braccas accipiebant, ſicut ad Moyſen dictum eſt à Domino: Et facies illis bracchas lineas* (vbi in vulgata Exod. cap. 28. legimus: *Facies, & feminalia linea) ut tegatur turpitudo corporis, à lumbis uſque ad fæmora erunt*. Videat ergo Franciſcus Stellutus quid interſit inter braccas, à quibus hic dicuntur Medi braccati, & brachia ab ipſo ſomniata.

*ILLITA*, ſupinum à verbo lino, eſt rei ſolidæ, mollem inducere, vel liquidam, vt ligno, lapidi, veſti, aut faciei, oleum, vnguentum, vel colorem, ad eam ornandam, aut fœdandam, vel ad ei medendum. Sic Horat. l. 1. ſerm. ſat. 4.

*Et quodcumq; ſemel chartis illeuerit, omnes*
*Geſtiet à furno redeuntes ſcire, lacuq;*

Sic Celſus lib. 6. cap 6. §. 1. *Primo die Croci p. 1. & farinæ candidæ, quam tenuiſſimæ p. 2. excipere oportet ouo albo, donec mellis craſſitudinem habeat, idq; in linteolum illinire, & fronti*

ag-

*agglutinare, ut compreſſis uenis, pituitæ impetum cohibeat.* Et Columella lib. 6. cap. 14. *Comperimus aureum eſſe medicamentum ex pice liquida, & bubula medulla, & hircino ſeuo, & veteri oleo equis ponderibus compoſitum, atque incoctum. Hac compoſitione ſic vtendum eſt: quum disiungitur ab opere, in ea piſcina ex qua bibit, tumor ceruicis aqua madefactus ſubſiccatur, prędictoq; medicamēto deſiccatur, et illinitur. Si ex toto propter ceruicis tumorē, iugū recuſet, paucis diebus requies ab opere dāda eſt, tū ceruix aqua frigida defricanda, & ſpuma argenti illinenda eſt.* Sic Liuius lib. 2. cap 5. *Ager Tarquiniorum, qui inter vrbem, ac Tyberim fuit, conſecratus Marti, Martius deinde campus fuit. Fortè ibi tunc ſeges farris dicitur fuiſſe matura meſſi: quem campi fructum, quia religioſum erat conſumere, deſectam cum ſtramento ſegetem, magna vis hominum ſimul immiſſa, corbibus fudere in Tyberim tenui fluentem aqua (vt medijs caloribus ſolet) ita in vadis heſitantis frumenti aceruus ſediſſe illitos limo.* Et Plinius lib 24. cap 6. de Styrace ait: *Sonitus aurium emendat infuſum, ſtrumas illitum, neruorumque nodos.* Illa ergo porticus, ſeu illius parietes (eſt enim hic ſenecdoche totius pro parte) erat illita Medis braccatis, ideſt coloribus, & picturis repreſentantibus pugnam Marathoniā, qua Medi pugnarant cum Athenienſibus. Et in his verbis tot ferè ſunt tropi, quot dictiones. Idem eſt etiam lino tertiæ, & limo quartę coniugationis.

*MEDIS*, ideſt populis, vaſtiſſimam Aſiæ regionem incolentibus, à ſeptentrionali parte Hircano, ſeu Caſpio terminatam mari, à Me-

ridionali, Perſia: ab Occidentali, Aſſyria, & maiori Armenia: ab Orientali Parthia, & Hircania. Dicta Media à Medo Medeæ, & Ægei filio, eius regionis rege. Penes Medos fuit ſecũda Orbis Monarchia, prima enim fuerat penes Aſſyrios, & Babylonios. Sed quum Medorum incliti heroes non poſſent diutius in belles, & effœminatos Aſſyrios reges, hos ſuſtulerunt, regemque ex ſuo crearunt gremio, quouſque, & ipſi à Perſis fuere deuicti. Quum autem Perſarum, & Medorum reges, & in primis Xerxes, Græciæ libertati infenſi, ei Prouinciæ ſæpe arma intuliſſent, ſæpe etiam ſuam ignominiam, & illius gloriam, & triumphos auxere, ac trophęa, & præcipue quum Xerſes totam Græciam armatis militibus occupare poſſe videretur: quando decem millia Athenienſiũ illi occurrentes in cãpis Marathonijs duce Melciade centum millia Perſarum proſtrauerunt, reliquos vero fugere compulerunt. Hanc pugnam Marathoniam multi pictis coloribus expreſſerunt, & inter alios Panæus frater Phidiæ, de quo Plinius lib. 35. cap. 8. *Panæus quidem frater Phidiæ, etiam prælium Athenienſium aduerſus Perſas apud Marathonem factum, pinxit. Adeo iam colorum vſus percrebuerat, adeoq; ars perfecta erat, vt in eo prælio iconicos duces pinxiſſe tradatur, Athenienſium Melciadem, Callimachum, Cynegirum: Barbarorum Darium, Tiſſaphernem.* Polignotus vero eam depinxit in illa porticu, quæ ex illa colorum varietate, Pœcile eſt appellata:

*INSOMNIS*, ac peruigil eo differunt, quod inſomnis eſt, qui dormire volens, morbo, vel curis cogitur vigilare: peruigil vero, qui ex cle-

lectione dormire non vult. Dicitur autem inſomnis porticus, vel potius inſomnis iuuētus (portico enim adhęſerat epitheton *Sapiens*, nec eſt in conſuetudine ſermonis Latini, eidem nomini plura, abſque copula, adiungere epitheta) vigilans, & litterarum ſtudijs occupata. quæ adeo non ā ſōno, vel corporis indulget curationi diligētiā, vt eius videatur habere priuationem eo loquendi modo, quo, cum qui parum habet de forma, ea priuatum dicimus, vt homo dicitur cœcus ſi minus clarè videat. Sic ergo iuuentus inſomnis dicta, quæ, vt ſtudijs vacaret, parum ſomno indulgebat. Sic Virg. 9. Æneid. v. 164.

*Diſcurrunt, variantq; vices, fuſiq; per herbam*
*Indulgent vino, & vertunt crateras ahenos.*
*Collucent ignes, noctem cuſtodia ducit*
*Inſomnem ludo.*

Sic etiam Tacitus 1. Annal. cap. 13. *Nox per diuerſa inquies, quum Barbari feſtis epulis, læto cantu, aut truci ſono, ſubiecta vallium, ac reſultantis ſaltus complerent: apud Romanos inualidi ignes, interruptæ voces, atq; ipſi paſſim adiacerent vallo, oberrarent tentorijs, inſomnes magis, quam peruigiles.*

*QVIETVS*. Perperam nonnulli relatiuum iſtud referunt ad Medos depictos in illa porticu, quaſi eorum contemplatione iuuentus illa detineretur, vt eſſet etiam inſomnis. Sed reuera referendum ad *Quæq; docet ſapiens porticus*, nimirum ad decreta tradita ab, vel in illa porticu, à Stoicis philoſophis ibi docentibus. Et vult dicere: Iam nouiſti, quæ ſint placita, & decreta quibus Stoici imbuuntur.

*ET detonſa iuuentus*. Detonſa idem eſt, ac

tonſa, per detractionem lanæ, pili, vel capilli. Hinc Columella lib. 7. cap. 4. ait: [ Tonſuræ certum tempus anni per omnes regiones ſeruari non poteſt, quoniam nec vbique tarde, nec celeriter æſtas ingruit. Et eſt modus optimus conſiderare tempeſtates, quibus ouis, neque frigus, ſi lanam detraxeris, neq; æſtum, ſi nondum detonderis, ſentiat. Verum ea quãdocumque detonſa fuerit, vngi debet tali medicamine. Succus decocti lupini, veteriſque vini fex, & amurca, pari menſura miſcentur, eoque liquamine tonſa ouis imbuitur. ] In nonnullis codicibus legimus *Indetonſa*, quæ lectio licet poſſit ſuſtineri, quia philoſophi ſtudijs mancipati, cultus elegantiam, corporiſque aſpernabantur voluptates, ideoque capillos tondere, vel componere non curabãt: quia tamen non minorem præ ſe ferunt cultus negligentiam, qui capillos ad cutem radunt, vt Stoici faciebant, quam qui eos relinquunt intonſos, more aliarum philoſophantium ſectarum. Et alioqui non eſt in conſuetudine caſti ſermonis Latini, eidem rei duo, abſque copula adiungere epitheta, quum iam iuuentuti additum ſit epithetom *Inſomnis*, nõ debebat abſque copula addi aliud, *indetonſa* ideo cum Caſaubono legendum puto. *Et detonſa*, ideſt ad cutem raſa. Siue autem legas *porticus ſapiens, inſomnis indetonſa iuuentus*, ſiue *porticus ſapiens, iuuentus inſomnis. & detonſa*, ſemper in his verbis eſt exergaſia, ſchema quo eadem ſententia alijs exprimitur verbis, de quo ſchemate diximus in Inſtit. Orat. lib. 3. Tract. 3. cap. 1.

*INVIGILAT*, ideſt curat, & ſollicita diligentia

gentia negocio incumbit perficiendo. Sic de apibus ait Virg.4.Georg.verſu 158.

*Namq; aliæ victu inuigilant,& fœdere pacto*
*Exercentur agris.*

Et Ouid.1. Triſt.eleg.4.

*Inuigiles igitur noſtris pro caſibus, oro*
*Diminui ſi qua Numinis ira poteſt.*

Quum vero Stoicorum diſcipuli diligentiam adhiberent, tum in addiſcendis illius ſectæ decretis, tum in practicè exercendis ad mores pertinentia, merito dicti ſunt illis inuigilare.

*SILIQVA* eſt quædam ponderis ſpecies,cuius meminit Q. Rhemnius Fanno Polemon libro de ponderibus verſu 8.

*Semioboli duplex eſt obolus, quem pondere duplo* (*priores*
*Gramma uocant, ſcrupulum noſtri dixere*
*Semina ſex alij ſiliquis latitantia curuis*
*Attribuunt ſcrupulo lentes ueraciter octo,*
*Aut totidē ſpeltas numerāt, triſteſue lupinos*
*Bis duo, ſed ſi par generatim his pōdus ineſſet.*

Aſſerunt enim ſiliquam in hac acceptione continere ſextam ſcrupuli partem, & ſex ſiliquas vnum conficere ſcrupulum,duodeuiginti vero ſiliquas, ſeu tria ſcrupula, drachmam valere: ſcrupula vero quatuor, id eſt ſiliquas vigintiquatuor,eſſe ſextulam, id eſt ſextam vnciæ partem: ſextula namque drachmam continet vnam, & tertiam inſuper illius partem: drachma vero eſt,quam Latini denarium dicunt, niſi cum Agricola dicere velis,ſeptem denarios octo conſtituere drachmas, vnam videlicet vnciam. *Sed* hęc obiter, quum non ſit ſermo de ſiliqua in hac acceptione, ſed vt

poteſt in cibi vſum venire: Ita vero eſt ſiliqua Græca, κεράτι ς ab illis dicta, vt illius fructus κερατωνία, de qua ait Plinius lib. 15. cap. 24. *Haud procul à caſtaneis abeſſe uidentur prędulces ſiliquæ, niſi quod in ijs cortex ipſe non manditur: digitorum hominis longitudo illis & interim falcata, pollicari latitudine.* Eſt etiam ſiliqua dicta Syra, ſiue Arabica, quam Arabes Charnulo appellant, de qua Plinius l. 13. c. 8. [ Similis his, (fico AEgyptiæ,) ſiliqua, quam Iones Cerauniam vocant, trunco & ipſa fertilis, ſed pomo ſiliquæ. Ob id quidam AEgyptiam ficum dixere, errore manifeſto, nō enim in AEgypto naſcitur, ſed in Syria, Ioniaque, & circa Gnidum, atque in Rhodo, ſemper comantibus folijs, flore candido, cum vehementia odoris, plantigera imis partibus, & ideo ſuperficie flaueſcens, ſuccum auferente ſobole. Pomo antecedentis anni, circa canis ortum detracto, ſtatim alterum parit, poſtea florem per arcturum, hyeme fœtus enutriente. ] Sed neque de his ſiliquis eſt nunc ſermo, tum quia vt raræ, & peregrinæ, pretioſiores erant, quam vt venirent in vſum philoſophorum, victum amātibus parcum, ac ſimplicem: Tum quia iſtę potius, quam in cibum, in medicinam venire ſolebant. Siliquæ etiam dicuntur follicula, & integumenta leguminum, quibus hæc intecta naſcuntur, & creſcunt: quæ licet pecoribus, ſiue iumentis gratiſſima ſint in cibo, homini tamen cibus proportionatus non videntur. Ideo puto ſiliquas accipiendas per ſenecdochen partis pro parte, vel per metonymiam continentis, pro leguminibus in

ſiliqua

ſiliqua contentis. Leguminâ autem ſunt cibus hominis, & facilè parabilis, & ita proportionatus affectantibus ſimplicitatem, vt erant Stoici, & Pythagorici. Hinc Iuu. ſat 3. v. 223.

*Viue bidentis amans, & culti villicus horti*
*Vnde epulum poſſis centum dare Pythagoræis.*

Et idem in fine ſat. 15.

*Pythagoras cunctis animalibus abſtinuit, qui*
*Tamquã homini, et ventri indulſit non omne legumen.*

Sic idem ſat. 11. verſu 59.

*Sed laudem ſiliquas occultus ganeo, pultes*
*Coram alijs dictem puero, ſed in aure placentas.*

Et Horat. lib. 2. epiſt. 1.

*viuit ſiliquis, & pane ſecundo.*

Et ita iuuentus illa, philoſophiæ canonibus applicata, his ſiliquis, nempe leguminibus facilè parabilibus victitabat.

*POLENTA*, hanc Franciſcus Stellutus ſomniauit fieri ex caſtaneis, & farris farina. Io: vero Antônius Vallo, velle videtur fieri tantum ex farris farina, nec alterius rei meminit: Cato etiam, & Varro, ex hordei farina fieri dicunt. At Plinius lib. 18. cap. 7. ait: [ Polenta pluribus fit modis: Græci perfuſum aqua ordeum, ſiccant nocte vna, ac poſtero die frigunt, deinde molis frangunt. Sunt qui vehementius toſtum, rurſum exigua aqua aſpergant, ſiccentque priuſquam molant. Alij vero virentibus ſpicis decuſſum hordeum, recens purgant, madidumque in pila tundunt, atque in corbibus eluunt, ac ſiccatum ſole, rurſus tundunt, & purgatum molunt. Quocumque autē genere præparato, vicenis hordei libris, ternas ſeminis lini, & coriandri ſelibras, ſalíſ-

que acetabulo, torrentes ante omnia, miſcent in mola. Qui diutius volunt ſeruare, cum pollline, ac ſua furtibus ſuis, condunt nouis fictilibus. Italia ſine perfuſione, toſtum in ſubtilem formam molit, iiſdem additis, atq; etiam milio. ] Hac vtebantur polenta omnes parci, frugaleſque, quales philoſophi cenſebantur. Quod autem iuuenes Stoicorum auditores, dicantur hic paſti grandi polenta, dictum ad ſignandam eorum proſperam valetudinem, temperantiamque, qua non vtebantur ciborum varietate, ſed vnica, licet grandi polenta, & leguminibus contenti, naturali ſatiſfaciebant neceſſitati.

*ET tibi quæ Samios diduxit littera ramos, ſurgentem dextro monſtrauit limite callem*. Ordo eſt. Et littera, quæ diduxit ramos Samios, monſtrauit tibi callem ſurgentem dextro limite. Samios à Samo. Samos duæ fuere inſulæ maris Ionij, quarum vna quadraginta quatuor paſſuum millia in circuitu habens, dicta eſt Cephalenia, cuius Vrbs præcipua à Romanis diruta, Samos dicebatur, eiuſque Gentiles Samæi: Sed nunc non eſt de ea ſermo. Alia paſſuum millia habens octuaginta, Iunonem, vt proprium, & ſpeciale colebat numen, quam dicebāt apud ſe natam, educatam, & nuptam, indeque inſula dicta παρθένος à Iunone virgine ibi nutrita. Inſula eſt adeo ferax vt, iuxta Menandrum, poſſis in ea lactis gallinacei hauſtum reperire. Quo prouerbio vſus inter alios Plinius, in proœmio naturalis hiſtoriæ dicens: *Inſcriptionis apud Græcos mira felicitas: κηρίον inſcripſere, quod volebant*

*in-*

*intelligi, fauū: alij* κέρας ἀμαλθείας, *vt vel lactis gallinacei ſperare poſſis in volumine hauſtū.* Adagium etiam fuit: Populo Samio nullus litteratior, cuius origo fuit, quia quum Athenienſes, Samios in ſeruitutem redegiſſent, eorum frontibus litteras indiderunt cauterio. In ea inſula fictilia fiebant toto Orbe celeberrima. Inde etiam fuit Sybilla, Samia dicta, quæ inter alia hęc vaticinata eſt: *Tu enim, ſtulta Iudæa, Deum tuum non cognouiſti ludentem mortalium mentibus, ſed ſpinis coronaſti, horridumque fel miſcuiſti.* In hac igitur inſula natus eſt Pythagoras, philoſophiæ Italicæ princeps, de quo ſic Ouidius lib. 15. Metam.

*Vir fuit hic ortu Samius, ſed fugerat vna,*
*Et Samon, & dominos, odioq; Tyrannidis, exul*
*Sponte erat. Iſq; licet Cæli regione remotus,*
*Mente Deos adijt, & quæ natura negabat*
*Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit.*
*Quumque animo, & vigili perſpexerat omnia cura*
*In medium diſcenda dabat cœtumq; ſilentum,*
*Dictaq; mirantum, magni primordia mundi,*
*Et rerum cauſas, & quid natura, docebat*
*Quid Deus, vnde niues, quę fulminis eſſet origo.*

Pythagoras igitur Mneſarchi annulorum fictoris, vel Marmaci filius, Pherecydis Syri primum, & deinde Hermodamantis in patria auditor, commendatitijs Polycratis Samij, ad Amaſim Regem, in Ægyptum profectus, omnem illorum Sacerdotum, etiam arcanam ſapientiam didicit: inde Chaldæos adijt, Aſſyriorumque ſacris initiatus, myſteria penetrauit

*DEPRENDERE* dictum per ſyncopen, pro deprehendere, hoc autem eſt comperire, ſiue inuenire in aliquo facinore, ex quo deprehenſus erubeſcat. Sic Cic. Act.5. in Verrem: *Non modo accuſator, ſed ne obiurgator ferendus eſt is, qui, quod in alio uitium reprehendit, in eo ipſe deprehenditur.* Et idem Cic. pro M. Cœlio: *Vehementer expectabam, qui nam iſti uiri boni, teſtes huius manifeſto deprehenſi ueneni dicerentur.* Sic Lactantius lib.1.cap.10. *Quid omnium deorum pater Iuppiter, qui in ſolemni precatione Opt. Max. nominatur, nonne à prima ſua pueritia impius, ac pene parricida deprehenditur, quũ patrem regno expulit, ac fugauit, nec expectauit mortem decrepiti ſenis, cupiditate regnandi?* Sed actus interni nequeunt proprie deprehendi, quum vix coniectura cognoſcantur. Vnde mores hic dicuntur deprehendi, quatenus operantes cognoſcuntur, quæ eſt metonymia: vel metaphoricè pro quauis cognitione.

*PORTICVS ſapiens* periphraſticè per metonymiam continentis, appellata eſt philoſophia Stoica. Erat namque Athenis quædam porticus, ad quam diuertebat Zeno cum ſuis auditoribus, ſuam tradens philoſophiam, indeque auditores iſti, qui à Zenone Zenici dici cœperant, à loco nempe porticu, in qua conueniebant, quæ Græcè *ςώα* appellatur, Stoici dicti fuere, ſicut à loco, in quo Plato docebat, dicto Academia, nominati Academici, & ſic de multis alijs. Porticus etiam illa ſpeciali nomine Poecile nuncupabatur, ob picturarum varietatẽ, *ποικὶλη* enim Græcè, varium eſt Latinè; quam gratuito pinxerat Po-

lygno-

Ignotus Thaſius, de quo Plinius lib.35.cap.9 ait: *Certamen picturæ, etiam florente eo (Panæo fratre Phidiæ) inſtitutum eſt Corinthi & Delphis, primuſque omnium certauit cum Timagora Chalcidenſe, ſuperatus ab eo Pythijs quod & ipſius Timagoræ carmine uetuſto apparet, chronicorum errore non dubio. Alij quoque poſt hos clari fuere ante nonageſimam olympiadem, ſicut Polygnotus Thaſius, qui primus mulieres lucida ueſte pinxit, capita earum mitris uerſicoloribus operuit, plurimumq; picturæ primus contulit ſiquidem inſtituit os adaperire, dentes oſtendere, uultum ab antiquo rigore uariare. Huius eſt tabula in porticu Pompeij, quæ ante curiam eius fuerat in qua dubitatur aſcendentem cum clypeo pinxerit, an deſcendentem. Hic Delphis ædem pinxit. Hic & Athenis porticum, quæ Pœcile uocatur gratuito, quum partem eius, Mycon mercede pingeret, unde maior huius autoritas, ſiquidem Amphictiones (quod eſt publicum Græciæ concilium) hoſpitia ei gratuita decreuere.* Hic idem, teſte Pauſania, quo ſignificaret fruſtra ad rei familiaris incrementum aſpirare eum, qui, licet nihil omitteret laboris, vel induſtriæ, quo ſui voti compos efficeretur, domi tamen vxorem haberet ſtultam, prodigam, aut ebrioſam, Ocnum pinxit funiculum de ſparto torquentem, & pone eum aſellam, eundem arrodentem ſpartum: ex quo factus locus prouerbio dicenti Ocnus funiculum torquet, cui alluſit Propertius, dicens lib.4. eleg.3.

*Dignior obliquo funem, qui torqueat Ocno*
*Æternuſq; tuam paſcat aſella famem.*

BRACCATI a braccis denominantur, brac-

cæ, autem ſunt bracchæ, vel fœminalia, aut fęmoralia, ſubligacula, & ſubligaria, nempe veſtes fluxæ, & intonſæ, ad frigus arcendum proportionatæ, quibus vtebantur Medi, & alij frigidarum regionum incolæ. Et vt in illud Priapediæ carmine 46.

*O non candidior puella Mauro,*

ad illa verba: *Medis laxior Indiciſque braccis*, ait Gaſpar Scioppius: *Bracca, ſeu bracha, ueſtimenti laxi genus, pudenda maxime tegens, Medis, Indis, & Scythis uſitatum*. His ergo braccis pudenda tegebantur: vnde Ambroſius Officiorum lib. 1. cap. 18. inquit: *Sacerdotes quoq; ueteri more, ſicut in Exodo legimus, braccas accipiebant, ſicut ad Moyſen dictum eſt à Domino: Et facies illis bracchas lineas* (vbi in vulgata Exod cap. 28. legimus: *Facies, & fœminalia linea*) *ut tegatur turpitudo corporis, à lumbis uſque ad fœmora erunt*. Videat ergo Franciſcus Stellutus quid interſit inter braccas, à quibus hic dicuntur Medi braccati, & brachia ab ipſo ſomniata.

*ILLITA*, ſupinum à verbo lino, eſt rei ſolidæ, mollem inducere, vel liquidam, vt ligno, lapidi, veſti, aut faciei, oleum, vnguentum, vel colorem, ad eam ornandam, aut fœdandam, vel ad ei medendum. Sic Horat. l. 1. ſerm. ſat. 4.

*Et quodcumq; ſemel chartis illeuerit, omnes*
*Geſtiet à furno redeuntes ſcire, lacuq;*

Sic Celſus lib. 6. cap 6. §. 1. *Primo die Croci p. 1. & farinæ candidæ, quam tenuiſſimæ p. 2. excipere oportet oui albo, donec mellis craſſitudinem habeat, idq; in linteolum illinire, & fronti* ag-

*agglutinare, ut compreſſis neruis, pituitæ impetum cohibeat.* Et Columella lib.6.cap.14 *Comperimus aureum eſſe medicamentum ex pice liquida, & bubula medulla, & hircino ſeuo, & vetiri oleo æquis ponderibus compoſitum, atque incoctum. Hac compoſitione ſic vtendum eſt: quum diſiungitur ab opere, in ea piſcina ex qua bibit, tumor ceruicis aqua madefactus ſubſiccatur, prædictoq medicamēto defricatur, et illinitur. Si ex toto propter ceruicis tumorē, iugū recuſet, paucis diebus requies ab opere, dāda eſt, tū ceruix aqua frigida defricanda, & ſpuma argenti illinenda eſt.* Sic Liuius lib. 2. cap 5. *Ager Tarquiniorum, qui inter vrbem ac Tyberim fuit, conſecratus Marti, Martius deinde campus fuit. Fortè ibi tunc ſeges farris dicitur fuiſſe matura meſſi: quem campi fructum, quia religioſum erat conſumere, deſectam cum ſtramento ſegetem magna vis hominum ſimul immiſſa, corbibus fudere in Tyberim tenui fluentem aqua (vt medijs caloribus ſolet) ita in vadis hæſitantis frumenti aceruus ſediſſe illitos limo.* Et Plinius lib 24. cap 6. de Styrace ait: *Sonitus aurium emendat infuſum, ſtrumis illitum, neruorumque nodos.* Illa ergo porticus, ſeu illius parietes (eſt enim hic ſenecdoche totius pro parte) erat illita Medis braccatis, ideſt coloribus, & picturis repreſentantibus pugnam Marathoniā, qua Medi pugnarant cum Athenienſibus Et in his verbis tot ferè ſunt tropi, quot dictiones. Idem eſt etiam lino tertiæ, & linio quartę coniugationis

*MEDIS*, ideſt populis, vaſtiſſimam Aſiæ regionem incolentibus, à ſeptentrionali parte Hircano, ſeu Caſpio terminatam mari, à Me-

ridionali, Perſia: ab Occidentali, Aſſyria, & maiori Armenia: ab Orientali Parthia, & Hircania. Dicta Media à Medo Medeæ, & Ægei filio, eius regionis rege. Penes Medos fuit ſecũda Orbis Monarchia, prima enim fuerat penes Aſſyrios, & Babylonios. Sed quum Medorum incliti heroe non poſſent diutius imbelles, & effœminatos Aſſyrios reges, hos ſuſtulerunt, regemque ex ſuo crearunt gremio, quouſque & ipſi à Perſis fuere deuicti. Quum autem Perſarum, & Medorum reges, & in primis Xerxes, Græciæ libertati infenſi, ei Prouinciæ ſæpe arma intuliſſent, ſæpe etiam ſuam ignominiam, & illius gloriam, & triumphos auxere, ac trophæa, & præcipue quum Xerſes totam Græciam armatis militibus occupare poſſe videretur: quando decem millia Athenienſiũ illi occurrentes in cãpis Marathonijs duce Melciade, centum millia Perſarum proſtrauerunt, reliquos vero fugere compulerunt. Hanc pugnam Marathoniam multi pictis coloribus expreſſerunt, & inter alios Panæus frater Phidiæ, de quo Plinius lib. 35. cap. 8. *Panæus quidem frater Phidiæ, etiam prælium Athenienſium aduerſus Perſas apud Marathonem factum, pinxit. Adeo iam colorum vſus percrebuerat, adeoq; ars perfecta erat, vt in eo prælio iconicos duces pinxiſſe tradatur, Athenienſium Melciadem, Callimachum, Cynegirum: Barbarorum Darium, Tiſſaphernem.* Polygnotus vero eam depinxit in illa porticu, quæ ex illa colorum varietate, Pœcile eſt appellata:

*INSOMNIS*, ac peruigil eo differunt, quod inſomnis eſt, qui dormire volens, morbo, vel curis cogitur vigilare: peruigil vero, qui ex cle-

electione dormire non vult. Dicitur autem inſomnis porticus, vel potius inſomnis iuuentus (portico enim adhęſerat epitheton *Satiers* nec eſt in conſuetudine ſermonis Latini, eidem nomini plura, abſque copula, adiungere epitetha) vigilans, & litterarum ſtudijs occupata. quæ adeo minimè ſomno, vel corporis indulget curationi diligentiam, vt eius videatur habere priuationem eo loquendi modo, quo, eum qui parum habet de forma, ea priuatum dicimus, vt homo dicitur cœcus ſi minus clarè videat. Sic ergo iuuentus inſomnis dicta, quæ, vt ſtudijs vacaret, parum ſonno indulgebat. Sic Virg. 9. Æneid. v. 164.

*Diſcurrunt, variantq; vices, fuſiq; per herbam*
*Indulgent vino, & vertunt crateras ahenos.*
*Collucent ignes, noctem cuſtodia ducit*
*Inſomnem ludo.*

Sic etiam Tacitus 1. Annal. cap. 13. *Nox per diuerſa inquies, quum Barbari feſtis epulis, læto cantu, aut truci ſono, ſubiecta vallium, ac reſultantis ſaltus complerent: apud Romanos inualidi ignes, interruptæ voces, atq; ipſi paſſim adiacerent vallo, oberrarent tentorijs, inſomnes magis, quam peruigiles.*

*QVIBVS*. Perperam nonnulli relatiuum iſtud referunt ad Medos depictos in illa porticu, quaſi eorum contemplatione iuuentus illa detineretur, vt eſſet etiam inſomnis. Sed reuera referendum ad *Quæq docet ſapiens porticus*, nimirum ad decreta tradita ab, vel in illa porticu, à Stoicis philoſophis ibi docentibus. Et vult dicere: Iam nouiſti, quæ ſint placita, & decreta quibus Stoici imbuuntur.

*ET detonſa iuuentus*. Detonſa idem eſt, ac

tonſa, per detractionem lanæ, pili, vel capilli. Hinc Columella lib. 7. cap. 4. ait: [ Tonſuræ certum tempus anni per omnes regiones ſeruari non poteſt, quoniam nec vbique tarde, nec celeriter æſtas ingruit. Et eſt modus optimus conſiderare tempeſtates, quibus ouis, neque frigus, ſi lanam detraxeris, neq; æſtum, ſi nondum detonderis, ſentiat; Verum ea quãdocumque detonſa fuerit, vngi debet tali medicamine. Succus decocti lupini, veteriſque vini fex, & amurca, pari menſura miſcentur, eoque liquamine tonſa ouis imbuitur. ] In nonnullis codicibus legimus *Indetonſa*, quæ lectio licet poſſit ſuſtineri, quia philoſophi ſtudijs mancipati, cultus elegantiam, corporiſque aſpernabantur voluptates, ideoq; capillos tondere, vel componere non curabãt: quia tamen non minorem præ ſe ferunt cultus neglígentiam, qui capillos ad cutem radunt, vt Stoici faciebant, quam qui eos relinquunt intonſos, more aliarum philoſophantium ſectarum. Et alioqui non eſt in conſuetudine caſti ſermonis Latini, eidem rei duo, abſque copula adiungere epitheta, quum iam iuuentuti additum ſit epithetom *Inſomnis*, nõ debebat abſque copula addi aliud, *indetonſa* ideo cum Caſaubono legendum puto. *Et detonſa*, ideſt ad cutem raſa. Siue autem legas *porticus ſapiens, inſomnis indetonſa iuuentus*, ſiue *porticus ſapiens, iuuentus inſomnis, & detonſa*, ſemper in his verbis eſt exergaſia, ſchema quo eadem ſententia alijs exprimitur verbis, de quo ſchemate diximus in Inſtit. Orat. lib. 3. Tract. 3. cap. 1.

*INVIGILAT*, ideſt curat, & ſollicita diligentia

gentia negocio incumbit perficiendo. Sic de apibus ait Virg.4.Georg.verſu 158.

*Namq; aliæ victu inuigilant, & fœdere pacto*
*Exercentur agris.*

Et Ouid.1. Triſt.eleg.4.

*Inuigiles igitur noſtris pro caſibus, oro*
*Diminui ſi qua Numinis ira poteſt.*

Quum vero Stoicorum diſcipuli diligentiam adhiberent, tum in addiſcendis illius ſectæ decretis, tum in practicè exercendis ad mores pertinentia, merito dicti ſunt illis inuigilare.

*SILIQVA* eſt quædam ponderis ſpecies, cuius meminit Q. Rhemnius Fanno Polemon libro de ponderibus verſu 8.

*Semioboli duplex eſt obolus, quem pondere duplo* (*priores*
*Gramma vocant, ſcrupulum noſtri dixere*
*Semina ſex alij ſiliquis latitantia curuis*
*Attribuunt ſcrupulo lentes veraciter octo,*
*Aut totidẽ ſpeltas numerãs, triſteſue lupinos*
*Bis duo, ſed ſi par generatim his põdus ineſſet.*

Aſſerunt enim ſiliquam in hac acceptione continere ſextam ſcrupuli partem, & ſex ſiliquas vnum conficere ſcrupulum, duodeuiginti vero ſiliquas, ſeu tria ſcrupula, drachmam valere: ſcrupula vero quatuor, id eſt ſiliquas vigintiquatuor, eſſe ſextulam, id eſt ſextam vnciæ partem: ſextula namque drachmam continet vnam, & tertiam inſuper illius partem: drachma vero eſt, quam Latini denarium dicunt, niſi cum Agricola dicere velis, ſeptem denarios octo conſtituere drachmas, vnam videlicet vnciam. Sed hæc obiter, quum non ſit ſermo de ſiliqua in hac acceptione, ſed vt

poteſt in cibi vſum venire: Ita vero eſt ſiliqua Græca, κεράτια ab illis dicta, vt illius fructus κερατωνία, de qua ait Plinius lib. 15. cap. 24 *Haud procul à caſtaneis abeſſe uidentur prędulces ſiliquæ, niſi quod in ijs cortex ipſe non manditur: digitorum hominis longitudo illis & interim falcata, pollicari latitudine.* Eſt etiam ſiliqua dicta Syra, ſiue Arabica, quam Arabes Charnulo appellant, de qua Plinius l. 13. c. 8. [ Similis his, (ſico AEgyptiæ,) ſiliqua, quam Iones Cerauniam vocant, trunco & ipſa fertilis, ſed pomo ſiliquæ. Ob id quidam AEgyptiam ficum dixere, errore manifeſto, nō enim in AEgypto naſcitur, ſed in Syria, Ioniaque, & circa Gnidum, atque in Rhodo, ſemper comantibus folijs, flore candido, cum vehementia odoris, plantigera imis partibus, & ideo ſuperficie flaueſcens, ſuccum auferente ſobole. Pomo antecedentis anni, circa canis ortum detracto, ſtatim alterum parit, poſtea florem per arcturum, hyeme fœtus enutriente. ] Sed neque de his ſiliquis eſt nunc ſermo, tum quia vt raræ, & peregrinæ, pretioſiores erant, quam vt venirent in vſum philoſophorum, victum amātibus parcum, ac ſimplicem: Tum quia iſtę potius, quam in cibum, in medicinam venire ſolebant. Siliquæ etiam dicuntur follicula, & integumenta leguminum, quibus hæc intecta naſcuntur, & creſcunt: quæ licet pecoribus, ſiue iumentis gratiſſima ſint in cibo, homini tamen cibus proportionatus non videntur. Ideo puto ſiliquas accipiendas per ſenecdochen partis pro parte, vel per metonymiam continentis, pro leguminibus in

ſiliqua

ſiliqua contentis. Legumina autem ſunt cibus hominis, & facilè parabilis, & ita proportionatus affectantibus ſimplicitatem, vt erant Stoici, & Pythagorici. Hinc Iuu. ſat 3. v. 223.

*Viue bidentis amans, & culti villicus horti*
*Vnde epulum poſſis centum dare Pythagoræis.*

Et idem in fine ſat. 15.

*Pythagoras cunctis animatibus abſtinuit, qui*
*Tamquã homini, et vẽtri indulſit non omne le-* (*gumen.*

Sic idem ſat. 11. verſu 59.

*Sed laudem ſiliquas occultus ganeo, pultes*
*Coram aliјs dictem puero, ſed in aure placẽtas.*

Et Horat. lib. 2. epiſt. 1.

*viuit ſiliquis, & pane ſecundo.*

Et ita iuuentus illa, philoſophiæ canonibus applicata, his ſiliquis, nempe leguminibus facilè parabilibus victitabat.

*POLENTA*, hanc Franciſcus Stellutus ſomniauit fieri ex caſtaneis, & farris farina. Io: vero Antonius Vallo, velle videtur fieri tantum ex farris farina, nec alterius rei meminit: Cato etiam, & Varro, ex hordei farina fieri dicunt. At Plinius lib. 18. cap. 7. ait: [ Polenta pluribus fit modis: Græci perfuſum aqua ordeum, ſiccant nocte vna, ac poſtero die frigunt, deinde molis frangunt. Sunt qui vehementius toſtum, rurſum exigua aqua aſpergant, ſiccentque priuſquam molant. Alij vero virentibus ſpicis decuſſum hordeum, recens purgant, madidumque in pila tundunt, atque in corbibus eluunt, ac ſiccatum ſole, rurſus tundunt, & purgatum molunt. Quocumque autẽ genere præparato, vicenis hordei libris, ternas ſeminis lini, & coriandri ſelibras, ſalíſ-

quę acetabulo, torrentes ante omnia, miſcent in mola. Qui diutius volunt ſeruare, cum polline, ac ſuis furfuribus ſuis, condunt nouis fictilibus. Italia ſine perfuſione, toſtum in ſubtilem formam molit, iiſdem additis, atq; etiam milio. ] Hac vtebantur polenta omnes parci, frugaleique, quales philoſophi cenſebantur. Quod autem iuuenes Stoicorum auditores, dicantur hic paſti grandi polenta, dictum ad ſignandam eorum proſperam valetudinem, temperantiamque, qua non vtebantur ciborum varietate, ſed vnica, licet grandi polenta, & leguminibus contenti, naturali ſatiſfaciebant neceſſitati.

*ET tibi quę Samios diduxit littera ramos, ſurgentem dextro monſtrauit limite callem*. Ordo eſt. Et littera, quæ diduxit ramos Samios, monſtrauit tibi callem ſurgentem dextro limite. Samios à Samo. Samos duæ fuere inſulæ maris Ionij, quarum vna quadraginta quatuor paſſuum millia in circuitu habens, dicta eſt Cephalenia, cuius Vrbs præcipua à Romanis diruta, Samos dicebatur, eiuſque Gentiles Samæi: Sed nunc non eſt de ea ſermo. Alia paſſuum millia habens octuaginta, Iunonem, vt proprium, & ſpeciale colebat numen, quam dicebāt apud ſe natam, educatam, & nuptam, indeque inſula dicta παρθένος à Iunone virgine ibi nutrita. Inſula eſt adeo ferax vt, iuxta Menandrum, poſſis in ea lactis gallinacei hauſtum reperire. Quo prouerbio vſus inter alios Plinius, in proœmio naturalis hiſtoriæ dicens: *Inſcriptionis apud Græcos mira felicitas: κηρίον inſcripſere, quod volebant*

*in-*

*intelligi, ſanū: alij κέρας ἀμαλθείας, vt vel lactis gallinacei ſperare poſſis in volumine hauſtū.* Adagium etiam fuit: Populo Samio nullus litteratior, cuius or go fuit, quia quum Athenienſes, Samios in ſeruitutem redegiſſent, eorum frontibus litteras indiderunt cauterio. In ea inſula fictilia fiebant toto Orbe celeberrima. Inde etiam fuit Sybilla, Samia dicta, quæ inter alia hęc vaticinata eſt: *Tu enim, ſtulta Iudæa, Deum tuum non cognouiſti ludentem mortalium mentibus, ſed ſpinis coronaſti, horridumque fel miſcuiſti.* In hac igitur inſula natus eſt Pythagoras, philoſophiæ Italicæ princeps, de quo ſic Ouidius lib. 15. Metam.

*Vir fuit hic ortu Samius, ſed fugerat vna,*
*Et Samon, & dominos, odioq; Tyrannidis, exul*
*Sponte erat. Iſq; licet Cæli regione remotus,*
*Mente Deos adijt, & quæ natura negabat*
*Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit.*
*Cumque animo, & vigili perſpexerat omnia cura*
*In medium diſcenda dabat cætumq: ſilentum,*
*Dictaq; mirantum, magni primordia mundi,*
*Et rerum cauſas, & quid natura, docebat*
*Quid Deus, vnde niues, quę fulminis eſſet origo.*

Pythagoras igitur Mneſarchi annulorum ſi-ctoris, vel Marmaci filius, Pherecydis Syri primum, & deinde Hermodamantis in patria auditor, commendatitijs Polycratis Samij, ad Amaſim Regem, in Ægyptum profectus, omnem illorum Sacerdotum, etiam arcanam ſapientiam didicit: inde Chaldæos adijt, Aſſyriorumque ſacris initiatus, myſteria penetra-

uit etiam penitiora: alijſque regionibus peragrat s, cum ingenti ſcientiarum theſauro in patriam regreſſus, vbi eam Tyrannide à Polycrate repperit oppreſſam, Tyranni animo nequicquam ſuis perſuaſionibus tentato, in Italiam nauigauit, & ad illam huius regionem quæ, Magna Græcia, dicebatur, domiciliumq; apud Crotoniates fixit, quibus & Metapontinis, eorum rogatu, leges ſcripſit, tanta ſapientia, iuſtitia, & ęquitate temperatas, vt eorum populariuni mores, ad virtutem formati fuerint. Quinimmo Crotoniatæ matronæ, cæteræque mulieres, veſtes pretioſas, gēmas, aurum, & alia laſciuiora mundi muliebris, depoſuerint, quædam etiam obtulerint Iunoni. Demum ſenio confectus, octuagenarius, vel vt alij volunt nonagenarius, apud Metapontum, vrbem nunc dirutam, in ſinu Tarentino ſitam, mortuus, tumulatus fuit. Illud de littera ypſilon, quam humanæ vitæ, eiuſque virtutum, & vitiorum itineribus demonſtrandis accomodauit, illius documentum, inter cætera celeberrimū fuit. Dicebat enim huius litteræ conum, & partem inferiorem, vbi coeunt lineæ, eſſe ætatis initium, quum primum homini lux ſplendet rationis, qua bonum à malo, honeſtum diſcernit à flagitioſo. Voluitque tunc illi proponi, quaſi duo rami huius litteræ, duas vias vitæ quas ducere poſſit, ſiniſtram quidem planam, latam, ac delectabilem, plenam otij, ac voluptatis, paulatim tamen ad loca ducentem decliuia, & ineuitabile præcipitium: & hanc eſſe vitiorum. Dexteram vero in ipſo ingreſſu arctam, & ſale-

lebroſam, ſcopulis impeditam, ac ſpinis ſeptã: ſed quæ paulatim complanetur, facilisque reddatur, ducereque ad felicitatem: & hanc eſſe virtutis, & honeſtatis. De hoc ſic Lactantius lib. 6. cap. 3. *Dicunt, humanæ vitæ curſum ypſilon litteræ eſſe ſimilem, quod vnuſquiſque hominum, quum primum adoleſcentiæ limen attigerit, & in eum locum venerit, vbi ſe via findit in ambas, hæreat nutabundus, ac neſciat in quam ſe partem potius inclinet. Si ducem nactus fuerit, qui dirigat ad meliora titubantem, hoc eſt, ſi aut philoſophiam didicerit, aut aliquid honeſtæ artis, quo euadat ad bonam frugem, quod fieri ſine labore maximo non poteſt, honeſtam, ac copioſam vitam diſputant peracturum. Si vero doctorem frugalitatis non inuenerit, in ſiniſtram viam, quæ melioris ſpeciem mentiatur, incidere, ideſt deſidiæ, inertiæ, luxuriæ ſe tradere. quæ ſuauia quidem videntur, ad tempus, veræ bona ignoranti, poſt autem, amiſſa omni dignitate, ac re familiari, in omnibus miſeryis, ignominiaque victurum.* Matthæi etiam 7. dicitur: *Lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam.* Sic Virgil.

*Littera Pythagoræ diſcrimine ſecta bicorni*
*Humanæ vitæ ſpeciem præſe ferre videtur.*

Et hos appellauit ramos Samios, lineas ſcilicet litteræ ypſilon, quibus Pythagoras Samius dixit figurari humanam vitam, eiuſque virtutis, & vitiorum itinera: non enim Pythagoras eam inuenit litteram, (quam dicunt

grues aues monſtraſſe Palamedi, Troiani belli tempore) ſed ipſe eam ad hunc flexit vſum: & ita rami Samij per metonymiam metalepticam, ſunt lineæ ypſilon, indicantes Pythagoræ virtutis, & vitiorum vias.

*CALLIS* tertię declinationis propriè eſt ſemita, animalium ingreſſu, ſeu pedibus perdurata. Sic Virg. 4. Æn. verſu 402.

*Ac veluti ingentem formicæ farris aceruum,*
*Quum populant, hyemis memores, tectoque reponunt*
*It nigrum campis agmen, prædamq; per herbas*
*Conuectant calle anguſto.*

Sic etiam Cicero pro P. Seſtio ait; [Si M. Petrei non excellens animo, & amore Reip. virtus, non ſumma authoritas apud milites, non mirificus vſus in re militari excitiſſet, neque adiutor ei P. Seſtius ad excitandum Antoniũ, cohortandum, impellendum fuiſſet datus, illo in bello eſſet hyemi locus, neque vnquam Catilina, quum e pruina Apœnini, atque è niuibus illis emerſiſſet, atque æſtatem integram nactus, Italiæ calles, & paſtorum ſtabula præclara cœpiſſet, ſine multo ſanguine, ac ſine totius Italiæ vaſtitate miſerrima cõcidiſſet.] Et quamuis poſſet generaliter accipi pro quacumque via, hic tamen accipitur propriè, nam qui ſurgit, aſper, & confragroſus eſt, beſtiarũ pedibus tritus.

*LIMES* In agrorum diuiſionibus dicebatur duplex linea, quarum quæ ab Ortu excurrebat ad Occaſum, limes dicebatur Decumanus: Cardo vero, quæ à Meridie ad Septemtrionem. Hinc Plinius lib. 18. cap 34. *In me-*

*dia*

*aia linea deſignetur umbilicus: per hunc medium tranſuerſa currat alia, hæc erit ab exortu equinoctiali ad occaſum equinoctialem, & limes qui ita ſecabit agrum, Decumanus vocabitur.* Et eodem lib. 18. cap. 33. *Obſeruato ſolis ortu quocunque libeat die, ſtantibus hora diei ſexta, ſic ut ortum cum à ſiniſtro humero habeant, contra mediam faciem meridiem, à uertice Septentrio erit: qui ita limes per agrum currit, Cardo appellatur*, hoc Virgil. 1. Georg. verſu 125.

*Ante Iouem nulli ſubigebant arua coloni,*
*Nec ſignare quidē, aut partiri limite cāpum*
*Fas erat.*

Erat ergo via iuxta uniuſcuiuſq; agri terminum. Et his vijs, ſiue vicinales forent, ſiue militares, agrorum habebantur diſtinctiones. Et quum viæ limites dici cœpiſſent, eſto propriè limes anguſtior ſit via militari, quæcunque via, etiam non limitaris, limes dicta eſt. Hinc Columella lib. 1. cap. 8. *Villicus, quod ait Cato, ambulator eſſe non debet, nec egredi debet terminos, niſi ut addiſcat aliquam culturam, & hoc, ſi ita in uicino eſt, ut cito remeare poſſit: ſemitas, nouoſque limites in agro fieri, ne patiatur.* Sic Liuius lib. 31. cap. 24. *Philippus aliquanto ante lucem appropinquans urbi, conſpectis luminibus crebris, & fremitu hominum trepidantium (ut in tali tumultu) exaudito, ſuſtinuit ſigna, & conſidere, ac conquieſcere agmen iuſſit, ut aperta propalam uſurus, quādo parum dolus profuerat. Ab Dipylo acceſſit, porta ea, uelut in ore urbis poſita, maior aliquanto patentiorque quàm cæteræ eſt, & intra eam extraque latæ ſunt viæ,*

*& oppidani dirigere aciem à foro ad portam poſſent, & extra limes mille ferè paſſus in Academiæ gymnaſium ferens pediti, equitique hoſtium liberum ſpatium preberet. Eo limite Athenienſes cum Attali præſidio, & cohorte Dioxippi, acie intra portam inſtructa, ſigna extulerunt.* Et hoc modo nunc ſumitur, nempe pro via, licet non limitari, ſiue id factum per ſenecdochen vnius pro alia ſpecie, ſiue per metaphoram proportionalitatis.

*STERTIS adhuc, laxumq; caput, compage ſoluta oſcitat heſternum, diſſutis undique malis.* Verba magiſtri, qui irrumperat hora ferè meridiana in cubiculum dormientis alumni, eúque à ſonno excitauerat. Et poſt multa iam relata verba doctrinæ, nunc interrogat: num vt prius profundè dormiat: quod non eſt ita intelligendum, quaſi diſcipulus adhuc lecto detineretur, & corporaliter dormiret: iam enim dixerat eum ſurrexiſſe, & ſtudendi apparaſſe inſtrumenta, ſed quia eum cernebat abſque animi alacritate ſtudijs incumbere, moraliter dormire videbatur: nam quæ negligenter facimus, dormitantes facere videmur. Quid autem ſit ſtertere, dictum hac eadem ſatyra verſu 3.

*Stertimus indomitum.*

*COMPAGES* ſine, & compago cum incremento, eſt nexus, coniunctio, & compoſitio, vt ſoluere compagem, ſiue compaginem, ſit rem diſſipare, quod innuit Ouid. 1. Metam.

*Arte noua uociſq; Deum dulcedine captum:*
*Hoc mihi colloquium tecum dixiſſe manebit,*
*Atque ita diſparibus calamis, compagine ceræ*

In-

*Inter ſe iunctis, nomen tenuiſſe puellæ.*

Et hoc accidit in oſcitatione, nam partes capitis ſeparari videntur.

*OSCITARE* eſt aperire totum os, ſiue id fiat ex tędio, ſiue ex otio, vel ſonni grauedine. Hic ſignificatur procedere ex ſonno, nato ex negligentia, crapula, & heſterna ebrietate; ſic Lucretius lib. 3. verſu 1074.

*Exit ſæpe foras magnis ex ędibus ille*
*Eſſe domi, quem pertęſum ſit, ſubitoq; reuertit*
*Quippe foris nihilo melius, qui ſentiat eſſe.*
*Currit agens mãnos ad uillã hic pręcipitãter*
*Auxilium tectis quaſi ferre ardẽtibus, inſtãs,*
*Oſcitat extemplo tetigit quum limina uillæ.*
*Aut abit in ſomnũ grauis, atq; oblinia quęrit,*
*Aut etiam properans Vrbem petit, atq; reuiſit.*

Sic Gellius lib 4 cap. 20. [ Deliberatum eſt de nota eius, qui ad Cenſuram ab amico aduocatus eſt, & in iure ſtans, clarè nimis, & ſonore oſcitauit, atque inibi prope, vt plecteretur fuit, tamquam illud indicium vagi animi foret, & hallucinantis, & fluxæ atq; apertę ſecuritatis. Sed quum ille deieraſſet inuitiſſimum ſeſe, ac repugnantẽ oſcitatione victum, tenerique eo vitio, quod obcedo appellatur, tum notæ iam deſtinatæ, exemptus eſt.]

*DISSVERE* componitur ex De, negatiuo, & verbo ſuere, quod ſignificat ſarcire, compingere, & concinnare; ſic Cicero 1. de Officijs: [ Qui ad naturæ ſuæ non vitioſæ genus, conſilium vitę omne contulerit, is conſtantiam teneat, id enim maximè decet, niſi fortè ſe erraſſe intellexerit in deligendo genere vitæ: quod ſi acciderit (poteſt autem accidere)

ſa-

facienda morum inſtitutorumq; mutatio eſt. Eam igitur mutationem, ſi tempora adiuuabunt, facilius, commodiuſq; faciemus: ſin minus, ſenſim erit pedetentimque facienda, vt amicitias, quæ minus delectant, & minus probantur, magis decere cenſent ſapientes, ſenſim diſſuere, quam repentè præcidere ] Et idem in Lælio ait: Eſt quaſi quædam calamitas in amicitijs dimittendis, nonnumquam neceſſaria (iam enim à ſapientum familiaritatibus ad vulgares amicitias oratio noſtra delabitur) erumpunt ſæpe vitia amicorum, tum in ipſos amicos, tum in alienos, quorum tamen ad amicos redundet infamia. Tales igitur amicitiæ ſunt remiſſiore vſu eleuandæ, & vt Catonem dicere audiui, diſſuendæ magis, quā diſcindendæ ſunt, niſi quædam admodum intolerabilis iniuria exarſerit, vt neque rectum, neque honeſtum ſit, neque fieri poſſit, vt non ſtatim alienatio, diſiunctioque facienda ſit.] Diſſuere ergo eſt auferre connexionem, ſeu compaginationem, vel reſoluere compoſitionem, vt ferè fieri videmus in oſcitatione, qua adeo os aperitur, vt malæ ab inuicem diſiungi videantur, ideo dicit diſſutis malis.

*MALAE* dictę à rotunditate, quà malum, pomum imitātur. De eis ita Plin. l.b.11.c.37. *Infra oculos, malę, homini tantum, quas priſci genas vocabant, duodecim tabularum interdicto, radi à fœminis, eas vetantes: pudoris hęc ſedes, ibi maximè oſtenditur rubor.* Eas Virgil. equis tribuit 3.Georg. verſu 267

*Sci licet ante omnes furor eſt inſignis equarum*
*Et mentē Venus ipſa dedit, quo tēpore Glauci*

*Po-*

*Potniades malis mẽbra abſumpſere quadrigę.* Vbi quadrigæ Potniades intelliguntur equæ, quæ ad agitandas quadrigas nutreibantur in ciuitate Potnia; & hæ malis, ideſt mandibulis, abſumpſerunt membra Glauci eas cohibentis à coitu, quo eſſent velociores. Nisi mauis Glaucum aſſuefeciſſe ſuas equas humanis paſcere carnibus, vt auidius hoſtem appeterent; & quum is cibus defeciſſet, equas morſus in dominum conuertiſſe. Potnia autem eſt oppidum Magneſiæ, annexæ Theſſaliæ, egregiorum equorum feraci. Malę autem à maxillis dictæ putantur, abiecta media ſyllaba, vt æthymologici factum dicunt in alijs dictionibus, & voluit Cicero in Oratore ad Brutum dicens: *Verba ſępe contrahuntur, non uſus cauſa, ſed aurium; quomodo enim ueſter axila, ala factus eſt, niſi fuga litterę uaſtioris? Quam literam etiam è maxillis, è taxillis, & uexillo, & paxillo, conſuetudo elegans Latini ſermonis euellit.* Sunt autem malæ, faciei pars anterior, eminens inter os, naſum, & oculos, quæ dicuntur etiam genæ, ſi Plinium auſcultemus iam relatum. At Feſtus vult, Genas iuxta Ennium eſſe palpebras, citatque hunc Ennij verſum:

*Pãdite ſulti' genas, & corde relinquite ſomnũ.*

Sed alij putant eas partes, quæ ſunt ſub oculis dici genas, immo Pacuuius innuit genas eſſe, qua barba primum oritur, nam ait: *Nunc primum opacat flore lanugo genas.* Et conſonat ethymologia, nam videntur dictæ genę, quia genent, ideſt generent, & gignant lanuginem. At Plinius lib. 11. cap. 37. ait: [ Quibus fragilia

gilia operimenta, ijs oculi duri: omnia talia, & piſces, & inſecta, non habent genas, nec integunt oculos. Omnibus membrana vitri modo translucida obtenditur. Palpebræ in genis homini, vtrimque: mulieribus etiam infectæ quotidiano. Tāta eſt decoris affectatio, vt tingantur oculi quoque. Alia de cauſa hoc natura dederat, ceu vallum quoddam viſus, & prominens munimentum contra occurſantia animalia, aut alia fortuito incidentia. Defluere eas haud immerito Venere abundantibus tradunt. Ex cæteris nulli ſunt, niſi quibus, & in reliquo corpore pili. Sed quadrupedibus in ſuperiore tantum gena, volucribus in inferiore, & quibus molle tergus, & ſerpentibus, & quadrupedum, quæ oua pariunt, vt lacertæ. Struthio camelus alitū ſola, vt homo vtrinq; palpebras habet. Nec genæ quidem omnibus, ideo neque nictationes ijs, quæ animal generant. Grauiores alitum inferiore gena conniuent: eædem nictantur, ab angulis membrana obeunte. Columbæ, & ſimilia, vtraque conniuent, at quadrupedes, quæ oua pariunt; vt teſtudines, cocodrili, inferiore tantum ſine vlla nictatione, propter præduros oculos. Extremum ambitum genę ſuperioris, antiqui Cilium vocauere, vnde & ſupercilia. Hoc vulnere aliquo diductum, non coaleſcit, in paucis humani corporis membris. Infra oculos malę, homini tantum, quas priſci genas vocabant, duodecim tabularum interdicto radi à fœminis eas vetantes: pudoris hæc ſedes, ibi maximè oſtenditur rubor. Infra eas hilaritatem riſumque indicantes buccæ. ] Sæpius

malæ

malæ in numero dicuntur multitudinis, ac Plautus in ſingulari protulit Amphitruone, Actu 1. ſcena 1.

*peſſimum eſt*
*Facinus, nequiter ferire malam malè diſcit manus.*

Sed in pluratiuo Trinummo Actu 2. ſc. 4.

*at pol ego, etiã ſi vetet, edam, atq; ambabus*
*Malis expletis vorem, & quod illi placeat, præripiam potiſſimum.*

Sic Virgil. 5. Æneid. verſu 435.

*erratq; aures, & tempora circum*
*Crebra manus, duro crepitãt ſub vulnere malę.*

Has ergo malas, ſeu maxillas, vel genas diſſuere, aut diſcindere videntur, qui per oſcitationem valdè os aperiunt.

*EST aliquid quo tendis, & in quod dirigis arcum, an paſſim ſequeris coruos testaq; lutoq; ſecurus, quo pes ferat, atque ex tempore viuis?* Quaſi philoſophus diſcipulum interrogat, nũ genus elegerit vitæ, quo ſit v ſurus, vt ad vltimum beatitudinis finem poſſit peruenire? an deſultoriè vagus, & fluctuans, nunc hac procedat, nunc illac, abſque certo ſuarum operationum ſcopo. Eſt autem duplex finis, Quo videlicet, & Qui: Finis Quo eſt operatio, qua quis nititur adipiſci finem Qui: & eſt multiplex, quia vt ait Boetius 3. de Conſolat. proſa 2. *Omnis mortalium cura, quam multiplicum ſtudiorum labor exercet, diuerſo quidem calle procedit, ſed ad vnum tamen beatitudinis finem, nititur peruenire.* Et poſt pauca *Hunc, finem Qui, vt diximus, diuerſo tramite, mortales omnes conantur adipiſci.* Finis vero Qui, dictus.

ctus Cuius, nempe, cuius gratia omnia fiunt, de vero loquendo, non eſt niſi vnus obiectiue, Deus & ſummum bonum, & formalis adeptio vel fruitio ſummi boni, quo adepto nihil ſupereſt appetendum, nam cuncta in ſe continet bona, nam ſi aliquod abforet, quũ poſſet illud concupiſci, quęcũq; alia habita nõ ſatiarẽt, & ita habens non foret beatus. Radix ergo omnis mali moralis, eſt incogitantia de fine, nam huius conſtitutio eſt fons officiorum totius vitæ, nam illo rectè conſtituto, omnia ritè procedunt, & ſi quid in eo peccatum fuerit, operationes omnes peruertuntur. Hinc Cicero 5. de finibus ait: *Facit igitur Lucius noſter prudenter, qui audire de ſummo bono potiſſimum velit, hoc enim conſtituto in philoſophia, conſtituta ſunt omnia: nam cæteris in rebus, ſiue prætermiſſum, ſiue ignoratum eſt quidpiam, non plus incommodi eſt, quam quanti quæque earum rerũ eſt, in quibus neglectum eſt aliquid. Summum autem bonum ſi ignoretur, viuendi rationem ignorare neceſſe eſt, ex quo tantus error conſequitur, vt quem in portum ſe recipiant, ſcire non poſſint. Cognitis autem rerum finibus, quum intelligitur quid ſit, & bonorum extremum, et malorum, inuenta vitæ via eſt, conformatioque omnium officiorum: eſt igitur, quo quidque referatur, ex quo id, quod omnes expetunt, beatè viuendi ratio inueniri, & comparari poteſt.* Et Seneca epiſt. 95. *Proponamus oportet finem ſummi boni, ad quem omne factum noſtrum, dictumque reſpiciat, veluti nauigantibus ad aliquod ſidus dirigendus eſt curſus: vita, ſine propoſito, vaga eſt.* Et idem Seneca de vita beata cap. 1. inquit,

*Pro-*

*Proponendum eſt primum, quid ſit, quod petamus, tunc circumſpiciendum eſt, quà contendere illo celerrimè poſſimus, intellecturi in ipſo itinere, ſi modo rectum erit, quantum quotidie profligetur, quantoque propius ab eo ſimus, ad quod nos cupiditas naturalis impellit. Quamdiu quidem paſſim vagamur non ducem ſecuti, ſed fremitum, & clamorem diſſonum in diuerſa vocantium, conteritur vita inter errores breuis, etiam ſi dies, noctesque bonæ menti laboremus. Decernatur itaque, & quo tendamus, & qua, non ſine perito aliquo, cui explorata ſint ea in quæ procedimus.* Hinc philoſophus iſte, videns alumnum negligenter viuere, & refugere exercitia virtutis, & ſapientiæ, ab eo quærit, num cogitauerit de fine ſuarum operationum, quod eſt quærere, an operaretur vt homo. Solus enim homo ſe mouet in finem à ſe cognitum; inferiores vero creaturæ quæcumque, in finem ſibi incognitum mouentur ab authore naturæ: ideo ſi homo operetur abſque finis intentione, non humanè, ſed brutaliter operatur. Et quod dicit *Dirigis arcum*, metaphora eſt ducta a ſagittarijs: ſed arcum poſuit per metonymiam inſtrumenti, non enim arcus, ſed per ipſum ſagitta in ſcopum dirigitur, & emittitur.

*PASSIM*, ſi ethymologiam ſpectes, ſignificat aliud ab vbique: eſt enim quaſi ſparſim, & per ſingulos paſſus, vt ſpatium relinquatur medium, a quo minimè ſit id, quod paſſim eſſe dicitur. Quod vero eſt vbique, nullum relinquit ſpatium vacuum, & non occupatum: vt pecora paſſim dicuntur eſſe in agris, eſt

enim

enim ſpatium inter illa: herba vero plurimũ eſt vbique, quando omne occupat ſolum. Sic Cic. pro M. Fonteio *Sic exiſtimatis eos hic ſagatos, braccatoſque verſari animo demiſſo, atque humili, vt ſolent hi, qui affecti iniurijs ad opem iudicum ſupplices, inferioreſque confugiunt? Nihil vero minus: hi contra vagantur læti, atque erecti paſſim toto foro cum quibuſdam minis & barbaro, atque immani terrore verborum.* Nihilominus ſæpe paſſim ſumitur pro ſemper, aut vbique. Vnde paſſim loqui, currere, eſt in omni negotio, & operatione, agere inconſiderate.

*SEQVERIS cornos teſtaque, lutoque.* Alludit ad prouerbium *coruos inſequeris.* Corui enim ſunt inſtabiles, huc, & illuc tranſuolantes, vt qui eos inſequatur, conſtantiam ſeruare nequeat. Sequi autem coruos teſta, & luto, eſt inconſiderate agere. Certum enim eſt coruos, & alia ſimilia, luto vel teſta capi, & necari non poſſe: vnde cum tali apparatu eos inſequitur, non conſiderauit illorum naturam, nec ſuam facultatem, & ita ſtulte ſe gerit, abſque finis cognitione, dictante electionem conuenientium mediorum: teſta autem, & lutum, non ſunt media proportionata captiuæ, vel neci auium.

*SECVRVS*, vt diximus ſupra verſu 26. *ſecunda patella*, eſt tranquillus, ſine cura ſollicitudine & anxietate; ſic Cicero lib. 10. epiſt. 24. *quod ſi aut ſe Caſar reſpexerit, aut Africanæ legiones celeriter venerint, ſecuros nos ab hac parte reddemus.* Sed quandoque ſecurus eſt temerarius, periculi contemptor. Sic Virgil. lib. 1. Æneid. v. 350.

Re-

*Regna Tyri germanus habebat*
*Pygmalion, ſcelere ante alios immanior, omnes,*
*Quos inter medius venit furor, ille Sichæum*
*Impius ante aras, atque auri cæcus amore*
*Clam ferro incautum ſuperat, ſecurus amorum*
*Germanæ.*

Sed hic ſecurus ſumitur propriè pro incurioſo, inconſiderato, & negligente, qui nihil angebatur de eo, quod accidere poterat.

*EXTEMPORE viuis.* Idem eſt eſſe ſecurum quo pes ferat, & viuere extẽpore, vnde interuenit hic Epimone, & Exergaſia, ſiue Expolitio, de qua in Inſtit. Orat. lib. 3 Tract 3. cap. 1. Viuere ergo extempore, eſt viuere abſq; cura, & conſideratione futuri, quaſi abſque temporis commoditate. Et qui ſic viuit, tam facilè cœptum omittit opus, quam abſque præmeditatione inchoauerat, eorum prorſus more, qui nullum ſibi finem conſtituerant, vt dixit Seneca lib. de Tranquill. animi cap 12. [ ſine propoſito vagantur quærentes negocia, nec quæ deſtinauerunt agunt, ſed in quæ incurrerunt. Inconſultus illis, vanuſque curſus eſt, qualis formicis per arbuſta repentibus, quæ in ſummum cacumen, deinde in imum inanes aguntur. His plerique ſimilem vitam agunt, quorum non immerito quis inquietam inertiam dixerit. Quorumdam quaſi ad incendium currentium miſereberis, vſque eo impellunt obuios, & ſe alioſque præcipitant, quum interim cucurrerint, aut ſalutaturi aliquem non reſalutaturum, aut funus ignoti hominis proſecuturi, aut iudicium ſæp. litigantis, aut ſpon-

ſponſalia ſæpe nubentis, & lecticam aſſectati, quibuſdam locis, & ipſi tulerint; deinde domum cum ſupervacua redeuntes laſſitudine, iurant neſciſſe ſeipſos quare exierint, vbi fuerunt, poſtero die erraturi per eadem illa veſtigia. Omnis itaque labor aliquo referatur, aliquo reſpiciat.] Viuere ergo ſecurum quo pes ferat, vel extempore, proprium eſt vagantium ſine propoſito, nec cogitationem extendere vltra præſentem diem, contra quod monet Cicero dicens in 2. de Oratore: *Barbarorum eſt in diem viuere, noſtra conſilia ſempiternum tempus ſpectare debent.* Qui tamen, vt Academicus, oppoſitum docet lib.5. Tuſculanarum dicens: *Tu tabellis aſſignatis agis mecum. & teſtificaris quid dixerim aliquãdo, aut ſcripſerim. Cum alijs iſto modo, qui legibus impoſitis diſputant. Nos in diem viuimus, quodcumque noſtros animos probabilitate percuſſit, id dicimus, itaq; ſoli ſumus liberi.*

*HELLEBORVM fruſtra, quũ iam cutis ægra tumebit poſcentem videas: venienti occurrite morbo & quid opus Cratero magnos promittere montes?* Docet, quæ mala imminent ſapientiæ contemptoribus, quæ nullo negotio per philoſophiam poterant vitari. Mala enim quibus à principio facilè mederi poterat, quum tempore conualuerint, fixerintque radices, vix, & aliquando ne vix quidem, redduntur medicabilia, iuxta illud Ouidij lib.1. de Remedio:

*Principijs obſta: ſero medicina paratur,*
*Quum mala per longas conualuere moras,*
*Sed propera, nec te venturas differ in horas,*
*Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.*

Idque

Idque Perſius expreſſius declarauit, ſubiungens eum fruſtra opem poſcere à medico, cuius morbus tempore obduruit. Vt enim rectè Theognis monuiſſe dicitur *Pharmaca naſcenti ſunt adhibenda malo*. Quod & Q. Serenus Samonicus præcipit lib. de præceptis medicinæ cap. 8. dicens

*Non ſemper præſens dolor eſt ſanabilis, ergo*
*Cura magis prodeſt, venturis obuia morbis.*

Helleborum autem quid ſit, dictum eſt ad illa verba ſatyræ 1. verſu 50.

*Non hic eſt Ilias Acci ebria veratro.*

De eo Horatius 2. ſer. ſat. 3.

*Danda eſt hellebori multo pars maxima auaris,*
*Neſcio an Anticyram ratio illis deſtinet omnē.*

Nominat autem helleborum per ſynecdochen vnius ſpeciei pro alia, pro ea pharmaci ſpecie qua purgatur hydropis: hydropiſin enim paraphraſticè deſcribit, quum ait: *cutis ægra tumebit*. De quo morbo ſic Celſus lib. 3. cap. 21. *Morbus longus fieri poteſt eorum, quos aqua inter cutem male habet, niſi primis diebus diſcuſſus eſt, ὕδερον Græci vocant, atque eius tres ſpecies ſunt: nam modo ventre vehementer intento, creber intus ex motu ſpiritus ſonus eſt: modo corpus inæquale eſt, tumoribus aliter, aliterque per totum id orientibus: modo intus in vnum aqua contrahitur, & moto corpore ita mouetur, vt impetus eius conſpici poſſit. Primum* τυμπανίτην, *ſecundum* λευκοφλεγματίαν ὑποσάρκα: *tertium* ἀσκίτην *Græci nominant. Communis tamen omnium eſt humoris nimia abundantia, ob quam ne vlcera quidem in his ægris facilè ſaneſcunt. Sæpe vero hoc malum per ſe in-*

*cipit, ſæpe alteri vetuſto morbo, maximèq; quartanæ, ſuperuenit. Facilius in ſeruis, quam in liberis tollitur, quia quum deſideret famem, ſitim, mille alia tædia, longamque patientiam, promptius his ſuccurritur, qui facilè coguntur, quam quibus inutilis libertas eſt.* Hydropiſi autem non medetur helleborum, pharmacum enim ex eo factum, adhibetur purgandis morbis grauiſſimis, obſidentibus principem animę facultatem, & cauſantibus phrenitim, morbũ comitialem, & ſimiles, eſto etiam humori ſubcutaneo adhiberi vtiliter poſſit, vt non ſit opus ſenecdoches. Et eſt ſenſus: Fruſtra medicum implorat ille, cuius cutẽ hydropis extendit, ſeu in quo hic morbus inualuit.

*CRATERVS* fuit egregius inter Magni Alexandri duces, Philotæ æmulus, de quo Curtius lib. 6. & alij, ſed non eſt nunc de eo ſermo. Craterus etiam fuit Auguſti temporibus inſignis medicus, de cuius experimentis hæc inter alia refert Porphyrius Tyrius. Crateri medici ſeruus, nouo, & inuſitato morbo affectus, carne ab oſſibus diuulſa, ac diſtracta, pharmacis quidem nihilo melius habuit; ſed vipera in piſcem conformata, & comeſa, conualuit, carne de integro conglutinata. De eo Horat. lib. 2. ſer. ſat. 3.

*Quiſnam igitur ſanus? Qui non ſtultus. Quid auarus?*
*Stultus, & inſanus. Quid ſi quis non ſit auarus,*
*Continuo ſanus? Minimè. Quur Stoicè? Dicam.*
*Non eſt cardiacus, Craterum dixiſſe putato,*
*Hic æger: rectè eſt igitur, ſurgetque? negabit,*
*Quod latus, aut renes morbo tententur acuto*

Non

*Non eſt periurus, neq; ſordidus: immolet æquis*
*Hic porcum Laribus. Verum ambitioſus, & audax* *(throne,*
*Nauiget Anticyram, quid enim differt bara-*
*Dones quidquid habes, an numquam vtare paratis?*

Et eſt ſenſus: etiam ſi omnis auarus, ſit ethicè æger, & non ſanus, non tamen ſequitur, eum qui non ſit auarus, eſſe ſapientem, quum poſſit eſſe luxurioſus, elatus, ambitioſus, Tyrannus, vel alio vitio inquinatus. Sicut etiam ſi quis, ex infallibili Crateri obſeruatione, non ſit cardiacus, ideſt infectus morbo cor & ventriculum torquente, non continuo erit ſanus, quum poſſit eſſe calculoſus, ethicus, aut leproſus, vel alio infectus morbo. Craterus autem hic poſitus eſt pro quouis medico, cui æger, auri, vt dici ſolet, montes, ingentia ſcilicet promittit præmia, ſi eum ſanitati reſtituat, quum facilius potuiſſet in eum non incidere morbum, ſi, ſanus exiſtens, ſuæ curam habere valetudinis voluiſſet, & à noxijs, morbumque arceſſentibus, abſtinere. Eo prouerbio vſus inter alios Salluſtius in Catilinario dicens: *Erat et* Q. Curio, *cum Fuluia nobili muliere, ſtupri vetus conſuetudo, cui, quum minus gratus eſſet, quod, inopia minus largiri poterat, repente glorians, maria, monteſque polliceri cœpit.* His autem verbis poeta intendit, decora quadam admonere ſimilitudine, ne ſenectutem expectet ille, qui ſapientia vult imbui, quin potius totis viribus in adoleſcentia eſt illi incumbendum, alioquin vt ait Horat. lib. 1. epiſt. 2.

*Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem Teſta diu.*

*DISCITE ò miſeri, & cauſas cognoſcite rerum. Quid ſumus, aut quidnã victuri gignimur? Ordo quis datus? Aut metę, quam mollis flexus, & unde? Quis modus argento? Quid fas optare. Quid aſper vtile nũmus habet, Patrię chariſq; propinquis quantum elargiri deceat. Quem te Deus eſſe iuſſit? & humana qua parte locatus es in re.* Quemadmodum vnuſquiſque præmunire ſe debet aduerſus inſtātes corporis ægritudines, ita, & multo magis, prouidenda ſunt amuleta, quibus mens præmuniatur, roboreturque contra aduerſariorum, ſiue mundi, carnis, & dęmonis, ſiue fortunę proſpera, & aduerſa, ſiue aliarum quarumcumque poteſtatum, machinationes, vt in omnibus ſtet animus inconcuſſus. Remedia autem aſſerit hic, petenda eſſe ex philoſophia, aſſerta magiſtra vitæ, morumq; formatrice, & quæ eſt ad beatã vitã recta, & infallibilis via. Ideo hic inuitat omnes, prædicans vtilitates, quas quilibet ex illius cognitione percipere poterit. Ad quem finem, ferè totam moralem diſciplinam, in quædam diſtribuit capita, ad quę addiſcenda arceſſit miſeros, expertes ſcilicet ſcientiarum, & virtutum, nam apud Stoicos, præter ſapientem, omnes ſunt miſeri. Ait ergo: Cauſas cognoſcite rerum: vt namq; mortales omnes, & in primis adoleſcentem alumnum à miſeria liberet, introducat ad beatitudinem, cauſas monet inueſtigandas: cauſas inquam, nedum rerum naturalium, quarum ſcientia bona eſt, de qua Seneca qu.natur. l.6.c.3. ait; Quum

*Quum timendi ſit cauſa, neſcire, non eſt tanti ſcire, ne timeas? Quanto ſatius eſt cauſas inquirere, & quidem toto in hoc intentum animo? neque enim illo quidquam inueniri dignius poteſt, cui ſe non tantum commodet, ſed impendat.* Sed etiam actionum humanarum, ſiue moralium, ideſt de rebus vitandis, & expetendis, quæ viuendi cauſæ nominantur à Iuue. ſat. 8. v. 80.

*Summum crede nefas animã præferre pudori,*
*Et propter vitam viuendi perdere cauſas.*

De quibus, & virtute, a qua omnis officiorum ratio dimanat, ait Lucilius relatus à Lactantio lib. 6. cap. 5.

*Virtus, Albine, eſt pretium perſoluere verum.*
*Queis in verſamur, queis viuimus rebus adeſſe.*
*Virtus eſt homini ſcire id, quod quæque habeat res* (neſtum,
*Virtus ſcire homini rectum, vtile, quid ſit ho-*
*Quæ bona, quæ mala item, quid inutile, turpe inhoneſtum.*
*Virtus quærendæ finem rei, ſcire modumq;*
*Virtus diuitijs pretium perſoluere poſſe*
*Virtus, id dare, quod reipſa debetur, honori*
*Hoſtem eſſe, atq; inimicum hominum morumq; malorum*
*Cõtra defenſorem hominum, morumq; bonorum*
*Hos magnifacere, his bene velle, his viuere amicum.*
*Commoda præterea patriæ, ſibi prima putare*
*Deinde parẽtum, tertia iam poſtremaq; noſtra.*

*QVID ſumus.* Hoc eſt primum caput, & prima moraliter viuendi cauſa, ex qua rectificãdæ ſunt hominis actiones, cognoſcere quemlibet quid ſit. Hinc iure ab Oraculo laudata ſen-

ſententia illa γνῶθι σεαυτόν. [Noſce teipſum (nam vt Cicer. 5. quæſt. Tuſculan.) Hæc tractanti animo, & noctes, & dies cogitanti, exiſtit illa à Deo Delphis præcepta cognitio, vt ipſa ſe mens vitijs exutam cognoſcat, coniunctamque cum diuina mente ſe ſentiat, ex quo inſatiabili gaudio compleatur. Ipſa enim cogitatio de vi, & natura Deorum, ſtudium incendit illius æternitatis imitandę, neque ſe in breuitate vitæ collocatam putat, quum rerum cauſas alias ex alijs aptas, & neceſſitate nexas videt, quibus ab æterno tempore fluentibus in æternum, ratio tamen menſque moderatur. Hæc ille intuens, atq; ſuſpiciens, vel potius omnes partes, oraſq; circumſpiciẽs, quanta rurſus animi tranquillitate, humana, & citeriora conſiderat? Hinc illa cognitio virtutis exiſtit; efflo eſcunt genera, parteſque virtutum, inuenitur quid ſit, quod natura ſpectet extremum in bonis, quod in malis vltimum, quo referenda ſint officia, quæ degendæ ætatis ratio deligenda. Quibus, & talibus rebus exquiſitis, hoc vel maximè efficitur, quod in hac diſputatione agitamus, vt virtus ad beatè viuendum ſit ſeipſa contenta.] Qui etiam lib. 4. de Fin. ait: Primum poſitum ſit noſmetipſos commendatos eſſe nobis, primamque ex natura hanc habere appetitionem vt conſeruemus nõſmetipſos. Hoc conuenit. Sequitur illud, vt animaduertamus, Qui ſimus ipſi, vt nos, quales oportet eſſe ſeruemus; Sumus igitur homines, ex animo conſtamus, & corpore, quæ ſunt cuiuſdam modi, noſque oportet, vt prima appetitio naturalis poſtulat

hæc

hæc diligere, conſtituereq; ex his finem illum ſummi boni, atque vltimi. ] Sic Seneca ep. 95. Quid agimus? quæ damus præcepta? Vt parcatur ſanguini humano? Quantulum eſt ei nō nocere, cui debeas prodeſſe? Magna ſcilicet laus eſt, ſi homo manſuetus homini eſt. Præcipimus, vt naufrago manum porrigat, erranti viam monſtret, cum eſuriente panem ſuum diuidat? Quando omnia, quæ præſtanda ſunt, ac vitanda dicam, quum poſſim breuiter hanc formam humani officij tradere? Omne hoc, quod vides, quo diuina, atque humana concluſa ſunt, vnum eſt, membra ſumus corporis magni, natura nos cognatos edidit, quum ex iiſdem, & in eadem gigneret: hæc nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit. Illa æquum iuſtumque compoſuit: ex illius conſtitutione miſerius eſt nocere, quam lædi, & illius imperio paratæ ſunt manus ad iuuandum. Iſte verſus, & in pectore, & in ore ſit:

*Homo ſum, humani nihil à me alienum puto.*
Habeamus in commune, quod nati ſumus. Societas noſtra, lapidum fornicationi ſimillima eſt: quæ caſura, niſi inuicem obſtarent, hoc ipſo ſuſtinetur. ] Sed quum homo, vt ex Cicerone retulimus, anima conſtet, & corpore, dubitari poteſt, num eius præſtantia ſit maior, an vanitas. Ad animam enim reſpiciens Epictetus ait, apud Arianum lib. 2. Omnia animantium genera Dei eſſe operam, ſed vnum hominem eſſe opus illius præcipuum, cuius gratia cætera ſunt creata. Illa non habere Deum intra ſe, ſicut habet homo, qui illum ſecum circumfert; ideo homo non debet obli-

uiſci ſuæ nobilitatis, ſed quidquid dicat, aut faciat, debet meminiſſe Deum eſſe præſentem, non illum ex auro, vel argento, quem forte geſtat, ſed quem intus, & in animo ſuo quiſq; hominum circumfert. Peſſime vero illi ſibi conſulunt, qui impuris cogitationibus, & actionibus ſordidis, illum polluunt, vnde Xenophon lib. 8 Cyropædiæ ait: *Non enim ſane hoc videmini noſſe dilucide, nihil amplius eſſe, quum ab humana vita deceſſero. Nam ne nunc quidem animum meum videbatis, verum ex his, quæ agerent, eum eſſe cernebatis. Animos vero eorum, qui iniuriam paſſi ſunt nondum didiciſtis, quos metus, ſceleratis, parricidis, inyciunt, quas vltrices affectiones in nefarios immittunt. Vita autem functis putatiſne honores fuiſſe ad nos duraturos ſi eorum animi nullius rei ius haberent? Nullo modo ego fily, ne hoc quidem mihi vnquam perſuaſi, vt animus viuat, donec fuerit in corpore mortali, quum vero ab hoc ſolutus fuerit, moriatur. Video enim eum corpora mortalia quantum temporis in his ſit, viua præſtare: Neque ſane animus, mea ſententia, ſtupidus eſt atq; inſipiens, quum ſeparetur à ſtupido, inſipientique corpore, ſed quum mens mera, ac pura ab eo diſcreta fuerit, tum etiam conſentaneum eſt ipſam maximè & vigere, & ſapere. Quum vero homo diſſoluitur, minimè eſt obſcurum abire ſingula ad cognatam ſpeciem, ac ſuam, animo tamen excepto, qui ſolus neque dum adeſt, neque dum abeſt uidetur.* Ad corpus vero attendens dixit Seneca de Conſol. ad Marciam cap. 11. *Et quæ veneraris, & quæ deſpicis vnus exequabit cinis.* Hoc iubet illa Pythicis oraculis adſcripta vox: *Noſce te.*

Quid

*Quid eſt homo? quodlibet quaſſum vas, & quodlibet fragile. Iactatu, non tempeſtate magna, ut diſſiperis eſt opus Vbicumque arietaueris, ſolueris. Quid eſt homo? imbecillum corpus, & fragile, nudum, ſuaptè natura inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunę contumeliam proiectum. quum bene lacertos exercuit cuiuslibet feræ pabulum, cuiuslibet victima, ex infimis fluidiſque contextum, & lineamentis exterioribus nitidum, frigoris, æſtus, laboris impatiens, ipſo rurſus ſitu et otio iturũ in tabẽ, alimẽta metuens ſua, quorum modo inopia, modo copia rumpitur, anxiæ, ſollicitæque tutelæ precarij ſpiritus, & malè hærentis; quã parum repentinum audiet ex improuiſo ſonus auribus grauis excutit, ſoli ſemper ſibi nutrimentum vitioſum, & inutile.*

Itaque homo animal eſt rationale, atque mortale, ex anima conſtãs, & corpore. Et quidem anima cum intelligentijs, & ipſo Deo quodammodo communicat, ad ipſius formatus imaginem, atque ſimilitudinem. Eſt enim anima ſpiritualis, immortalis, incorporea, & beatitudinis, in aperta Dei viſione conſiſtentis, capax. Corpore vero idem homo ex limo terræ compoſitus eſt, nec aliud quam vmbra, & cinis: fortunę pila, ęgritudinibus, & paſſionibus obnoxius, elementaribus qualitatibus alterabilis, interitui deſtinatus. Quod ſi hæc & ſimilia homines mente reuoluerent, præcipuam haberent animæ excolendæ curam, vt eam virtutibus ornarent, quibus ad beatitudinem iter ſibi expedirent. Verum hęc non attendentes, toti circa corpus occupantur: indeq; fit vt infælices viuant, & vt toti demum moriantur.

*QVIDNAM uicturi gignimur.* Secunda moralium actionum cauſa, eſt attendere, quæ ſit durationis noſtræ menſura. Et quum durationis menſuræ ſint tres, quarum prima eſt æternitas, quæ eſt ſtabilis, & tota ſimul, principio carens & fine, menſuratque res immutabiles tam ſecundum eſſe, quam ſecundum operationem. Et hęc eſt per eſſentiam propria ſolius Dei, in quem nulla cadere poteſt viciſſitudo, aut tranſmutatio: ſed participatur ab aliquibus Diuinis, creaturæ rationalis, ſiue intellectualis, operationibus, quæ participata æternitate menſurari dicuntur, vt à viſione beatifica, quæ eſt tota ſimul, nam in ea, ſemel habita, nemo creſcere poteſt, nec ab habita vnquam deficere. Secunda eſt æuum, menſurans res immutabiles ſecundum eſſe, mutabiles vero ſecundum operationem. Et menſurat Angelos, animam humanam, &, iuxta probabilem opinionem, etiam corpora Cœleſtia. Omnia enim hæc, quoad ſubſtantiam quidem ſunt incorruptibilia, ſed operationum habent viciſſitudines. Tertia eſt tempus, quod menſurat res variabiles tam ſecundum ſubſtantiam & eſſe, quam ſecundum operationes, cuiuſmodi ſunt omnia ſublunaria, dempta ſola ſubſtantia animę rationalis, quæ menſuratur æuo. Vnde quum corpus noſtrum ſit compoſitum ex elementis ſublunaribus, menſura illius & noſtra propria, eſt tempus: ideo, quoad corpus, & totum compoſitum, variabiles & corruptibiles ſumus; incorrupta manente animæ ſubſtantia menſurata æuo. Et ſi hæc cogitaremus, animæ magis, quam corpori excolendo

lendo

cendo incumberemus. Attendens ergo quis, quid victurus gignatur, videt ſe non natum, vt brutalem vitam degat, ad illorum inſtar, qui nullius rei curam habere videntur, niſi corporis breui perituri. Sed quum animam habeat æuternam, hanc excolere ſatageret, & ornare. Gigni autem victurum eſt naſci ad operandum, ſiquidem iuxta philoſophos, vita in actione conſiſtit. Finis etiam ad quem homo natus eſt, iuxta Epicuræos quidem eſt, vt quaſi bos foret, vel aſinus, voluptatibus corporis frueretur: iuxta Anaxagoram vero, vt Cœlum, & ſolem contemplaretur: iuxta Platonem Academicos, & Peripateticos, vt intelligeret, & ageret: iuxta Stoicos, vt Dei contemplaretur, & enarraret opera. Sed iuxta Catholicam fidem, vt Deum contemplaretur clarè, diligeretque; Deus enim rationalem creauit naturam, vt ſummum bonum intelligeret, intellectum amaret, poſſideret & eo tandem frueretur.

*ORDO quis datus*. Sunt qui hanc tertiam humanarum actionum cauſam, interpretentur de ordine creaturarum ſuperiorum, & inferiorum ad inuicem: ex quo vtrique Vniuerſi conſurgit pulchritudo. Verum quia, vt diximus, ſermo nunc eſt de cauſis actionum ſecundum eſſe morale, ordo autem iſte pertinet ad eſſe phyſicum, non poſſumus huic acquieſcere interpretationi. Alij intelligunt de eo ordine, qui dicitur Fatum, de quo Seneca Quæſtionũ Natural. lib. 2. cap. 35. ait: *Fatum fulmine mutari non poteſt: Quidni? nam fulmen ipſum fati pars eſt. Quid ergo expiationes, procuratio-*

 *neſq;*

*neſq; quo pertinent, ſi immutabilia ſunt fata? Permitte mihi illam rigidam ſectam tueri, eorũ qui excipiunt iſta, & nihil aliud eſſe exiſtimant, quam ægræ mentis ſolatia. Fata aliter ius ſuum peragunt, nec ulla commouentur prece, non miſericordia flectuntur, non gratia. Seruant curſum irreuocabilem, ex deſtinato fluunt, quemadmodũ rapidorum aqua torrentium in ſe non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem, ſuperueniens præcipitat: ſic ordinem rerum, Fati æterna ſeries rotat, cuius hęc prima lex eſt: ſtare decreto.* Et ſequitur cap 36. *Quid enim intelligis Fatum? Exiſtimo neceſſitatem rerum omnium, actionumque, quam nulla uis rumpat. Hanc ſi ſacrificiis, & capite niueæ agnæ exorari iudicas, Diuina non noſti. Sapientis quoque uiri ſententiam negatis poſſe mutari, quanto magis Dei? quum ſapiens quid ſit optimum in præſentia ſciat, illius Diuinitati omne præſens ſit.* Cui ordini Fatum appellato, ſapiens, volens, ac lubẽs ſubiicitur, ſtultus vero, eidem fruſtra reluctatur. Hinc idem Seneca in calce epiſtolæ 107. ait, *Sic uiuamus, ſic loquamur, paratos nos inueniat, atq; impigros Fatum. Hic eſt magnus animus, qui ſe Deo tradidit, at contra ille puſillus, & degener, qui obluctatur, & de ordine mundi male exiſtimat, & emendare mauult Deos, quam ſe.* Chryſippus etiam Fatum ſic definit apud Gellium lib. 6. cap. 10 *Fatum eſt ſempiterna quædam, & indeclinabilis ſeries rerum, & catena uoluens ſemetipſa ſeſe, et implicans per æternos conſequentiæ ordines, ex quibus apta, connexaque eſt.* Quę quidem intelligentia ſuſtineri poteſt, dummodo quod illa impiè atque Gentiliter Fato adſcribit

ſcribit

ſcribit, nos Diuinæ tribuamus prouidentiæ: quæ licet infallibilitatem præuiſis conferat rebus, non tamen eis aufert cõtingentiam, aut libertatem, eiſdem debitam iuxta earum naturam: quia quum ſit cauſa omnium vniuerſaliſſima, nedum influit in ſubſtantiam effectus, ſed etiam in modum dependentiæ illius à cauſa ſecunda, cum contingentia, aut libertate. Et quum ipſa poſſit impedire cauſam ſecundam, ne effectum producat, quem alioqui connaturaliter producere poterat: Hinc non ſunt vanæ preces, nec fruſtranea ſacrificia, quia hoc ipſum à Diuina prouidentia, ab æterno ſtatutum fuerat, vt in hoc puncto tẽporis, orationibus huius, vel illius, talis effectus cauſæ ſecundę poneretur, vel impediretur: & hoc nedum in cauſis liberis, vel contingentibus, ſed etiam in neceſſarijs, nam ex præcepto Ioſue cap. 10. *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon*, ſteterunt Sol, & Luna ſpatio vnius diei. Et 4. Regum 20. ad imperium Iſaiæ, & conſolationem Ezechiæ, reuerſa eſt vmbra decem gradibus in horologio Achaz, quia Deus, cuius prouidentiæ omnes ſubiacent, & obediunt cauſę, ab æterno ſic diſpoſuerat. Sed melius, ordo datus, de quo nunc eſt ſermo, eſt conditio vitæ, qua quis eſt nobilis, vel plebeius, Princeps, aut priuatus: liber, vel ſeruus: liberalium, vel ſordidarum artium profeſſor: Quilibet enim debet in ſuo ordine, ſua exercere officia, ad quæ eſt deputatus, nec de aliorum ordinum obligationibus ſollicitari. Vnde non debet priuatus ſe ingerere de officijs magiſtratus, nec agricola de nauis ga-

ber-

bernio, aut miles de mercatura. Illos ergo cedines nouiſſe debemus, ſi noſtræ ſatisfacere velimus obligationi, ne nobis obijciatur, quod Olo à Martiale lib. 7. epig. 9.

*Pædicatur Eros, fellat Linus: Ole quid ad te*
*De cute quid facias ille, uel ille ſua?*
*In lucem cenat* [illegible]*ertorius: Ole quid ad te,*
*Quum liceat tota ſtertere nocte tibi?*
*Septingenta Tito debet Lupus. Ole quid ad te*
*Aſſem ne dederis, credideriſue Lupo?*
*Illud diſſimulas ad te, quod pertinet Ole,*
*Quodque magis curæ conuenit eſſe tibi.*

Monemur ergo diſcere quis ordo ſit nobis datus, vt noſtris ſatisfaciamus officijs, nec aliena curemus.

*AVT metæ, quam mollis flexus, & unde.* Primum in his verbis eſt archaiſmos, ſiue enallage, aut hypallage, dum mollitudo flexionis videtur tributa metę, quę ſtabilis manet, & immobilis, dum circa ipſam flectātur naues, aut equi, vel quadrigæ: flexus autem mollis eſt facilitas, propria eorum, quæ circa metam flectuntur. Adeſt etiam hic metaphora, dum mollis ſumitur pro facili, & non reluctante flexione. Vlterius notanda eſt lectionum varietas, nam nonnulli legunt *Qua mollis flexus*, vt *Qua* deſignet viam, ſeu vitæ genus, quo quis ad pręmium intentæ beatitudinis nititur peruenire. Alij communiter *Quam mollis flexus*: & ſic retinuimus: Similiter quidam legunt *Vndæ* cum diphtongo, vt ſit caſus patrius, exiſtimantes, poetam loqui de metapoſita in naumachia, & huic ſimilem feciſſe exitum vndantis vitę: ſed plures legunt *Vnde*,

vt ſit aduerbium loci. Quod vero attinet ad intelligentiam huius quartæ humanarum actionum cauſæ, quæ dicta eſt conſiſtere in inſpectione, quam ſit mollis flexus metæ, & vndæ, credidit Caſaubonus hic moneri hominem, conſiderare mortis propinquitatem, & quam leui de cauſa immineat; eſſe etiam ineuitabilem iuxta naturæ legem, volentis omnia orta occidere: immo aliquando accelerari, vnde minus credebatur: Hinc Seneca Natural. quæſt. lib. 6. cap. 1. ait: *Hoc malum lattiſſimè patet, ineuitabile, auidum, publicè noxium, Non enim domos ſolum, aut familias, aut vrbes ſingulas haurit, ſed gentes totas, regioneſque ſubuertit, & modo ruinis operit, modo in altam voraginem condit, ac ne id quidem relinquit, ex quo appareat, quod non eſt, ſaltem fuiſſe, ſed ſupra nobiliſſimas vrbes, ſine ullo ueſtigio prioris habitus, ſolum extenditur. Nec deſunt, qui hoc genus mortis magis timeant, quo in abruptum cum ſedibus ſuis eunt, & è viuorum numero uiui auferuntur, tamquam non omne Fatū ad eundem terminum ueniat. Hoc habet inter cætera iuſtitię ſuę natura præcipuum, quod quū ad exitum uentum eſt. omnes in æquo ſumus.* Et ibidem cap. 2. inquit: *Magni ſe exiſtimat, qui fulmina, & motus terrarum, hiatuſque formidat: vult ille infirmitati ſuæ conſcius, timere pituitam. Ita uidelicet nati ſumus, tam felicia ſortiti membra, & in hanc magnitudinem creuimus, & ob hoc, niſi mundi partibus motis, niſi Cælum intonuerit, niſi terra ſubſederit, perire non poſſumus? Vnguiculi nos, & ne totius quidem, dolor, ſed aliqua à latere eius ſciſſura conficit, & ego timeam*

*timeam terras trementes, quem craſſior ſaliua ſuffocat? Ego extimeſcã emotum ſedibus ſuis mare, & ne æſtus maiore, quam ſolet, curſu, plus aquarum trahens, ſuperueniat, quum quoſdam ſtrangulauerit potio male lapſa per fauces? Quam ſtultum eſt mare horrere, quum ſcias ſtillicidio perire te poſſe?* Et eiuſdem lib 6 cap.32. ait: *Ingenti itaque animo mors prouocanda eſt, ſiue nos æquo uaſtoque impetu aggreditur, ſiue quotidiano, & uulgari exitu, Nihil refert, quam minax ueniat, quantumque ſit, quod in nos trahat, quod à nobis petit, minimum eſt. Hoc ſenectus à nobis ablatura eſt, hoc auriculæ dolor, hoc in nobis humoris corrupti abundantia, hoc cibus parum obſequens ſtomacho, hoc pes leuiter offenſus.* Sic Plinius Caninio l 3. epiſt.7. *Me recordantem fragilitatis humanæ, miſeratio ſubit. Quid enim tam circumciſum, tam breue, quam hominis uita longiſſima? An non uidetur tibi Nero modo fuiße, quum interim ex ijs, qui ſub illo geſſerant Conſulatum, nemo iam ſupereſt? Quamquam quid hoc miror? Nuper Lucius Piſo pater Piſonis illius, qui à Valerio Feſto per ſummum facinus in Africa occiſus eſt, dicere ſolebat, neminem ſe uidere in Senatu, quem Conſul ipſe ſententiam rogauiſſet. Tam anguſtis terminis tantæ multitudinis uiuacitas ipſa concluditur.* Quæ interpretatio quamuis non ſit ſpernenda, quum conſonet ſenſui intento, magis quam aliæ, quæ circumferuntur, melior tamen videtur hæc alia, ſcilicet moueri homines, ne ſinant ſe facile moueri à bono deſtinato, ſed conſiderent vnde motus fieri debeat: nam ſi à virtute declinare velint ad vitia, ſumma erit ſtultitia, & mo-

& motus vituperandus: ſi vero à vitio ad virtutem, vel de gradu imperfecto ad perfectum eiuſdem virtutis, fac his debet eſſe flexus, quia morum emendatio, & progreſſus ad meliora, ſemper eſt laudabilis. Sicut enim vituperatione eſt digna, in malis obſtinatio, ita laude, animi ad bonum, vel melius flexibilitas. Et ſicut reprehenſibilis eſt eorum inconſtantia, qui à bono inchoato, vel poſſeſſo, abduci ſe ſinunt: ita commendabilis eorum ſtudium, qui nolentes in malis perſeuerare, praua ſtatim abſcindunt cœpta. Et hoc eſt diſcere, quam ſit mollis, ſeu facilis flexus metæ, & vnde, ideſt vtrum à bono an à malo. Nec minus placet ſi dixerimus, moneri hic quemlibet, attendere, quam ſit mollis flexus metæ, hoc eſt, quam ſit quis promptus, ac facilis in expediendis, conſummandiſq; virtutis operibus, & vtrum poſt abſolutum aliquem virtutis actū, otio ſe tradat, nec ad alium progrediatur, hoc enim eſſe vituperabile. Nam quemadmodum naues, vel quadrigę, è carcere emiſſæ, ſi poſtquam ad metam venerunt, non eadem velocitate flexerint, & ad carcerem denuo recurrerint, præmium non conſequuntur: ita qui metam cęptæ alicuius operationis apprehenderunt, non debent ea eſſe contenti, nec ignauiter in ea conquieſcere, immo ex illa, gradum ſibi facere ad aliam perfectiorem, quaſi nihil adhuc boni feciſſent, vt Pſalmiſta ſentiebat dū aiebat pſalm. 76. *Ego dixi: Nunc cœpi*, nam vt dicitur Lucæ 17. *Quum feceritis omnia, quę præcepta ſunt nobis, dicite: Serui inutiles ſumus.* Ex quo vides metaphoram ductam à ludis

Circenſibus, in quibus conſtat, aurigas præmio, & corona fruſtrari, niſi ſumma induſtria ac ſollicitudine prouiderēt, quatenus poſtquā ad metam vſque cucurrerant, nec in illam impingerent, nec circa illam cum alijs implicarentur, eo quod non didiciſſent, vnde flectendum eſſet, videlicet quantum requireretur ſpatij, vt equi, vel quadrigæ, abſque impactione flectere poſſent. Eodemque modo in actionibus humanis, aſſuefaciendus eſt animus, quatenus vna expedita, promptè, faciliter, abſque intermiſſione, vel confuſione, aliam aggrediatur. Quod ſi velis vndæ eſſe caſum patrium, meta erit poſita in Naumachia, circa quam naues flectere debebant. Et propter hác maior requirebatur ſolertia, habenda enim erat ratio vndationis, ſiue fluctuationis aquæ, multoties impellentis, vel remorantis nauem vltra, vel citra locum intentum à remigibus, vel gubernatore. Et ita monet caueamus ne nauis in metam impingat, nedum ex remigũ vehementiore conatu, vel gubernatoris imprudentia, ſed etiam ex aquæ, quaſi æſtuatione, qui eſt leuis flexus metæ, vel vndæ. Et metaphoricè monet auditores, vt curent, quatenus vna virtutis operatione expedita, ad aliam alacriter accingantur, nec in hoc vndante ſeculo, ſtudioſè agendi occaſiones vnquam elabi ſinant.

*META* propriè eſt ſtrues, & congeries rerum quarumcumque, ad inſtar inuerſi turbinis, vel cylindri, inferius lata, & in acutum deſinens: ſic dicta, vel quod poneretur metate, ideſt dimenſo ſpatio, vel quod eam metiebantur,

runt,

tur,& menſurabant quadrigę,eam ſepties circumeuntes,iuxta illud Propertij lib.2.eleg.19

*An quiſquã in medijs perſoluit nota procellis,*
*Quum ſæpe in portu fractã carina natet?*
*Aut prius in ſecto depoſcit prǽmia curſu,*
*Septima quam metam triuerit ante rota?*

Quadrigæ namque, numquam victoriæ præmia referebant,niſi metam ſepties luſtraſſent, quamuis Domitianus princeps, teſte Suetonio in Domitiano cap.4.a ſepteno ad quintum reduxerit. Immo aliquando quo latius dimicaretur, metæ omnino ſublatæ fuere. Hinc metæ nomen translatũ ad ſignificandos agrorum terminos, qui ad metarum, ſiue pyramidis ſpeciem erigi ſolent. Metæ etiam dictæ fœni, vel palearum, vel aliarum rerum ſtrues,inferius latæ, ſuperius acuminatæ. Sic Columella lib.2. cap.19. dicens: [ Fœnum demetitur optimè antequam inareſcat,nam & largius percipitur, & iucundiorem cibum pecudibus præbet. Eſt autem modus in ſiccando, vt neque peraridum, neque rurſus viride colligatur: alterum, quod omnem ſuccum ſi amiſit,ſtramenti vicem obtinet:alterum,quod ſi nimium retinuit, in tabulato putreſcit, ac ſæpe concaluit, ignem creat, & incendium nonnumquam etiam,quum fœnum cecidimus imber oppreſſit.Quod ſi permaduit,inutile eſt vdum mouere, meliuſque patiemur ſuperiorem partem ſole ſiccari: tunc demum conuertemus, & vtrumque ſiccatum coarctabimus in ſtriam,atque in manipulos vinciemus: nec omnino cunctabimur, quominus ſub tectum congeratur, vel ſi non competit, vt aut

in villam fœnum portetur, aut in manipulos colligatur, certè quidquid ad eum modum, quo debet, ſiccatum erit, in metas extrui conueniet, eaſque ipſas in anguſtiſſimos vertices exacui: ſic enim commodiſſimè fœnum defenditur à pluuijs, quæ, etiam ſi nõ ſint, non alienum tamen eſt prædictas metas facere, vt ſi quis humor herbis ineſt, exudet, atque excoquatur in aceruis: propter quod prudentes agricolæ, quamuis iam illa ſub tecto, non ante componunt, quam per paucos dies tenuere congeſtum, vt in ſe concoqui, & deferueſcere patiantur.] Et vlteriori metaphora, quia meta erat finis ſpatij decurrendi, finis & terminus quicumque meta dicitur. Sic Virg. 1. Æn. verſu 282.

*His ego nec metas rerum, nec tempora pono.*

Et Gellius lib. 2. cap. 22. *Ventus qui ab æſtiua, & ſolſtitiali Orientis meta venit, Latinè Aquilo, Boreas Græce dicitur.* Sed hic metaphoricè eſt terminus, & complementum operationis humanæ, modo à nobis explicato, à quo operans reflectere debet ad aliam inchoandam.

QVIS *modus argento.* Quintum caput huius moralis doctrinę, monet inſpiciamus quis debeat eſſe modus argento, num videlicet in nobis experiamur, quod multis euenire affirmat Iuuenalis ſat. 14. verſ. 139 dicens:

*Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.*

Vel ſicut ait idem Iuuenalis ead. ſatyra v. 178.

*Sit unquam metus aut pudor improbè properantis auari.*

Tali autem immodica cupiditate animum oc-

cu-

cupante, impellitur quis vt per fas & nefas ei velit ſatisfacere, fruſtra tamen quum illa numquam expleatur, quinimmo vt ait Beda in cap. 14. Lucæ: *Auarus quanto eſt copioſior diuitijs, quibus non benè utitur, tanto ardentius talia concupiſcit.* Monet ergo, vt ex philoſophia, & maximè Stoica, diſcamus quis debeat eſſe modus, argento acquirendo. & quantum illud appetere debeamus: non enim omnino abijciendum, quum ſit naturæ, & exercitio virtutis neceſſarium, quæ tamen, paucis contenta, horret ſuperfluũ, vt etiam Lucilius dixit relatus à Lactantio lib. 6 c. 5. *Virtus quærendæ finem rei ſcire, modumque*: ex quo hortatur ad auaritiæ fugam; ſed efficacius id præſtat Apoſtolus dicens 1. Thimo 6 *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Nam qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia et nociua, quę mergunt homines in interitũ, & perditionẽ. Radix enim omnium malorũ eſt cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide, et inſeruerũt ſe doloribus multis* Nã quamuis Eccleſ. cap. 10. dicatur: *Pecuniæ obediunt omnia.* Eccleſiaſtici tamen cap. item 10. habetur: *Auaro nihil eſt ſceleſtius. Quid ſuperbit terra et cinis? Nihil eſt iniquius, quam amare pecuniam, hic enim & animam ſuam uęnalem habet, quoniam in uita ſua proiecit intima ſua.* Id etiam ſenſit Saluſtius dicẽs in Catilinario: *Auaritia fidem, probitatem, cæteraſq; bonas artes ſubuertit: pro his ſuperbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia uęnalia habere edocuit.* Amor igitur cupiditaſque argenti, nedum domos

priuatas, ſed maſſimas etiam Vrbes, & in eis Spartam peſſumdedit, quod & Oraculum prę-dixerat, fore vt tunc Lacedæmonij perderentur, quando pecunias inciperent diligere. Rectè igitur per philoſophiam monemur, quis debeat eſſe modus argento, ne appetendo ſuperflua, noſtram fabricemus ſubuerſionem.

*QVID ſas optare.* De hoc ſexto moralis doctrinæ capite, multa diximus circa ſecundam Satyram ibi namque poeta recenſuit, nedum impia, & ſcelerata, ſed etiam vana, & inutilia mortalium vota, nec eſt opus eamdem iterum coquere crambem. Hic ergo docet, per philoſophiam cognoſci quid fas ſit à Dijs petere. De qua re Ariſtot. 5. Ethic. c. 2. ait: [ Videtur iniuſtus eſſe, & qui contra leges faciat, & qui plus appetit, & iniquus: itaque patet, quod & iuſtus erit, qui ſecundum leges facit, & qui æquus eſt. Iuſtum igitur eſt, quod ſecundum leges, & quod æquum eſt: iniuſtum autem, quod contra leges, & quod iniquum eſt. Quũ vero, & plus appetens iniuſtus ſit, circa bona quidem erit, non tamen omnia, ſed circa illa, in quibus fortuna proſpera, vel aduerſa locũ habet, quæ ſunt ſimpliciter bona ſemper, verum alicui non ſemper, ſed homines illa precantur, & quærunt: at non oportet, ſed precari quidem debent, quæ ſimpliciter bona, ſibi quoque eſſe bona: appetere vero, quæ ipſis ſunt bona, Iniuſtus autem ſi ſemper plus appetit.] Piloſophia ergo docet, virtutes, vel ſolas, iuxta Stoicos, vel in primis iuxta Academicos, eſſe appetendas, quia in eis, ſiue illarum operationibus, vel ſolis, vel præcipuè

vlti-

vltimum finẽ, & beatitudinem hominis cõſtituebant. Bona vero corporis, & multo magis externa, vel fortunæ, vel nullatenus bona erunt nuncupanda, vt contendunt Stoici, vel non ſunt talia niſi ſecundario, & quaſi inſtrumenta adiuuantia ad exercenda virtutum opera: quapropter vel nullatenus erunt appetenda, vel non oportebit de his ſollicitari, ſiquidem etiam dato, quod ſint bona (vt Academici, & etiam Chriſtiani admittimus) ſunt tamen in infimo bonorum genere, hoc eſt vtilium ad aliud, adeout comparata ad bonum honeſtum virtutis, & ſapientiæ, ſint veluti aquę gutta relata ad totum Oceanum, vel lucerna ad lumen ſolis. Idque docuit Cicero his verbis lib. 5. de Finibus: *An dubium eſt, quia uirtus, ita maximam partem obtineat in rebus humanis, vt reliquas obruat? Audebo igitur, quæ ſecundum naturam ſunt, bona appellare, nec fraudare ſuo veteri nomine, quam aliquid potius nouum exquirere: virtutis autem amplitudinem quaſi in altera librę lance ponere, terram mihi crede, ea lanx, & maria deprimet.* Diuitiæ ergo temporales, iuxta philoſophiam non ſunt optandæ, vt nec potẽtia, aut corporeę voluptates, aut bona fortuita, quum iuxta Pſalmiſtam pſalmo 61. *Diuitię ſi affluant, nolite cor apponere.* Benè vero optare, & appetere debemus vitiorum victoriam, virtutum adeptionem, vel vt in nobis Diuinum impleatur beneplacitum. Sed habemus à Cęleſti magiſtro, ſeptenario numero comprehenſam, petitionum noſtrarum formam præſcriptam, tam Matthæi 6. quam Lucæ 11. vt nequaquam in

eo errare poſſimus, ideoque in eis inſiſtere debemus.

*QVID aſper vtile nummus habet.* Bartholomæus Fontius, & Io. Antonius Valla, nummũ aſperum tunc dici volunt, quando eſt ſignatus, tunc enim digitis contrectatus, aſper ſentitur: argentum vero non ſignatum, glabrum eſt & læuigatum, non vero aſperum. Sed quia nummus ſignatura conſtituitur, id eſt impreſſione ſigni, & cælatura, futurum alioqui nudũ argentum, puto nummum tunc proprie dici aſperum quando eſt recenter cuſus, nam tunc characteres, & imagines in eo cælatæ, quum non ſint vſu detritæ, dum contrectantur, aſperæ ſentiuntur. Metonymicè vero nummus dicitur aſper, vel ob labores in eo acquirendo, & ſeruando deuoratos: vel ob ſæua bella ab eo excitata, etiam inter coniunctiſſimos fratres. Mala enim plurima eum conſequuntur, recenſita ab ipſomet apud Lucianum, dum ait: Poſtquam aliquis me primo eſt adeptus, clam vna mecum ingreditur faſtus, vecordia, iactantia, mollicies, contumelia, dolus, & alia id genus innumera. Et alij volunt pecuniam negotiorum perficiendorum, & maxime victoriæ bellicæ, eſſe neruum. Sed Ariſtoteles iuſtum de ea re protulit iudicium, ſic enim ait 1. Polit. cap. 6. *Si repenſio fieri non poſſet, non foret ſocietas: quod autem indigentia ſit, id vnum quod continet, deprehenditur, quia ſi non indigeant ad inuicem, vel ambo, vel alter, non ſit permutatio, quemadmodum quando eius, quod ipſe habet, alius indiget, veluti ſi vino indigenti, & triticum exportandum tradat. Huiuſ-*

*modi*

*modi ergo permutatio neque præter naturam eſt, neq;ad amplificationem patrimonij pertinet, quũ ſit in ſupplementum indigentis, ſecundum naturam: ex hac tamen illa non ab re proceſſit, nam quum à remotioribus quæreretur auxilium impertando illa, quibus indigebant, & exportando illa, quibus abundabant, neceſſario nummi introductus eſt vſus: non enim facilè deferri poſſunt ſingula ad vitam neceſſaria: itaq;ad permutationes faciendas, tale aliquid compoſuerunt inter ſe dare, & accipere, quod vtilium quippiam exiſtens, haberet vſum commutandi facilem ad vitam.* Et lib.9.Ethic.cap.1. *In cunctis diſſimilium ſpecierum amicitijs proportio adæquat, ſeruatq; amicitiam, quemadmodum, & in ciuili ſutori pro calceamentis, textoriq; & reliquis, repenſio fit ſecundum extimationem. Ad hoc igitur repertus eſt nummus communis menſura, ad quem omnia referuntur, & quo omnia extimantur.* Igitur nummus non eſt directè, & per ſe felicitatis obiectum, nec ad eam pertinet, niſi quodammodo ſecundario, in quantum deſeruit, vt inſtrumentum ad exercenda virtutis opera, in quibus eſt ſummum bonum, & ad comparanda vitæ neceſſaria.

*PATRIÆ chariſq;propinquis quantum elargiri deceat.* Octauum moralis doctrinæ caput habet, vt ex philoſophia diſcamus, quæ officia exercere debeamus erga patriam, & alios, & vt habet Lucilius apud Lactantium citatũ:

*Commoda præterea patriæ ſibi prima putare,*
*Deinde parentum: tertia iam poſtremaq; noſtra*

Bonum enim patriæ, vtpotè cõmunius, & vniuerſalius, cenſetur diuinius: ad quod conſer-

uandum, & augendum, quælibet pars naturaliter magis propendet, quam ad proprium, & ſingulare: nam perdito toto, nec pars ſubſiſtere valet. Hinc Cicero Officiorum 1. *Quum omnia ratione animoq; luſtraueris, omnium ſocietatum nulla eſt gratior, nulla charior, quam ea, quæ cum Rep. eſt vnicuiq; noſtrum. Chari ſunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares, ſed omnes omnium charitates patria vna complexa eſt, pro qua, quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus? Quo eſt deteſtabilior iſtorum immanitas, qui lacerauerunt omni ſcelere patriam, & in ea funditus delenda, occupati & ſunt, & fuerunt.* Sic Horat. lib. 3. carm. ode 2.

*Dulce, & decorum eſt pro patria mori.*

Circa alios vero diligendos, ſubdit ibidem Cicero: *Si contentio quædam & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum ſit officij, principes ſint patria et parentes, quorum beneficijs maximè obligati ſumus: proximi, liberi, totaque domus, quæ ſpectat in nos ſolum, neq; aliud vllum poteſt habere profugium: deinceps bene conuenientes propinqui, quibus communis etiam plerumque fortuna eſt: quamobrem neceſſaria vitę præſidia debentur ijs maximè, quos ante dixi. Vita autem, victuſq; communis, conſilia, ſermones, cohortationes, conſolationes, interdum etiam obiurgationes in amicos vigent maximè: eſtq; ea iucundiſſima amicitia, quam ſimilitudo morum coniugauit.* Officia autem duplicis ſunt generis, quædam conſummantur in honoribus deferendis: & hæc debentur primum Deo, deinde principibus, & magiſtratibus, tertio parentibus, quarto presbyteris, religioſis, ſenioribus,

bus,

bus, & viris excellentibus aliqua virtute morali vel phyſica. Alia in præſtandis alimentis, & ſubſidijs temporalibus: & dum quis nequit omnibus, vel pluribus ſimul prouidere, primā alimenta debet Principi Reip. in neceſſitate rerum conſtituto, etiam ſi exinde ipſe cum ſua domo moreretur: deinde, datis neceſſarijs corpori proprio, primæ partes tribuendæ ſunt vxori, quæ cenſetur idem corpus cum viro. Tertio prouidendum eſt filijs, qui ſunt partes parentum. Quarto parentibus, ob pelargiriam, & retributionem in nos præſtitorum. Quinto alijs cognatis, incipiendo ſemper, cæteris paribus, ab ijs, in quibus maior elucet virtus, aut indoles bonæ frugis: ſed quando cætera non ſunt paria, præferendus eſt extraneus, & etiam inimicus, & infidelis in extremo mortis periculo, niſi ei propere ſubueniatur, conſtitutus, parentibus, & etiam filijs non exiſtentibus in tali neceſſitatis articulo. Alia ſunt etiam officia propria Chriſtianorum, & omnibus hominibus debita, ſecundum ordinem charitatis, vt ſcilicet omnibus velimus gratiā, & vitam æternam, & pro viribus auferamus talis deſiderij impedimenta, nimirum ſcandala, & offenſiones, tam verborum, quam operum. Generaliter alijs præſtare debemus, quæ nobis, in ſimili articulo conſtitutis, vellemus impendi, vt enim ait Ioannes epiſt. 1. cap. 3. *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate.* Sic etiam Grego-

rius hom. 14. in Euang. inquit: *Quum incomparabiliter longè ſit melior anima, qua viuimus, terrena ſubſtantia, quam extetius poſſidemus, qui non dat pro ouibus ſubſtantiam ſuam, quomodo pro his daturus eſt animam ſuam?*

*QVEM ſe Deus eſſe iuſſit.* Nonum caput monet, vt conſideremus hominis dignitatem, qua omni corporali creatura eſt excellentior, ſiquidem quoad animam, veræ eternæque beatitudinis, in clara Dei viſione conſiſtentis, eſt capax, cuius nulla terrena, ſpem habere poteſt: ſolius etiam hominis corpus, in futura reſurrectione, animę reunitum, erit immortalitate, & incorruptione donandum. Quapropter homo, qui, etiam quoad corpus, ſublunaribus omnibus eſt ſuperior, non debet illis alligari, vel ſubdi: Nam Cicero de hominis dignitate ait lib. 1. de legibus: *Animal hoc prouidum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum, rationis, & cōſilij, quem vocamus hominem, præclara quadā cōditione generatū eſſe à ſummo Deo, ſolum eſt enim ex tot animātium generibus, atq; naturis particeps rationis, & cogitationis, quum cętera ſint omnia expertia. Quid eſt autē, non dicam in homine, ſed in omni cælo, atque in terra ratione diuinius? quæ quum adoleuit, atq; perfecta eſt, nominatur ritè ſapientia. Eſt igitur quoniam nihil eſt ratione melius, eaq; & in homine, & in Deo, prima hominis cum Deo rationis eſt ſocietas: inter quos autem ratio, inter eoſdem etiam recta ratio, & communis eſt, quæ quum ſit lex, lege quoque conſociati homines cum Dijs putandi ſumus. Inter quos porro eſt communio legis, inter eos communio iuris eſt. Quibus autem*

hæc

*hæc ſunt inter eos communia, & ciuitatis eiuſdē habendi ſunt. Si vero iiſdem imperiis, & poteſtatibus parent, multo etiam magis parent huic Cæleſti deſcriptioni, mentiq; diuinæ, & præpotenti Deo, vt iam vniuerſus hic mundus vna ciuitas communis deorum, atq; hominum exiſtimanda, & quod in ciuitatibus ratione quadam de qua dicetur idoneo loco, agnationibus familiarum diſtinguuntur ſtatus, id in rerum natura tanto eſt magnificentius, tantoq; præclarius, vt homines deorum agnatione, & gente teneantur, nam quum de natura omni quæruntur, diſputari ſolent, nimirum ita ſunt, vt diſputantur, perpetuis curſibus, conuerſionibus Cæleſtibus extitiſſe quamdam materiam ſerendi generis humani, quod ſparſum in terras, atq; ſatum, diuino auctū ſit animorum munere, quamquam alia, quibus cohærent homines è mortali genere ſumpſerint, quæ fragilia eſſent & caduca, animum eſſe ingeneratum à Deo, ex quo vere, vel agnatio nobis cum cæleſtibus, vel genus, vel ſtirps appellari poteſt: itaq; ex tot generibus nullum eſt animal præter hominem, quod habeat notitiam aliqua Dei. De ipſis quidem hominibus nulla gens eſt, neque tam immanſueta, neq; tam fera, quę non, etiam ſi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum ſciat; Ex quo efficitur illud, ut is agnoſcat Deum, qui unde ortus ſit quaſi recordetur, cognoſcat. Iam uero uirtus eadem in homine, ac Deo eſt, neq; ullo alio ingenio pręterea. Eſt autem uirtus nihil aliud quam in ſe perfecta, & ad ſummum perducta, naturaliter eſt igitur homini cū Deo ſimilitudo: quod quum ita ſit, quæ tandem poteſt eſſe proprior, certiorue cognatio? Itaque à ho-*

*hominum commoditates, & uſus tantam rerum ubertatem natura largita eſt, ut quæ gignuntur non fortuito nata, ſed conſulto nobis donata credantur.* Nec ea dumtaxat, quæ terra profunduntur, vt fruges herbæ, poma & baccæ, ſed etiam pecora, piſces, & aues, immo & cœleſtia corpora, & ipſi Angeli, quibus mandauit hominibus adeſſent ad cuſtodiam, & quod eſt præclarius, vt Eccleſia canit: *Se naſcens dedit ſocium, conueſcens in edulium, ſe moriens in pretium, ſe regnans dat in præmium.* Artes etiam innumeræ repertæ ſunt, docẽte natura, quam imitatur ratio, quibus res nedũ ad vitę neceſſitatẽ, ſed etiã ad delicias, & voluptatẽ conſecuta eſt. Ipſum etiam hominẽ eadem natura, vel potius Deus naturæ autor, nedum mentis ornauit celeritate, ſed ei ſenſus attribuit tamquam ſatellites, vel nuncios, rerumque plurimarum obſcuras enodauit intelligentias, quaſi fundamenta quædam ſcientiarum: figuramque dedit corpori habilem, aptamq; humano ingenio, nam quum cæteras ad terram, & paſtum abiecisſet animantes, ſolum hominem erexit, & ad Cœlum, quaſi cognationis, propriique domicilij conſpectum, excitauit: quod & Ouidius obſeruauit dicens 1. Metam.

*Pronaq; quum ſpectent animalia cętera terrã*
*Os homini ſublime dedit, cœlumq; uidere*
*Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.*

Idque aduertens D. Gregorius Nyſſenus homilia 2. in Cantica dicebat: *Cognoſce quantum ſis honorata à Creatore pluſquam reliqua creatura. Non factum fuit Cælum imago Dei, non luna, non ſol, non ſiderum pulchritudo, neque*

*quic-*

*quidquam aliud, ex iis, quę cernuntur ſecundũ naturam. Tu ſola facta es effigies naturæ, quę omnem ſuperat intelligentiam, ſimilitudo pulchritudinis, in quam non cadit interitus, expreſſa figura veræ Diuinitatis, vitę beatæ receptaculum, veri luminis informatum ſimulachrum, ad quod aſpiciens efficeris id, quod ille eſt, imitans eum qui in te reſplendet, per ſplendorem ex aduerſo refulgentem ex tua puritate. Eorum, quæ ſunt nihil eſt adeo magnum, vt ſuſcipiat dimenſionem tuę magnitudinis. Totum Cælum Dei palma continetur, terra & mare pugillo eius manus comprehenditur. Sed tamen qui eſt tantus et talis, qui vniuerſam creaturam palmo continet, totus à te capitur, & in te habitat, & non in arctum cogitur in tua verſans natura, qui dixit:* In eis habitabo, & deambulabo. *Si hæc aſpicias, in nullam rem terrenam defiges tuum oculum. Quid dico? immo nec Cælum quidem tibi cenſebitur admirandum. Quemadmodum enim ò homo, Cælos admiraberis teipſum aſpiciens Cęlis ſtabiliorem, & durabiliorem! Nam Cælum quidem tranſit, tu autem cum eo quod ſemper eſt, ſimul manes ad æternitatem. Non admiraberis terræ latitudinem, neq; mare, quod panditur in infinitum, quibus vt præeſſes es conſtitutus, tamquam alicui equorum currui, ad id quod tibi videtur obedientia, & in tua poteſtate ſita habens hæc elementa. Nam & terra tibi ſuppeditat, quæ ſunt vſui ad vitam: & mare non ſecus, atque equus, qui habenis regitur, tibi dorſum præbet, & ſuum ſeſſorem accipit hominem. Si ergo te cognoſcas, ò pulchra inter mulieres, totum mundum deſpicies, & ad materię expers bonum perpetuò*

*intuens, contemnes errorem eorum, qui in hac ſunt via veſtigiorum. Attende ergo ſemper tibi-ipſi, & non errabis circa gregem hædorum, neque efficieris hædus pro oue in tempore iudicij. Neq; ſegregaberis à ſtatione ad dexteram, ſed audies iucundam vocem, quæ dicit lanigeris, & manſuetis ouibus:* Venite benedicti Patris mei, eſtote hæredes Regni vobis parati ante conſtitutionem mundi.

*ET humana qua parte locatus es in re.* Decimum caput monet conſideremus, quam Reip. occupemus partem: nam ſi aliorum regaris arbitrio, vt parentum, domini, vel magiſtratus, vnica, promptæ obedientiæ virtute, omni ſatisfacere poteris officio: ſi vero alios, œconomico, vel politico continere, coercereue debeas imperio, tot fere neceſſariæ erunt virtutes, quot erunt ſubditi. Paſtores enim, vt ſuo ſatisfaciant officio, diuina indigent ſapientia, alioquin quanto in loco ſuperiori, tanto in periculo maiori verſantur, id quod pluribus docet Gregorius in ſuo Paſtorali per totum.

*DISCE, nec inuideas quod multa fidelia putet in locuplete penu, defenſis pinguibus Vmbris, & piper, et pernæ, Marſi monumēta Clientis, mænaque quod prima nondum defecerit orca.* Ordo; Diſce neq; inuideas, quod defenſis pinguibus Vmbris, multa fidelia putet in penu locuplete & piper, & pernæ monumenta clientis Marſi, & quod nondum defecerit mena orca prima. Quibus verbis monet adoleſcentem, vt poſtquam ea philoſophię didicerit capita, caueat ne inuidia tangatur, etiam ſi videat cellaria, vel penora cauſidicorum, diuitijs, & eſculen-

tis

tis redundare, delatis à clientibus, quorum ſuſceperant patrocinium. Vbi ſciendum, Romanos, litterarum profeſſores, non fuiſſe omnes rei ſtruendę auidos, ſolis exceptis oratoribus. Nam medici, qui ſemper fuere pecuniarum captatores, non Romani aut Latini generis, ſed Græci, aut alterius exteræ nationis erant. Si qui vero Romani eam callerent ſciētiam, ad praxim non deducebant, vt de Cornelio Celſo legimus. Philoſophi vero, quorum multi omni ęuo fuerunt ex Romanis, cuiuſcumque fuiſſent ſectæ, etiam Epicuræ, diuitias aſpernabantur: Grammatici pecunias aucupabantur, ſed iſti vel Græculi, vel alterius, quam Romanæ nationis erant. Poetæ vero etiam ſi diuitias non contemnerent, eas non exigebant, nec accipiebant, niſi à ſpontè offerentibus, vt munus amicabile, non vt pręmium ſeruitutis, aut officij præſtiti, ideoque Martialis ait lib. 13. epigr. 1.

*Alea nec damnum, nec facit iſta lucrum.*

Soli ergo, ex litterarum profeſſoribus, Cauſidici apud Romanos diteſcebant, accipiendo à clientibus, & etiam a Rep. ideoque monet philoſophiæ profeſſorem, ne propterea inuidia tabeſcat.

*NEQ; inuideas.* Inuidere eſt offendi, vel dolere ob alterius bonum, etiam ſi habens ſit dignus, nec illud in inuidentis redundet detrimentum. In quo differt inuidia ab indignatione, dolente de felicitate indigni: & ab ęmulatione, quæ tunc eſt, quum alter dignitatem obtinet, per quam æmuli minuitur exiſtimatio, vt diximus in Inſtit. Orat. lib. 1. Tract. 7. cap. 11.

cap. 11. Monet ergo diſcipulum, ne doleat, videns Cauſidicos diuitijs affluere, quaſi dicat: Tu qui philoſophiæ præceptis vis informari, ne illa ducas bona, quæ ab indocto vulgo tanta quæruntur contentione, nec illa deſideres, aut doleas ſi eis careas, vel ſi alij, vt Oratores, ijs abundent.

*MVLTA fidelia*, dictum eſt pro multis fidelibus, ſiue per ſenecdochen partis, ſiue per enallagen numeri. Et vtitur hoc ſchemate, quia vt ex Auguſtino diximus in Inſtit. Orat. lib. 3. Tract. 2. cap. 3. quum quid ſingulariter effertur, multoties plus importare videtur, quam cum numero multitudinis. Ideoque hic rectè ſignificatum eſt, eſſe in Cauſidicorum domibus multas fidelias à clientibus delatas, quæ etiam putuerint, vel quaſſerint rancidæ ob vetuſtatem. Quid autem ſit fidelia, dictum eſt ſupra hac eadem ſatyra verſu 22. ad illa verba: *Non cocta fidelia.*

*PVTET* prima producta, idem eſt ac fetet, ſeu malè, & grauiter olet. Sic Cato de R. R. cap. 157. *Braſſica omnia vlcera purgabit, ſanaq; faciet ſine dolore: eadem tumida concoquit, eadem erumpit, eadem vulnera putrida, cancroſq; purgabit, ſanoſq; faciet, quod medicamentum aliud facere non poteſt. Verum priuſquam id imponas, aqua calida multa lauato, poſtea bis in die contritam imponito, ea omnem putorem adimet.* Sic Horat. 2. ſerm. ſat. 2.

*Putet aper, rhombuſque recens, mala copia quando*
*Ægrum ſollicitat ſtomachum.*

Et ita ſumitur hic, nam tam multæ res in

Cau-

Cauſidicorũ penoribus fuerant illatæ, & quotidie, & inferebantur, vt quum abſumi non poſſent, putreſcebant, & ex ipſis fidelibus putidum grauemque dabant odorem.

*LOCVPLES* ille propriè dicitur, qui diues eſt ex poſſeſſione multorum locorum, quaſi plenus locorum, ſiue fundorum, vel agrorum. Sic Gellius ex ſententia Nigidij, quam approbat, ait lib. 10. cap. 5. *Locupletem ait dictum ex compoſitis vocibus, qui pleraq; loca, hoc eſt, qui multas poſſeſſiones tenet.* Et Plin. lib. 18. cap. 3. *Locupletes dicebant locis hoc eſt agri plenos: pecunia ipſa à pecore appellabatur. Opulentus etiã ille propriè dicebatur, qui plura haberet adiumenta ſibi opitulantia.* Immo nedum, qui plures locos, ideſt agros haberet, ſed etiam qui in vno plures res, locuples dicebatur, vnde Cicero de ſenectute ait: *Villa tota locuples eſt, abundat porco, hædo, gallina, lacte, caſeo, melle, &c.* Vocabula autem locupletis, opulenti, & alia, quamuis diuerſis orta originibus, pro eadem re vſurpantur, vnde locuples hic diuitem ſignificat, opulentum, & abundantem fortunę bonis, cuiuſmodi ex clientum donarijs eſſe conſueuerunt patronorum, ſiue cauſidicorum penora.

*PENV* nomen eſt indeclinabile. Inuenitur tamen declinatum tam per ſecundam, quam per tertiam, & quartam declinationem, & per omne genus, eadem retenta ſignificatione, qua propriè eſt locus continens omne eſculentum, aut poculentum humano vſui proportionatum: & magis propriè ad penum pertinere vidētur, quæ in longum ſeruantur vſū,

quæue non habentur in cella prompta, & ad manus expoſita, ſed in penitiori, & interiori illius parte condita ſeruantur. Sed Gellius etiam carbones, & ligna putat penori adiiciendum poſſe. Nam lib. 4. cap. 1. poſt relatam Phauorini ſententiam dicentis: *Q. Scæuolam ad demonſtrandum penum his verbis vſum audio: Penus eſt inquit, quod eſculentum, aut poculentum eſt. Quod enim ipſius patris familias, eiuſque familiæ, quæ circum eos, aut liberos eius eſt, & opus non facit, cauſa paratum eſt, vt Mutius ait, penus videri debet. Nam quę ad edendum bibendumque in dies ſingulos prandij, aut cœnæ cauſa parantur, penus non ſunt, ſed ea potius, quæ huiuſce generis, longę vſionis gratia contrahuntur, & reconduntur, ex eo, quod non in prompttu ſint, ſed intus, & penitus habeantur, penus dicta ſunt.* Sub lit: *De penu adſcribendum hoc etiam putaui: Seruium Sulpicium in reprehenſis Scæuolæ capitibus, ſcripſiſſe: Seio Helio placuiſſe, non quę eſui & potui forent, ſed thus quoq; & cereos in penu eſſe, quodq; eſſet eius fermè rei cauſa comparatum. Maſſurius autem Sabinus in iuris Ciuilis ſecundo, etiam quod iumentorum cauſa apparatum eſſet, quibus dominus vteretur, penori attributum dicit. Ligna quoq; & virgas, & carbones quibus conficeretur penus, quibuſdam ait videri eſſe in penore. Ex ijs autem, quo promercalia, & vſuaria in locis hiſdem eſſent, ea ſola eße penori putat, quæ ſint vſui annuo.* Verum vt de his multos inuenies refragatores, ita de pane, caſeo, carnibus, piſcibuſque etiam ſalitis, atq; aromatibus, nemo non concedet eſſe in penore. Penuriæ autem

ro-

vocabulum, quamuis à penu deductum, vit tamen extenſum eſt ad quarumcumq; rerum raritatem inſolitam, etiam earum, quę in penu eſſe nemo dixit. Et ſic legimus, vel Imperatorum penuriam apud Ciceroné Verrina 7. *Video vbi ſe iactaturus ſit Hortenſius, belli pericula, tempora Reip. Imperatorum penuriam commemorabit.* Et ſubdit. *Habetis hominis conſilium, diligentiam, vigilantiam, cuſtodiam, defenſionemq; Prouinciæ, ſumma illius pertinet vt ſciatis, quoniam plura genera ſunt Imperatorum, ex quo genere iſte ſit, ne diutius in tanta penuria virorum fortium, talem Imperatorem ignorare poſſitis.* Sic etiam Terentianus Demea Adelphis act. 3. ſcena 4.

*Ne illiuſmodi iam magna nobis ciuium*
*Penuria eſt, antiqua homo virtute, & fide.*

*DEFENSIS pinguibus Vmbris.* Significatur, abundantiam tot rerum, quibus cauſidicorum redundabant cellaria, proceſſiſſe ex Vmbrorū clientela. Hi namq; clientes patronis ſuis Romæ exiſtentibus ea munera deferebāt, erantq; illis temporibus Vmbri, ad ſuum inſtar valdè, pingues; Vnde Catullus carmine 40. ait:

*Quare monendus es mihi bone Egnati,*
*Si vrbanus eſſes, aut Sabinus, aut Tiburs,*
*Aut porcus Vmber, aut obeſus Etruſcus,*
*Aut Lanuuinus ater, atq; dentatus,*
*Aut Tranſpadanus, vt meos quoq; attingam,*
*Aut quilibet, qui puriter lauit denteis,*
*Tamen renidere vſquequaq; te nollem,*
*Nam riſu inepto res ineptior nulla eſt.*

Denominātur hic Vmbri, pingues, metaphoricè, quia erant liberales, & profuſi in muneribus

bus largiendis.& ita patronos impinguabant; Nihil enim ipſis deerat ad vitam volupe degendam, quum & ipſi forent induſtrij, & regionem habitarent rerum omnium feracem. Niſi mauis Vmbros dictos pingues à pinguedine olei, cuius ea regio inter cæteras Italiæ eſt maximè fertilis, Et ita interuenit hic metalepſis metonymica. Sunt autem Vmbri, qui eam incolunt Italiæ regionem, quæ ſexta numeratur, Appœnino monte à Piceno, ſeu Marchia Anconitana, Tiberi vero amne ab Ætruria ſeparata. De qua Plin. lib.3.cap.14. *Iungitur his Picenis ſexta regio Vmbriam complexa, agrumq; Gallicum circa Ariminum. Ab Ancona Gallica ora incipit, togatæ Galliæ cognomine: Siculi & Liburni plurima eius tractus tenuere, in Palmenſem, Prætutianum, Adrianũq; agrum. Vmbri eos expulere, hos Ætruria, hanc Galli. Vmbrorum gens antiquiſſima Italiæ exiſtimatur, vt quos Vmbrios à Græcis putent dictos* ab ὄμβρυ imbre, *quod inundatione terrarũ imbribus ſuperfuiſſent*. Vel, vt alijs placet ab vmbra, quam hæc regio patitur ab Appœnini vicinitate, vel ab Vmbrone amne eam circumfluente. *Trecenta eorum oppida Tuſci debellaſſe reperiuntur*, & ita omnem in ſeruitutem gentem redegiſſe, vnde Lucanus lib. 2. Pharſaliæ verſu 463.

*Iuſq; ſui pulſo iam perdidit Vmbria Thermo*, quando dicuntur vndecim Vmbrorum armatorum millia in quamdam ſpeluncam compulſa, igne fumoque corrupta. Sunt in ea regione celebres Vrbes Spoletum, ex qua toti ei regioni Ducatus Spoletini nomen, Aſ-

ſiſium,

ſilium, Camerinum Forumiulij, Forumſempronij, Fulgineũ, Meuania, Narnia, Piſaurum, Tudertum, Typhernum, & aliæ.

*ET piper.* Cauſidicorum penuaria redundabant muneribus delatis nedum ab Vmbris, & alijs clientibus, ſed etiam à Marſis. Eſt autem piper nomen fruticis, cuius fructus ad exigui ciceris magnitudinem, & rotunditatem formatus, quum ſit calidiſſimum, auſteriq; ſaporis, in ciborum condimentis maximè expetitur, vt ex India ad nos deferatur. De quo Plinius lib. 12. cap. 7. *Quę piper gignunt, iuniperis noſtris ſimiles, quanquam in fronte Caucaſi ſolibus oppoſita gigni tantum eas aliqui tradidere. Semine à iunipero diſtant, paruulis ſiliquis, quales in faſeolis videmus. Hæ priuſquam dehiſcant, decerptæ, toſtæq; ſole, faciunt quod vocatur piper longum: paulatim uero dehiſcentes maturitate oſtendunt candidum piper, quod deinde toſtum ſolibus, colore rugiſque mutatur. Verum & ijs ſua iniuria eſt, atq; cæli intemperie carbunculatur, fiuntq; ſemina caſſa & inania, quod vocant brachmaſim, ſic Indorum lingua ſignificante abortum: hoc ex omni genere aſperrimum eſt, leuiſſimumq; et pallidum Gratius nigrum, leniuſq; vtroq; candidum. Non eſt huius arboris radix, vt aliqui exiſtimauere, quod vocant Zimpiberi, alij vero Sinigiberi, quamquam ſapore ſimile: id enim in Arabia, atq; Traglodytica in villis naſcitur, paruæ herbæ radice candida: celeriter ea cariem ſentit, quamuis in tanta amaritudine. Vſum eius adeo placuiſſe, mirum eſt: in alijs quippe ſuauitas cæpit, in alijs ſpecies inuitauit: huic nec pomis, nec baccę commendatio eſt aliqua, ſola placere*

*ama-*

*amaritudine, et hanc in Indos peti. Quis ille primus experiri cibis voluit? aut cui in appetenda auiditate, eſurire non fuit ſatis? Vtrumq; ſilueſtre gentibus ſuis eſt, & tamen pondere emitur, vt aurum, vel argentum. Piperis arborem iam et Italia habet, maiorem myrto, nec abſimilem: amaritudo grano eadem, quæ piperi muſteo creditur eſſe: deeſt toſta illa maturitas, ideoq; & rugarum colorisq; ſimilitudo: adulteratur iuniperi baccis, mire vim trahentibus, in pondere quidem multis modis. Eſt etiam nunc in India piperis grani ſimile, quod vocatur gariophyllon, grandius fragilisq; Tradunt in Indico luco id gigni, aduehitur odoris gratia.* Et de hoc pipere volunt omnes expoſitores poetam nunc loqui. Nec abnuo etiam his temporibus à clientibus has ſpecies ſtatis temporibus deferri patronis ſolitas. Verum quum hic ſignificetur clientes detuliſſe patronis munera, quę penoribus illata, ibi putreſcerent, piper autem aromaticum, non facilè corrumpitur, maximè quum non ſit veriſimile, à Marſo cliente potuiſſe deferri in tanta copia, quanta hic ſignificatur; ſi in penu putreſcere debuit, piper enim, & conſimiles merces, ex India aduectæ, primum in Vrbe vænales erant, indeq; in Marſos, & alias regiones deferebantur: ideoq; non videtur, clientem patrono talem piperem detuliſſe. Sed piperis nomen puto poſitum, vt dictum per onomatopoiam, ſeu nominis fictionem, pro anate, vel anſere domeſtica, quæ tam in Marſis, quam in Samnio, Sabina, & alijs Italiæ regionibus abunde prouenit, & etiam nunc per eamdem onomatopoiam, quaſi à piperis nomine, Itali-

cè,

ce, papara appellatur. Niſi mauis pro pipere intellexiſſe gallinam, vel gallinaceum; nam vt ait Varro in origínibus: *Mugit bos, ouis balat, equi binniunt, gallina pipit* vt à pipire, tertij ligi potuerit nomine piperis. Et his auibus cohortalibus, clientes, ſuos patronos, noſtris etiã temporibus, munerare conſueuerunt.

PERNÆ ſunt coxæ ſuillæ, ſiue priores, ſiue poſteriores, quæ ſalitę cum toto pede ſunt menſis gratiores, & in menſarum delicijs habitæ, maximè ſi adhuc recentes, à Martiale muſteę appellatæ, dictæ etiam petaſones. Sic Plinius lib. 8. cap. 51. *Caſtrantur fœminæ quoque ſicuti cameli poſt biduũ inediã, ſuſpenſæ per nis primoribus vulua reciſa, celerius ita pingueſcunt.* Mart. lib. 13. epig. 48.

*Ceretana mihi fiet, vel maſſa licebit,*
*De Menapis: lauti de petaſone uirens.*

Et ibi epigr. 49.

*Muſtens eſt, propera, caros ne differ amicos,*
*Nam mihi cum uetulo ſit petaſone nihil.*

Et lib. 3. epigr. 34.

*Et pulpam dubio de petaſone uoras.*

Sic Plautus Curculione Actu 2. ſc. 3.

*Pernam, abdomen ſuis, glandium.*

Et Captiuis Act. 4. ſc. 2.

*Di immortales, ut ego collos detruncabo tergoribus!* (*rido!*
*Quanta pernis peſtis ueniet! quanta labes la-*
*Quanta ſumini abſumedo! quanta collo calamitas!*
*Quanta lanijs laſſitudo! quanta porcinarijs!*

Et Horat. 1. ſerm. ſat. 2.

*Non ego narrantem, temerę edi luce pro feſta*
Quid-

*Quidquam, præter olus fumoſæ cũ pede pernæ.*
Et Iuuen. ſat. 7 verſ. 118.

*Quod vocis pretium? ſiccus petaſunculus, & vas* (bubi,
*Pelamydũ, aut ueteres Maurorum Epimenia*
*Aut uinum Tiberi deuectum quinq; lagenæ.*

Et hæ coxę ſuillę, pernę, vel petaſones à Marſis diligenter præparatæ, vt poſſent in penore longo ſeruari tempore, patronis dabantur: & de his nunc eſt ſermo.

*MARSI* populi ſunt Italiæ, Romanis, Sabinis, Picentibus, Æquiculis, & finitimis contermini, nec minus, quam recẽſiti, in bello acres: vnde Horat. Epodo 17.

*Suis & ipſa Roma uiribus ruit,*
*Quam neq; finitimi ualuerunt perdere Marſi,*

quaſi magnum quid fuiſſet Marſis reſtitiſſe. Iuxta Strabonem regio hæc erat iuxta lacum Fucinum, & Albæ contermina. Cicero pro domo ſua ad Pontifices meminit cuiuſdam Stratonis hominis huius regionis, dicens: *Et homo religioſus, cum ędes meas idem emeret, & uenderet, tamen, illis tantis tenebris, non eſt auſus ſuum nomen emptioni illi adſcribere; poſuit ſcilicet Stratonem illum hominem, ſua uirtute egẽtem ut is, qui in Marſis, ubi natus eſt, tectum quo imbris vitandi cauſa ſuccederet, nullum haberet, ædes in Palatio nobiliſſimas emiſſe ſe diceret.* Laudabantur huius regionis gentiles à curſus, & pedum pernicitate, vnde Alexander ab Alexandro dierum Genialium lib. 2. cap. 2. ait: *Inter cæteros produntur Marſi populi, ſingulari ſidere, ſeu fato genitis, vt præcipua pedũ lenitate cęteris præſtent, ingentiaque ſpatia vix*

cre-

*credibili celeritate peragerent*. Marſos quidam dictos putant à Marſia illo Phrygio, qui Mida, & Tmolo iudicibus arbitris, cum Apolline vel Pana, de cantus præſtantia contendere auſus fuit. Alij à Marſo Circes filio. Ita Gellius, dicens lib. 16. cap. 11. *Gens in Italia Marſorum, orta fertur eſſe à Circes filio, Marſo, propterea Marſis hominibus, quorum dumtaxat familiæ cum externis cognationibus, nondum etiam permixtæ, corruptæque ſunt, vt quadam genitali datum, vt ſerpentum virulentorũ domitores ſint, & incantationibus, herbarũq; ſuccis faciant medelarum miracula*. Extant etiam nunc pauci quidam per Italiam diſperſi, qui vulgo eſſe dicuntur de familia, & proſopia D. Pauli, qui tamen filios, & vxorem nũquam habuit, vnde facilius credo eſſe deſcẽdentes ex hac Marſorũ gente, qui nedum, etiam icti, à virulentis ſerpentibus, nihil mali patiuntur, ſed ſaliua, vel herbarum ſuccis, aut ſuctione loci vulnerati, ab alijs eximunt venena. Regio Marſorum, vini frumentiq; ferax, ex parte etiã ſilueſtris, atq; gregum, & armentorum paſtioni commoda: in ea ſunt arbores nucum, tam caſtanearũ, quam iuglandium, ingenti copia, ideoq; magna ſuum ibi alitur multitudo: ſuillæq; carnes, & coxæ optimè ab illis gentilibus, & incolis ſaliuntur, quas clientes ſuis patronis dono in Vrbem deferunt, & de his nunc intelligit.

*MONVMENTA* per u, vel monimenta per i, generaliter dicuntur res quæ cumq; abſentum, vel poſterorum excitantes memoriam, vnde Auguſtinus de cura pro mortuis cap. 3. ait: [ Sepulchra ideo monumenta dicta ſunt, quia

quia eos, qui viuentium oculis morte ſubtracti ſunt, ne obliuione etiam cordibus ſubtrahantur, in memoriam reuocant, & admonendo faciunt cogitare. Nam & memoriæ nomen id apertiſſimè oſtendit, & monumẽtum, eo quod moneat mentem, id eſt admoneat nũcupatur.] Sic etiam Varro lib. 5. L. L. Monumenta à monendo, quę ſunt in ſepulchris, ideoque ſecus vias locantur, quo prætereuntes admoneant, & ſe fuiſſe, & illos eſſe mortales. Sic Cicero 5. de Finibus: *Lege laudationes Torquate, non eorum, qui ſunt ab Homero laudati, non Cyri, non Ageſilai, non Ariſtidis, non Themiſtoclis, non Philippi, non Alexandri: lege noſtrorum hominũ, lege veſtrę familię, neminem videbis ita laudatum, vt artifex callidus comparandarũ voluptatũ diceretur, nõ elogia monumentorũ id ſignificant.* Et idem 1. Tuſcul. *Quid procreatio liberorum, quid propagatio nominis, quid adoptiones filiorũ, quid teſtamentorũ diligentia, quid ſepulchrorũ monumenta, quid elogia ſignificant, niſi nos futura etiã cogitare.* Sic etiam Ouid. l. 13. Metam.

*At puto funeribus dotabere regia virgo*
*Condeturque t[...]ĩ monumentis corpus auitis.*

Inde tituli, ſtatuę, phana, porticus, carmina, annales, hiſtoriæ, & quęcumq; memoriam excitantia, vel ad hunc finem depoſita, monumenta ſunt appellata. Sic Plin. lib. 35. cap. 2. *Tablina codicibus implebantur, & monumentis rerũ in Magiſtratu geſtarũ.* Et Cicero 2. de Finibus: *Fluit igitur voluptas corporis, & prima quęq; auolat, ſæpiuſq; relinquit cauſas pœnitendi, quã recordandi: Itaq; beatior Africanus cum patria illo modo loquens:* Deſine Roma tuos

hoſtes.

hoſtes. *Reliqua præclarè.* Namque tibi monumenta mei peperere labores.] Sic equus à Didone Aſcanio donatus monumentum dictum à Virg 5. Aeneid.verſ.570.

*Extremus,formaq; ante omnes pulcher Iulus*
*Sidonio eſt inuectus equo, quē candida Dido*
*Eſſe ſui dederat monumentū,et pignus amoris.*

Et ita clientes penes patronos ſua deponebāt munera,quo ſui recordarentur,ſuaſq;quanto. cy us cauſas expedirēt: & ita hæc munera patronorum monebant,& excitabant mentes,vt mo numenta dici poſſent.

*MENA* piſcis eſt paruus, de quo Plin. l.9. cap.26. *Mutant colorem, candidę hyeme menæ, & fiunt æſtate nigriores*. Et lib.32 cap.9.inquit *Menæ ſalſæ cum felle taurino , illitę vmbilico, aluum ſoluunt.* Et eod.lib.cap.10 *apiris menarum cinis, cum allio tritus, ad thymia crudis vtuntur* [††] *Alex deferueſacta , vnguium ſcabritiem, cinisq;e capite menarum,extenuat.* *** *Percarum vel menarū capitis cenis,admixto ſale & cunila,oleoq;vulnæ medetur, ſuffitione quoq; ſecundas extrahit.* Et ſup.eodem lib.32 cap.8. *Anginas menarū ſalſarum ex capitibus cinis ex melle illitus,abolet.* Sed ſi is piſcis eſt,quem expoſitores innuunt,ſcilicet,quem halece,vel alicul am nunc dicunt,imponere nobis Plinius voluit: numquam enim is piſcis candidus,aut niger eſt, ſed ſemper plumbeus, clarior quidē ęſtate,hyeme vero ob curior, quod & in alijs piſcibus accidit , vt non debuerit de iſto ſpecialiter dici. Eius magna copia capitur in noſtro Thyrreno,& infero mari, indeque vilitas pretij,nihil enim earum niſi rarum; & propterea

rea ingratus menſis illorum, quorum palato non ſapit, niſi quod integrum abſumit patrimonium. Nam.qui,vt ait Cicero 2 de Finibus, voluptatem ipſam contemnunt, ijs licet dicere, ſe acipenſerem menæ non anteponere: cui vero in voluptate eſt ſummum bonum, hic omnia ſenſu iudicat,non ratione. In ſalſamētis quoq; erant menç,non minus,quam ſcombri, vel thynni, vt etiam nunc ſunt. Itaq; de ſalſamentis ex menis nunc loquitur delatis in orca à clientibus,patronis. Quid autem ſit orca dictum eſt ſupra verſu 50.ad illa verba.

*anguſtæ collo non fallier orcę.*

Verum hic eſt vas,ſiue teſtaceum,ſiue ligneū, quo ſaliti ſeruantur piſces, & ſalſamenta cum ſua muria.

## Exodium expoſitionis Textus ſecundi Satyræ tertiæ.

### *PARAPHRASIS TEXTVS SECVNDI SATYRÆ TERTIÆ.*

DVm adhuc puer eſſem,& declamandi ſtudia abhorrerem, nolens addiſcere ſuaſoriam Catonis apud Vticam morituri, quam pater audiret, amicis, ad hoc ipſum, corrogatis, oleum oculis inſpergebam,vt horum cauſare poſſem inflammationem, & ita à ſtudijs vacare. Tunc enim mea beatitudo erat in pueriliбus ludis,talis,turbinis rotatione,& ſimilibus: at quum ex ephœbis exceſſi, ſerio liberalibus me tradidi diſciplinis, in quibus

quan-

quantum profecerim, res ipſa declarat. Tibi vero nota eſt ratio diſcernendi rectos à prauis moribus, Stoicæ ſiquidem philoſophiæ canones didiciſti, quibus ſobria vacat iuuentus, vilioribus contenta edulijs, Pythagorianum etiam dogma, per ypſilon, virtutis vitiorumq; tibi vias oſtendit. Quid ergo dormitando exhibes teipſum tamquam adhuc heſterna grauatum crapula? Dic ſodes, conſtituiſti ne aliquem tuarum operationum vltimum finem, an ſine cura futuri, deſultoriè procedis, ad inſtar eorum, qui teſta lutoque auiculas inſequuntur? At ſcito, malum, cui exorienti facili negotio mederi poteras, ſi tempore inueterauerit, fixeritque radices, fiet immedicabile, vt nec medicorum excellentiſſimus, ingentibus prolectatus præmijs, effugare id valeat. Diſce ergo humanarum cauſas actionum, & in primis nos eſſe homines, ex corpore videlicet infirmiſſimo, & anima conſtantes præſtãtiſſima. Secundo nos nõ eſſe genitos vt brutalẽ, ſed vt ſpiritalem, & Angelicam ducamus vitam. Tertio videamus quid noſter à nobis ſtatus depoſcat, & ei ſatisfaciamus. Quarto, mortem nobis imminere, vel noſtram non debere differre conuerſionem, nec poſt vnam virtutis operationem abſolutam, otio debere nos tradere. Quinto diuitiarum externarum reijciendam eſſe cupiditatem. Sexto virtutes vel ſolas, vel præcipuè, eſſe quærendas. Septimo diuitias, tantum ſecundario, vt inſtrumenta exercendæ virtutis eſſe appetendas. Octauo ordinem beneficentiæ, & officiorum erga proximos. Nono quanta hominis ſit præſtantia

quoad animam, & corpus. Et denique num aliorum regamur arbitrio, an alios regere debeamus.Hęc philoſophiæ præcepta mente reuolue , nec inuidia tangaris , etiam ſi videas cauſidicorum domos,adeo diuitijs redundare, vt eſculenta à clientibus delata,in ipſis putreſcant penoribus .

*Finis Commentarij in Textum ſecundum Satyræ tertiæ.*

# ARGVMENTVM
## TEXTVS TERTII
### SATYRÆ TERTIÆ.

EXhortauerat philoſophus nobilem adoleſcentem philoſophũ, ad nauiter philoſophiæ ſapientiæque incumbendum, ſi felicitatem vellet nanciſci: Nunc militem introducit, politioris litteraturæ, virtutumque contemptorem, traditos philoſophiæ, & vrbanæ vitæ canones, irridentem: cuius ſenſibus nunc, ex philoſophi perſona, Perſius reſpondet, exemplo ægroti, qui medici præcepta ſeruare non curans, mortem incurrit corporalem: quaſi eodẽ modo, non cuſtodientes philoſophorum (qui ſunt medici morum) monita, in mortem cadant animorum, infelicitetem videlicet, & miſeriam. Ait ergo.

# TERTIVS, ET VLTIMVS
# TEXTVS
## SATYRÆ TERTIÆ.

*HIc aliquis de gente hircoſa centurionum*
*Dicat, Quod ſatis eſt ſapio mihi: non ego curo*
*Eſſe quod Arceſilas, ærumnoſiq; Solones*
*Obſtipo capite, & figentes limine terram,*
*Murmura quum ſecum, & rabioſa ſilentia rodunt,*
*Atq; exporrecto trutinantur verba labello*
*Ægroti ueteris meditantes ſomnia. Gigni*
*De nihilo nihil in nihilum nil poſſe reuerti*
*Hoc eſt quur palles? quur quis non prandeat hoc eſt?*
*His populus ridet, multumq; toroſa iuuentus.*
*Ingeminat tremulos naſo criſpante cachinnos.*
*Inſpice, neſcio quid, trepidat mihi pectus, & ægris*
*Faucibus exſuperat grauis halitus: inſpice (ſodes,*
*Qui dicit medico, iuſſus, requieſcere, poſtquam*
*Tertia compoſitas uidit nox currere uenas*
*De maiore domo modicè ſitiente lagena,*
*Lenia loturo ſibi Surrentina rogauit.*
*Heus bone tu palles, nihil eſt, uideas tamen iſtud*
*Quidquid id eſt. Surgit tacitè tibi lutea pellis.*
*At tu deterius palles. Ne ſis mihi tutor.*

Iam-

*Iampridem hūc ſepeli, tu reſtas. Perge, tacebo.*
*Turgidus hic epulis, atq; albo uentre lauatur,*
*Gutture ſulphureas lēte exhalāte Mephitin:*
*Sed tremor inter uina ſubit, calidumq; trientē*
*Excutit è manibus, dentes crepuere retecti*
*Vncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.*
*Hinc tuba, candelæ, tandemq; beatulus alto*
*Compoſitus lecto, craſſiſq; lutatus amomis*
*In portam rigidos calces extendit, at illum*
*Heſterni, capite induto, ſubiere Quirites.*
*Tange miſer uenas, & pone in pectore dextrā*
*Nil calet hic, ſummoſq; pedes attinge, manuſq;*
*Non frigent. Viſa eſt ſi fortè pecunia, ſiue*
*Candida uicini ſubriſit molle puella,*
*Cor tibi ritè ſalit. Poſitum eſt algente catino*
*Durum olus, & populi cribro decuſſa farina,*
*Tentemus fauces, tenero latet ulcus in ore*
*Putre, quod haud deceat plebeia radere beta.*
*Alges, quum excuſſit membris timor albus ariſtas*
*Nunc face ſuppoſita, feruescit ſanguis, & ira*
*Scintillant oculi, dicíſq; facíſq; quod ipſe*
*Non ſani eſſe hominis, non ſanus iuret Oreſtes.*

# EXPOSITIO
## TEXTVS TERTII,
## & vltimi
## SATYRÆ TERTIÆ.

SIC *aliquis de gente hircoſa Centurionũ.* Philoſophiæ canones iam poeta tradiderat, eoſque dixerat neceſſarios, cuicumque beatitudinem aſſequi volenti: ſed videns poſſe aliquem, politioris litteraturæ, & ſapientiæ aſpernatorem, oppoſitum ſentire, iudicareque ſufficere ſibi, ad omnia peragenda negocia, & ad vitam beatam, ſuam prudentiam, nec indigere philoſophiæ præceptis, huic exiſtimauit perſuaſioni eſſe neceſſario occurrendum: quod nunc facit, introducens quemdam *de gente hircoſa centurionum*: qua paraphraſi, omnes intelligit caſtrorũ ſequaces, per metonymiam ſubiecti ad ſe recipientis, centurio enim nedum eſt ſub alterius, nimirum Tribuni, & Imperatoris, poteſtate, ſed alios ſub ſe continet, nam inde dicitur centurio, quia ſub ipſo centum militant pedites. Vnde Vegetius de Re militari lib. 2. cap. 13. ait: *Antiqui, quia ſciebant in acie, com-*

*miſſo bello, celeriter ordines, acieſque turbari, itque confundi, ne hoc poſſet accidere, cohortes in centurias diuiſerunt, & ſingulis centurijs ſingula vexilla conſtituerunt, itaut ex qua cohorte, vel quota eſſet centuria, in illo uexillo litteris eſſet adſcriptum, quod intuentes, vel legentes milites, in quantouis tumultu, à contubernalibus ſuis aberrare non poſſent. Centuriones inſuper, qui nunc centenarij vocantur, nimium bellicoſos loricatos, tranſumptis caſſidum criſtis, ut facilius noſcerentur, ſingulas iuſſerunt gubernare centurias, quatenus nullus error exiſteret, quum centeni milites ſequerentur non ſolum vexillum ſuum, ſed etiam centurionem, qui ſignum habebat in galea.* Milites autem appellati ſunt gẽs hirtoſa, vel quia hircorum more ſunt ſalaces, intemperantes, & in Venerem procliues, quod innuit Plautus dicens Caſina Act.3. ſc.2.

*flagitium maximum feci miſer*
*Propter operam illius improbi hirci edentuli.*

Vnde Satyri, qui magna ex parte hircinam referebant formam, ſalaciſſimi perhibebãtur. Vel quia ad inſtar hircorum, ex veſtibus, & toto corpore hircinum, nempe fœdum exhalabant odorem. Hinc Horat. Epod. ode 13.

*Namq; ſagacius unus odoror*
*Polypus, an grauis hirſutis cubet hircus in alis.*

Sic Plautus Mercatore Act.3.ſc.3.

*Quum ſis iam ætatis plenus, anima fetida*
*Senex hircoſus.*

Catullus pro hirco, caprum dixit car.70.

*tibi fertur*
*Valle ſub alarum trux habitare caper.*

A quo fœdo odore, amatores monet Naſo, vt caueant, ni velint extrudi foras lib.1. de arte:

*Nec lædant nares virq; paterq; gregis.*

Et idem eiuſdem operis lib.3.

*Quàm benè admonui, ne trux caper iret in alas.*

Et infra eodem lib.3.

*Oeſypa quid redolent, quãuis mutentur ahenis*
*Demptus ab immundæ vellere ſuccus ouis.*

Hircinum ergo, ſiue caprinum, aut ſimilem grauem odorem referunt illi, qui mundiciem non ſequuntur, vt ſunt milites, nedum ob ſudorem emiſſum caſtrenſibus immodicis laboribus, quem ſæpe abſq; ſubucularum mutatione, ſupra cutem ſiccare coguntur; ſed etiam quia ita veſtibus, armiſque induti, vt de die, noctu quoque durant, nudam humum, aut tabulam pro molli culcitra habentes, in qua dormiant. Et inde fœdus iſte odor, ſiue hircino ſimilis, ſiue alius grauis, nam per ſenecdochen, hircoſus dici potuit, quilibet è cuius corpore grauis emanat odor. Vel milites dicti gens hircoſa, quia ad inſtar hircorum procliues ſunt ad pugnam, rixam, & bellum, ac plerum que corpore ſunt hiſpido, & villoſo: quod indicare voluit Apuleius lib.9. Aſini aurei dicens: *Quidam procerus, &, ut indicabat habitus, miles è legione, factus nobis obuius, ſuperbo atq; arroganti ſermone, percontatus eſt, quorſum uacuum duceret aſinum: At meus dominus, adhuc merore permixtus, et aliàs Latini ſermonis ignarus, tacitus præteribat. Nec miles ille familiarē cohibere quiuit inſolentiam, ſed indignatus ſilentio eius, uite quam tenebat, obtundens eum,*

dorſo

*dorſo meo protrabat*. Nam talis villoſitas, robur, & fortitudinem deſignat, iuxta illud Iuuenal. ſat. 2. verſu 11.

*Hiſpida mēbra quidē, et duræ per brachia ſetæ*
*Promittunt atrocem animum*,

Quam vigoris opinionem, per mundiciei contemptum, affectabant Centurionatus, aut Tribunatus candidati Hinc Iuuen. ſat. 14. v. 193.

*Scribe puer, uigila, cauſas age, perlege rubras*
*Maiorum leges, aut vitem poſce libello,*
*Sed caput intactum buxo, naresq; piloſas*
*Annotet & grandes miretur Lelius alas.*

Nam libello poſcere vitem, eſt petere Centurionatum, vitis enim erat inſigne centurionū: vnde quod Apuleius, verbis celaris habet, militem, vite quam tenebat, percuſſiſſe hortulanum, ſignificat illum nedum militem, ſed centurionem fuiſſe. Sic Plutarchus in Galba prope finem ait: *Sempronius Centurio, qui nullo priuatim beneficio à Galba eſſet affectus. ſed honeſtati legique opem ferens, ſletit ante lecticam, ſublatoque primum palmite, quo centuriones in obnoxios uerberibus animaduertunt, contra eos, qui inuadebant, clamabat, & ut Imperatori parcerent, iubebat, deinde diſtricto enſe, urgentibus ſe, diu repugnauit, donec amiſſis poplitibus, cecidit.* Et Plinius lib. 14. cap 1. ait: *Centurionum in manu uitis, & opimo præmio tardos ordines ad lentas perducit aquilas, atque etiam in delictis, pœnas ipſas honorat.* Centurio igitur iſte, ſiue miles, rudis, atque agreſtis, philoſophiæ, artiumque liberalium aſpernator, inducitur contemnere ſalutaria ſapientiæ monita: cui aptari poſſis illud, quod quum Iuliano

Apoſtatæ oblatus fuiſſet libellus pro Chriſtianis, illeque reſpondiſſet. Legi, intellexi, reprobaui: fertur replicaſſe D. Baſilium, Legiſti, ſed non intellexiſti, ſi namq; intellexiſſes, non reprobaſſes. Sic miles iſte, philoſophiæ præcepta ſe manifeſtat non intelligere, dum ea pro nihilo ducit. Et tamen ſibi videbatur, etiam abſque philoſophia, tanta præditus ſapientia, vt poſſet, nedum negocia, & officia quæcumque rite obire, ſed & vitam beatè tranſigere. Et hæc perſuaſio in milite iſto, ex ignorantia procedebat. Vt enim ille ſolidè ſapere creditus eſt, qui dixit: Hoc vnum ſcio, me nihil ſcire: ita iuxta Apoſtolum 1. Timoth. 1. *non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*, temere ſe omnia ſcire præſumunt, indeque ſuam amplius detegunt ſtultitiam; nam ſicut, eodem Apoſtolo teſte Galat. 6. *Qui putat ſe aliquid eſſe, quum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit*, ita & qui ſe exiſtimat aliquid ſcire, quum nihil ſciat. Et tamen iuxta illud: Qui velit ingenio cedere nullus erit, ingenita videtur cuilibet, de ſeipſo ſcientiæ opinio. Miles ergo iſte, eo deterius ignorantia laborabat, quo magis ſe laborare neſciebat, & ſicut de Nacta dicebamus, inemendabili tenebatur neſcientia, ſi enim ſe neſcire cognouiſſet, ſapientiam vtique addiſcere quæſiuiſſet: ſicut apud Laertium lib. 2. in Ariſtippo, legimus Ariſtippum rogatum à Dionyſio, *quur ad diuitum fores philoſophi accederent, ad philoſophorum autem, diuites non accederent?* reſpondiſſe: *quia iſti ſciunt quibus indigeant, illi vero neſciunt*. Sicut qui infirmum ſe nouit, medicũ

quærit

quærit, quo ab ægritudine liberetur: mentecapti vero, ſiue phrenetici, ſunt inſanabiles, quia non aduertentes ſe infirmari, curationẽ auerſantur. Sic Miles iſte, arbitratus ſe cuncta ſcire, præ ſe Arceſilam, Solonemque aſpernatur.

*NON ego curo eſſe, quod Arceſilas.* Arceſilæ, ſiue Arceſilai plures fuerunt. Primus Bœotiorum dux, cuius lib. 2. Iliados meminit Homerus, narrans eum cum alijs, quinquaginta naues ad Ilij excidium duxiſſe. Trium aliorũ meminit Laertius l. 4. in Arceſilao his verbis: *Fuerũt & alij tres Arceſilai. Vnus Poeta ueteris comœdiæ: alter elegiæ; alius fictor.* Sed de horũ nullo nunc eſt ſermo, ſed de Seuthi filio, Pitane Eolidis orto: qui, vt Laertius relatus habet, initio, antequã Athenas proficiſceretur, Autolycum mathematicum, ciuem ſuum, audiuit: deinde Xanthum Athenieſem muſicum. Poſt quem, nonnulli volunt, eum auditorem fuiſſe Polemonis, qui Xenocrati in Platonis ſucceſſerat ſchola, quo tamen magiſtro, ipſe diſcipulus, vt ingenio acutior, ita in dicendo incitatior erat, ac vehementior, ideoq; Crantori Solenſi adhæſit, Academicæ quidem philoſophiæ profeſſori, ſed tamen qui nouis opinionibus, Academiam repleuerat, ſinceramq; Platonis doctrinam, nitebatur obfuſcare. Sed Laertius vult immediatè poſt Xanthum, Theophraſtum, indeque in Academiam ad Crantorem ſe contuliſſe, nulla Polemonis facta mentione. Ex Crantore igitur Arceſilas anſam accepit Platonicam euertendi Philoſophiam, nouamque conſtituendi, vt dicere

potuerit Cicero Academicarum Quæſtionum lib.2. *Nonne quum iam philoſophorum diſciplinæ grauiſſimæ conſtitiſſent, tum exortus eſt, ut in optima Rep. Tib. Gracchus, qui otium perturbaret, ſic Arceſilas, qui conſtitutam philoſophiam euerteret, & in eorū autoritate deliteſceret, qui negaſſent quicquam ſciri, aut percipi poſſe? Quorum è numero tollendus eſt Plato & Socrates; alter quia reliquit perfectiſſimam diſciplinam, Peripateticos, & Academicos, nominibus differentes, re congruentes, à quibus Stoici ipſi, uerbis magis, quam ſententijs diſſenſerunt. Socrates autem de ſe ipſe detrahens in diſputatione, plus tribuebat ijs, quos uolebat refellere: ita quum aliud diceret, aliud ſentiret, libenter uti ſolitus eſt ea diſſimulatione, quam Græci εἰρωνείαν uocant.* Quum ergo Arceſilas affirmaret, nihil poſſe ſciri, idque ſophiſmatibus euincere conaretur, merito ignorantiæ magiſter dictus eſt à Lactantio lib.3.cap.4. *Si ergo multę ſectæ, multarum ſectarum iudicio, ſtultitiæ conuincũtur, omnes igitur uanæ, atque inanes reperiuntur. Ita ſeipſam philoſophia conſumit, & conficit. Quod quum intelligeret Arceſilas, Academię conditor, reprehenſiones omnium inter ſe collegit, confeſſionemque ignorantiæ clarorum philoſophorum, armauit ſe aduerſus omnes: ita conſtituit nouam, non philoſophandi philoſophiam.* Et idem eodem lib 3. cap. 6. *Verum Arceſilas ignorantiæ magiſter, quum Zenoni obtrectaret, principi Stoicorum, ut totam philoſophiam euerteret, autore Socrate ſuſcepit hanc ſententiam, ut affirmaret nihil ſciri poſſe.* Et Cicero parum à fine libri 5. de Finibus de eodem Arceſilao inquit:

*De*

*De aſperitate eius fortiter ferenda, præcipiunt eadem quę Stoici, & quidem Arceſilas tuus, etſi fuit in diſſerendo pertinacior, tamen noſter fuit, erat enim Palemonis.* Quamuis autem perſuadere niteretur nihil ſciri poſſe, etiam ſi quid demonſtratione, vel ſenſibili cognoſceretur experimento, quia tamen in diſputationibus erat copioſus, ſagax, acer, atque ſubtilis, habitus fuit multiſcius, & ita nouam inſtituere potuit Academiam, & non paucos, inſigneſq; habere diſcipulos, ac ſequaces, interque eos etiam Ciceronem. Ipſe vero, quum ad quintum, & ſeptuageſimum vixiſſet annum, ſeque nimio ingurgitaſſet mero, eo ſuffocatus, ad plures deſcendit.

*ÆRVMNOſiq; Solones.* Ærumnoſi dicti ab ærumnis, quę proprie ſunt muli Mariani, ſeu viatorum furcinulæ, de quibus dictum ad illa verba ſatyræ 1. verſu 78.

*ærumnis cor luctificabile fulta.*

Sed hic metaphorice ęrumnoſi dicuntur calamitatibus & infortunijs quaſi oneribus ſarcinarum oppreſſi. Solones autem dicti, vel per hypallagen numeri, vel per ſenecdochen ſpeciei pro genere, ideſt pro quocunque philoſopho. Fuit autem Solon vnus è ſeptem Græciæ ſapientibus qui ſolus ſapere, Delphico pronunciatus eſt oracu o, eique à multis adſcribitur vox: Noſce teipſum, quæ, Deo iudicata autore digna, templo Delphico fuit inſculta, ſed Auſonius Chiloni dedit:

*Septenis patriam, ſapientum nomina, voces*
*Verſibus expediam, ſua quemq; monoſtica dicēt*
*Chilo, cui patria eſt Lacedæmon Noſcere ſeipſũ*

*Periander, trepidam moderare Corinthius irã*
*Ex Mitylenæis, nimium nil, Pittacus oris*
*Mēſuram optimū, ait Cleobulus Lindius, in re.*
*Expectare olon, finem docet, ortus Athenis*
*Plures eſſe, Bias, prauos, quem clara Priene*
*Mileti fugiſſe, Thales, uadimonia, alumnus.*

De Solonis patria, plures illum Salamine ortum, licet pauci contendant ipſum natum Athenis, in quibus floruit, temporibus quo Romæ regnabat Tarquinius Priſcus: immo Gellius lib. 17. cap. 21. aſſerit eum leges Athenienſibus ſcripſiſſe, Regni huius Tarquinij anno trigeſimotertio. Is enim, abrogatis, ob nimiam ſęueritatem, Draconis legibus, qui ei quoque, qui pauca ſurripuiſſet olera, capitis irrogabat pœnam, alias ſcripſit, tanta ſapientia, ac moderatione, vt parem à populo, & Senatu (inuicem prius diſſidentibus) gratiam mereretur, & illæ apud multas nationes laudatæ, à Romanis etiam expetitæ, receptæ fuere, & poſitę in duodecim tabulis. Draconis vero leges, execratæ, adeo vt de eo dixerit Demades, illas non atramento, ſed ſanguine ſcriptas fuiſſe. Florebat tunc in eadem Athenienſium Rep. maxima cum eloquentiæ, & affabilitatis gloria, Piſiſtratus, Soloni quidem ſanguinis coniunctione propinquus, ſed conſiliorum communicatione remotus: nulli enim rei magis Piſiſtratus incumbebat, quam rationi patrię libertatem peſſumdandi, eamdémq; ſibi ſubijciendi, quam Solon ſartam tectam ſeruatam volebat. Hinc ad inuicem ſimultates, & Solonis crebrę ad populum conciones, quibus eum monebat, caueret ſibi à dolis pro-

pia-

pinqui ſui, nec vnquam ſineret libertate ſe ſpoliari. Sæpe etiam eumdem Piſiſtratum priuatim hortatus eſt, ciuiliora ſumeret conſilia, vt eum reuocaret ab incepto patriam opprimendi. Et vbi ſuam vidit ſapientiam, alterius imparem eloquentiæ, ac hypocriſi, populum, Senatumque iureiurando adſtrinxit, eas obſeruaturos ſe leges, quas ipſe ſcripſerat, quouſque ſaltem ex ea peregrinatione reuerſus fuiſſet, quam Reip. cauſa ſuſcipere ſe dicebat. Et hoc iureiurando impetrato, in voluntarium profectus exilium, primum Ægyptum petijt, inde Cyprum, poſtea Sardin Lidiæ metropolim, & Crœſum Regem: cui, immenſas oſtentanti diuitias, rogantique: Ecquem nouiſſet ſe feliciorem? Reſpondit: Tellum Athenienſem, pauperem quidem opibus, ſed virtutibus diuitē, cum quarum aſſiduo exercitio, in ſuo conſenuerat prædiolo, cuius nūquam exceſſerat limites, & quod ſuis ipſe coluerat manibus, ibique diem clauſerat extremum. Miranti vero Crœſo, quod pauperem ruſticumque ſibi in felicitate prætuliſſet, & interroganti: num quem alium præter hunc Tellum, ſe cognouiſſet beatiorem? expectans atq; ambiens ſibi, ex illius ore ſecundas ſaltem attribui felicitatis partes. Ille vero, certè inquit Cleobin noui, & Bitonem Argiuos, qui pariter certaminum extitere victores, & quū quadam die eorum mater, Iunonis ſacerdos, deberet carpento ad ſacrificandum venire in templum, quinque ſupra quadraginta ſtadijs longe poſitum, nec iugales præſto eſſent, ipſi iugum ſubeuntes, plauſtrum cum matre de-

cule-

tulerunt, & peracto cum omnium gratulatione ſacrificio, mater Deam precata eſt, daret filijs, quod optimum foret: illi vero, vt in ipſo delubro quieti ſe dederant, non amplius ſurrexerunt, ſed tale vitæ exitum tenuerunt. Sed Crœſo ſtomachabundo, quod talibus felicitate inferior iudicaretur: reſpondit Solon: neminem ante obitum, quamdiu temporum mutationi ſit obnoxius, poſſe felicem iudicari, immo finem expectandum, ex quo de vniuſcuiuſque beatitudine, vel miſeria iudicium ferri poterit. Quod Solonis dictũ, quam foret verum, in ſeipſum Crœſus expertus didicit: nam quum Cyro Perſarum, Medorumq; Regi bellum intuliſſet, ab eo ſuperatus, captuſque, viuus pyræ impoſitus eſt comburendus: igneque ſuppoſito, iam pyra ardebat. In quo rerũ articulo, recordatus felicitatis è qua exciderat, & verborum Solonis, quæ veriſſima experiebatur, exclamauit: O Solon, ò Solon. Cyrus autem ab eo per interpretem quæſiuit, quem Deorum, vel Heroum tunc inuocaret: Ad quem Crœſus, vt refert Herodotus in Clio: *Illum*, ait, *nominaui, qui, ut omnes Tyrãnos alloqueretur, ego, quam ingentem pecuniam præoptarem.* Retulitque quemadmodum Solon Athenienſis ad ſe veniſſet, duxiſſetque pro nihilo cunctas eius diuitias ſibi eueniſſe vniuerſa ab illo prædicta: quæ vt tangebant ſeipſum, ita & omnes mortales, præſertim qui ſibi videntur felices. Hæc Crœſo referente, Cyrus præcepit ignem celerrime extingui, quo iam pyra ardebat: ſed quibus mandatum fuerat, ignem extinguere non valebant. Ve-

rum

rum Crœſus cognita per Lydos Cyri pœnitentia, quum cerneret miniſtros non proficere in deuoluẽdo igni, exclamando Apollinem inuocauit, vt ſi quod donum ipſis gratum obtuliſſet, eum à preſenti periculo liberaret. Eoque ſic Deum inuocante, etſi aer ſerenus, tranquilluſque foret, repẽte nimbi conſtacti, imbres copioſos effudere, quibus ignis extinctus fuit. Et ita Solon, ſiue eius memoria, & inuocatio, Crœſum quodammodo ex incendio liberauit. Ipſe autem Solon è Sardis Lidiæ, iterum Cyprum nauigauit, vbi octuagenarius deceſſit, teſtamento condito, quo cauit, vt ſui cadaueris cineres Salaminem, nempe patrium in ſolum deportarentur, ibique per agros, & totam illam regionem diſſiparentur, ne videlicet vnquam Athenas poſſent deferri, & ita Athenienſes opinari ſe reuerſum ex peregrinatione, atque adeo ſe ſolutos iureiurando, quo ſe adſtrinxerant de in ſuis legibus nihil nouaturos, quouſq; ipſe ex peregrinatione reuerſus fuiſſet, aliquid innouarent.

*OBSTIPO capite* de Arceſilao loquitur, atq; Solone, & ſub horum appellatione de vniuerſis philoſophis, & contemplatiuis. Metuentibus etiam hunc geſtum tribuit Horatius dicens 2. ſermon. ſat. 5.

*Difficilem, et moroſum offendes garrulus: ultro*
*Non etiam ſileas, Dauus ſis comicus, atque*
*Stes capite obſtipo, multum ſimilis metuenti.*

Sunt autem obſtipi, quibus colla rigent, ſeu quorum capita in humeros inclinantur. Hinc Columella lib. 7. cap. 10. *Febricitantium ſuum ſigna ſunt, quum obſtipæ ſues tranſuerſa capita ferunt,*

*ferunt, ac per paſcua ſubito, quum paululum procurrerunt, conſiſtunt et uertigine correptæ, corruunt.* Obſtipi ergo capite ſunt philoſophi, meditationi aſſiduè vacantes.

*FIGENTES lumine terram.* Figere aliquando eſt ſuſpendere. Sic Cicero ad Atticum l.3. epiſt.15. *Quid enim uides agi poſſe, aut quomodo? Per Senatum? at tutè ſcripſiſti ad me quoddam caput legis Clodium in Curiæ poſte fixiſſe, ne referri, neue, dici liceret. Quomodo igitur Domitius ſe aixit relaturum?* Sic Horat. lib. 1 epiſt. 1.

*Non eadem eſt ætas, nõ mens, Vehianius armis*
*Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro*
*Ne populum extrema toties exoret arena.*

Ad quam ſignificationem alludit prouerbialis illa locutio, cuius meminit Cicero Verrina 7. dicens: *Mamertinis, qui erant in eadem cauſa, et quibus ſuperiores omnes Prætores, item ut cæteris, imperarant, pecuniamque ex Senatus conſulto, & ex lege diſſoluerant, his dico, non rectè remiſſum. At ut hoc beneficium, quemadmodum dicitur, trabali clauo figeret, cum conſilio cauſam Mamertinorum cognoſcit, & de conſilij ſententia Mamertinis ſe frumentum non imperare pronũciat.* Vbi beneficium figere clauo trabali, eſt, æternam illius promittere memoriam, obliuione numquam delendam. Et eodem penè modo, ſed metaphoricè de fixione claui animi loquitur Plautus Aſinaria Act.1.ſc.3. dicens:

*Fixus hic apud nos eſt animus tuus clauo Cupidinis*
*Remigio, ueloq; quantũ poteris, feſtina et fuge,*
*Quam magis te in altum capeſſis, tam æſtus te in portum referet.*

At

At quandoq; figere eſt percutere inſtrumento penetrante Sic Iuuen. ſat. 1. verſu 22.

*Quum tener uxorē ducat ſpado, Neuia Tuſca*
*Figat aprum, et nuda teneat uenabula mamma.*

Sæpe eſt firmare, ſeu ſtabilire: & ita Cicero ad Atticum lib. 8. epiſt 22. *Scito labare meum conſilium illud, quod ſatis iam fixum uidebatur.* Frequentius eſt plantare, vel immittere. Sic Virgilius 4. Georg. verſu 114.

*Ipſe labore manum duro terat, ipſe feraces*
*Figat humo plantas, & amicos irriget imbres.*

Sic Cic. Verrina 7. *Tu quos ſeruos arma capere, ac bellum facere in Sicilia uoluiſſe cognoras, & de Conſilij ſententia iudicaras, hos ad ſupplicium iam, more maiorum traditos, & ad palum alligatos, ex media morte eripere, ac liberare auſus es, ut quam damnatis ſeruis crucem fixeras, hanc indemnatis Ciuibus Romanis reſeruares.* Verum hic figere terram lumine, ſumitur metaphoricè, pro eo, quod eſt acriter, & immotè oculorum aciem in terram firmare, eam aſpiciendo; qui geſtus proprius eſt profundè contemplantium: hi namque, quaſi eſtaſim patientes, diu in eadem perſeuerant poſitione: Attentè enim meditari, vel ſpeculari volentes, ne per ſenſibilium ſpecierum varietatem, ab intenta conſideratione diſtrahantur, colla ſolent habere rigentia, & capita in humeros inclinata, nam ſic quietius contemplationi vacant: & ne nouiter aduenientis phantaſmatis obiectu, alienetur animus ab indigatione veritatis, quam rimabantur, ſenſuum, & maximè oculorum, prohibent operationes; vnde frequentius ſolitaria, vel obſcura eligunt loca, vel oculos

clau-

claudunt, aut, vt hic dicitur, terræ eos defigũt, hanc continenter perſeueranterq; deſpicientes, nec eos, inde attollentes, ne animus à ſua diuertatur contemplatione. Quod præſtans philoſophi, vt ſequitur.

*MVRMVRA dum ſecum, & rabioſa ſilentia rodunt, atq; exporrecto trutinantur verba labello.* De murmure dictum ad verſum 6. ſatyræ 2. Rabioſus autem ille dicitur, qui rabie laborat, vt canis, vel aliud animal, quod ex rabidi canis morſu, rabiem incurrit. Sic Apuleius l. 9 [Quidam ſubito puer, nobili ac trepida facie percitus, vt familiares inter ſe ſuſurrabant, irrupit triclinium, ſuoque annunciat domino, de proximo angiportu, canem rabidam paulo ante per poſticum impetu miro ſeſe direxiſſe, ardentique prorſus furore, venaticos canes inualiſſe, ac de hinc proximum petiſſe ſtabulum, atque ibi pleraque iumenta incurriſſe, pari ſæuitia: nec poſtremum, ſaltem ipſis hominibus peperciſſe, nam Myrtilum mulionem, & Epheſtionem cocum, & Hypatauium cubicularium, & Apollonium medicum, immo vero, & plures alios ex familia, abigere tentantes, varijs morſibus quemque laceraſſe. Certè venenatis morſibus cõtacta nonnulla iumenta, efferata ſimili rabie. Quæ res omnium ſtatim percuſſit animos, ratique me etiam eadem peſte infeſtum ferocire, arreptis huiuſcemodi telis, mutuoque (vt exitium commune protelarent) cohortati, ipſi potius veſaniæ morbo laborantes, perſequuntur: nec dubio me lanceis illis, & venabulis, immo vero, & bipennibus, quæ facilè famuli ſubminiſtrabant,

mem-

membratim compilaſſent, ni reſpectu ſubiti periculi turbine, cubiculum, in quo mei domini diuertebant, protinus irrupiſſem, tunc clauſis, obſeratiſque ſuper me foribus obſidebant locum, quoad ſine vllo conceſſionis ſuæ periculo, peſtilentiæ lethalis peruicaci rabie poſſeſſus, ac pereſus abſumerer. Quo facto tandem libertatem nactus, ſolitariæ fortunæ munus amplexus, ſuper conſtratum lectum abiectus, poſt multum equidem temporis ſomnum humanum quieui. Iamque clara die, mollicie cubiculi refota laſſitudine, vegetus exurgo. Atque illos, qui meæ tutelę peruigiles excubias agitauerant, auſculto de meis ſic altercari fortunis. At huncine miſerum iſtum aſinum iugi furore iactari credimus? immo vero iam virus increſcente ſæuitia prorſus extinctum? Sic opiniones variæ terminum ad explorationem conferunt, ac de rima quadam proſpiciunt ſanum me, atque ſobrium, ocioſe conſiſtere: iamque vltro foribus patefactis, plenius an ſim iam manſuetus periclitantur. Sed vnus ex his, de cœlo miſſus mihi ſoſpitator, argumentum explorandæ ſanitatis meæ tale commonſtrat cæteris: vt aquę recentis completam peluim offerrent: ac ſi intrepidus, & more ſolito ſumens, aquis adlibeſcerem, ſanum me, atque omni morbo ſcirent expeditum: contra vero ſi viſum, contactumq; laticis vitarem, ac perhorreſcerem, pro comperto noxiam rabiem pertinaciter durare. Hæc enim libris priſtinis etiam proditum obſeruari ſolere. Iſto placito, vas immane confeſtim aquæ perlucidæ de proximo petitæ fonte, cunctantes

ad-

adhuc offerunt mihi : at ego ſine vlla mora, progreſſus, etiam obuio gradu, ſatis ſitienter, pronus, & totum caput immergens, ſalutares verè equidem illas aquas hauriebam.] Antidotum ſanè morſis à cane rabido eſt, ſi aquam non expaueſcant, immo ſi eã audeant attingere, alioquin lethalis eſt aquæ metus. Cuidam enim morſu rabidi canis infecto, appoſita eſt aqua perlucida, in qua quum ille canis vidiſſet idolum, prę timore exanimatus eſt, quilibet enim ſic morſus, ſi aquam timuerit, actum de illo eſt. Vnicum eſt remedium hydrophobon, ideſt aquam timentem, non opinantem, in piſcinam ante non præuiſam, proijcere, & ſi natandi non habet ſcientiam, modo merſum pati bibere, modo attollere; ſi vero natare ſciat, interdum eum deprimere, vt etiam inuitus aqua ſatietur. Refert Philoſtratus lib. 6. vitæ Apollonij, quemdam morſum à rabido cane, caninos retuliſſe mores, latrabat enim, & inſtar canis pedibus, manibuſq; gradiebatur. Apollonius vero feciſſe, vt canis, qui momorderat, lamberet morſum, vt idem foret medicus, qui plagator, ſicque ille melius habuit, & quum deinde aquam bibiſſet, ſanus omnino factus eſt, & etiam canis proiectus in fluuium, quum in eo nataſſet. Obſeruant etiã eum rabidi canis morſum eſſe aſperiorem, qui factus eſt in cynocaumate, ideſt æſtu caniculari. De his Celſus lib. 5. cap. 27. §. 2. ait: *Vtiq; ſi rabioſus canis momordit, cucurbitula virus eius extrahendum eſt: deinde ſi locus, neque muſculoſus eſt, vulnus id adurendum eſt: ſi uri non poteſt, ſanguinem homini mitti, non alienum eſt.*

*Tum*

*Tum vſto quidem vulneri ſuperimponenda, quę cæteris vſtis ſunt. Ei vero, quod expertum ignem non eſt, ea medicamenta, quæ vehementer exedunt: poſtque nullo nouo magiſterio, ſed iam ſuprà poſitum, vlcus erit implendum, & ad ſanitatem perducendum. Quidam poſt rabioſi canis morſum, protinus in balneum mittunt, ibique patiuntur deſudare, dum vires corporis ſinunt, vlcere adaperto, quo magis ex eo quoque virus diſtillet: deinde multo meracoque vino excipiunt, quod omnibus venenis contrarium eſt: idque quum ita per triduum factum eſt, tutus eſſe homo à periculo videtur. Solet autem ex eo vulnere, vbi parum occurſum eſt, aquę timor naſci, ὑδροφοβίαν Gręci appellant. miſerrimum genus morbi in quo ſimul æger & ſiti, & aquæ metu cruciatur: quo oppreſſis, in anguſto ſpes eſt. Sed vnicum tamen remedium eſt, nec opinantem in piſcinam, non ante ei præuiſam, proycere & ſi natandi ſcientiam non habet, modo merſum bibere pati, modo attollere: ſi habet, interdum deprimere, vt inuitus quoq; aqua ſatietur. Sic enim ſimul et ſitis, et aquę metus tollitur. Sed aliud periculum excipit, ne infirmum corpus in aqua frigida vexatum, neruorum diſtentio abſumat. Id ne incidat, à piſcina protinus in oleum calidum demittendus eſt.* Plinius etiam lib. 8. cap. 40. inquit: *Rabies canum ſirio ardente, homini peſtifera, ita morſis lethali aquæ metu: quapropter obuiam itur per triginta eos dies, gallinacio maximè fimo mixto canum cibis: aut, ſi præuenerit morbus, veratro.* Et ſequenti cap. 41. *Ad morſum vero, vnicum remedium, oraculo quodam nuper repertum, radix ſilueſtris roſa, quæ cynorhoda appellatur,*

Co-

*Columella autor eſt, ſi quadrageſimo die, quam ſit natus, caſtretur morſu cauda, ſummuſque eius articulus auferatur, ſequenti neruo exempto, nec caudam creſcere, nec canes rabidos fieri.* Et idem Plinius lib. 29. cap. 5. habet: *In canis rabidi morſu, tuetur à pauore aquæ, capitis canini cinis illitus vulneri. Oportet autē comburi omnia eodē modo, vt ſemel dicamus, in vaſe fictili nouo, argilla circumlito, atque ita in furnum indito. Idē & in potione proficit. Quidam ob id edendum dederunt. Aliqui & vermem è cadauere canino adalligauere. Menſtruaue in panno ſubdidere calici, aut intus ipſius caudæ pilos combuſtos inſuère vulneri. Cor caninum habentem, fugiunt canes: non latrant vero, lingua canina in calceamento ſubdita pollici, aut caudam muſtelæ, quæ abſciſſa dimiſſa ſit, habentes. Eſt limus ſaliuæ ſub lingua rabioſi canis, qui datus in potu fieri hydrophobos non patitur. Multo tamen vtiliſſimè iecur eius, qui in rabie momorderit, datur, ſi poſſit fieri, crudum mandendum, ſi minus, quoquo modo coctum, aut ius incoctis carnibus. Eſt vermiculus in lingua canum, qui vocatur à Græcis* lytta, *quo exempto infantibus catulis, nec rabidi fiunt, nec faſtidium ſentiunt. Idem ter igni circumlatus datur morſis à rabioſo, ne rabidi fiant. Et cerebello gallinaceo occurritur, ſed id deuoratum anno tantum eo prodeſt: aiunt, & criſtam contritam efficaciter imponi, & anſeris adipem cum melle. Saliuntur & carnes eorum, qui rabidi fuerunt, ad eadem remedia in cibo dandæ. Quin & necantur catuli ſtatim in aqua, ad ſexum eius, qui momorderit, vt iecur, & crudum deuoretur ex ijs. Prodeſt & fimum gallinaceum*

ceum

*ccum dumtaxat ruſum, ex aceto impoſitũ, & nucis aranei caudę cinis, ſtaut ipſe cui abſciſſa ſit viuus dimittatur. Glebula ex hirundinum nidis illita ex aceto, uel pulli hirundinis combuſti. Membrana, ſiue ſenectus anguium, vernatione exuta, cum cancro maſculo trita, nam etiam per ſe repoſita in arcis, armaryſque tineas necat. Tanta uis mali eſt, ut urina quoque calcata rabioſi canis, noceat, maximè ulcus habentibus. Remedium eſt fimum caballinum aſperſum aceto, & calfactum, in fico impoſitum. Minus hoc miretur, qui cogitet lapidem à cane morſum, vſque in prouerbium diſcordię veniſſe. Qui in vrinam canis ſuam egeſſerit, torporem lumborum dicitur ſentire.*

RODERE eſt dentibus aliquid è re dura continenter detrahere, & eſt proprium murium. Sic Cicero 2 de Diuin. ait: *Ante Marſicum bellum, quod clypeos Lanuuÿ, ut à te eſt dictum, mures roſiſſent, maximum id portentum Aruſpices eſſe dixerunt: quaſi uero quidquam interſit, mures, diem, noctesque aliquid rodentes, ſcuta an cribra corroſerint.* Sic Horat. 1. ſerm. ſatyra 10.

*fuerit Lucilius inquam*
*Comis & urbanus, fuerit limatior idem,*
*Quam rudis, et Græcis intacti carminis autor,*
*Quamq; poetarum ſenior in turba: ſed ille*
*Si foret hoc noſtrum fato dilatus in æuum*
*Detereret ſibi multa, reciderit omne, quod ultra*
*Perfectum traheretur, & in uerſu faciendo*
*Sæpe caput ſcaberet, uiuos & roderet ungues.*

Volunt aliqui eſſe in his verbis tropum; at

nos,

nos, iuxta tradita in noſtris Inſtit. Orat. l.3. Tra&.2. dicimus, in his non eſſe tropum, ſiquidem in omni tropo neceſſaria eſt ſignificationis vocis mutatio, quæ hic non interuenit, ideo nec propriè tropus. Adeſt nihilominus Charienteſis, ſiue Aſteiſmus, nempe illuſio geſtus contemplantium philoſophorum, & illius ad viuum repreſentatio, cum delectabili quadam vrbanitate. Dicuntur ergo philoſophi rodere murmura, & rabioſa ſilentia: quia meditantes, diuerſos percurrunt dicendi modos, dum qui primo menti occurrerat, ſolutioni erat obnoxius, ſaltem non leuem patiebatur impugnationem, & propterea alium, atque alium inquirunt. Et ita, quum aſſiduè aliquid ſilenter ſecum loquantur, dici poſſunt rodere murmura, & ſilentia, non quæcumque, ſed rabioſa: nam quum in diſputando ſint acres, in meditationibus vero taciti, rabidos imitantur canes, qui, durante furore, taciti diſcurrunt, & mordent ſilenter. N. ſi mauis dicta ſilentia rabioſa, quia ſpeculationibus veritatem inueſtigantes, hac non ſe prodente, nonnumquã aduerſus propriam hebetudinẽ grauiter quidem, ſed ſilenter iraſcuntur, vt de Ariſtotele, non valente cauſam cognoſcere ſepteuæ Euripi æſtuationis, & in illudmet fretum inſilientc, cum illis vocibus: Ariſtoteles non habet Euripum, Euripus habet Ariſtotelem, aliqui affirmarunt. Vel etiam quia philoſophorum quidam, exiſtimantes ſuis ſpeculationibus veritatem iam inueniſſe, eamque è Democriteo eruiſſe puteo, & inſuper conſiderantes aduerſariorũ obſtinatam peruicaciam,

qui

qui veritati manifeſto à ſe deprehenſæ, adhuc obluctantur, nec herbam tradere volunt, patientiam tenere non poſſunt, ſed rodunt rabioſa ſilentia, & verba inſtruunt, quibus aduerſariorum colla ſubiugent.

*EXPORRIGERE*, vel per ſincopen, exporgere, eſt extendere, vel dilatare, quaſi porro & vltra agere, vel regere. Sic Hirtius proſequens commentaria Cæſaris de bello Africo lib.5. ait: *Cæſar reductis ſuis copijs in caſtra, poſtero die, propius eorum aciem inſtituit exporrigere munitiones.* Præpoſitio autem, ex, non mutat, vel tollit ſignificatum verbi porrigo, atque adeo tantumdem eſt exporrectus, quãtum porrectus: Et ita Cicero de natura Deorum lib.3. dixit: Dionyſius *victoriolas aureas, & pateras, coronaſque, quæ ſimulachrorum, porrectis manibus, ſuſtinebantur, ſine dubitatione tollebat, eaque ſe accipere, non auferre dicebat, eſſe enim ſtultitiam, à quibus bona precaremur, ab ijs porrigentibus, & dantibus, nolle ſumere.* Vnde quod hic ait *Exporrecto labello*, eſt, quaſi dictum fuiſſet, extenſo, & quaſi vltra genas porrecto.

*TRVTINARE*, & trutinari pro eodem accipiuntur, ſcilicet pro librare, & examinare. Eſt enim verbum factum à trutina, quæ eſt ſtatera ponderis, vel foramen intra quod eſt lingula bilancis. Perſius vſus eſt hoc verbo, vt deponenti, trutinantur: ſed Hieronymus in eadem metaphorica acceptione, de verbis loquens, vtitur neutro, epiſtola ad Damaſum dicens: Sint alij diſerti, laudentur, vt volunt, & inflatis buccis verba ſpumantia trutinent.

Id vero ſignificat accidere, quia dũ ea conantur adhibere verba, quę conceptis correſpondeãt mẽtis, vt nec res humiliores grãdibus, & magnificis, nec heroicas, vel diuinas exilibus, ſiue vilioribus exprimantur verbis (vtrumque enim eſt indecens) ideo verba ſatagunt ponderare, vt ea dicant, quæ ſint ſenſuum, ſiue conceptuum dignitati proportionata. Ponderatio autem iſta, ſiue examinatio verborum, dicitur trutinatio facta labio exporrecto, quia illi dũ ſpeculationi, meditationique incumbunt, ſuos non exprimunt conceptus, quouſque eos viderint perfectos, qui poſſint talibus verbis manifeſtari, vt auditorum mereantur aſſensũ, & interim ſilentio ſecum loquuntur, & taciti labia mouent: quod hircoſis iſtis centurionibus, videtur eſſe trutinare verba exporrecto labello. Nam, ſicut Apuleius trutinatam dixit ſententiam, grauem, rectè digeſtam, examinatam, & iudicatam, ita trutinata verba erunt, nec exorbitantia, nec deficientia à ſententia rerum exponendarum.

*ÆGROTI veteris meditantes ſomnia, gigni de nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reuerti.* Aſſerit nunc miles, philoſophos, narratis geſtibus vti, quum meditantur ſomnia ægroti veteris. Veteris autem ægroti nomine, poſſet intelligi ſenex in infirmitatem lapſus. Nam, ſenex etiã præciſa infirmitate, delirare, & inſanire videtur, variaq; cernere phantaſmata non cohærentia, quod hic intendit: ſed melius æger vetus intelligitur is, qui longa laborauit ægritudine, quando exhauſtus viribus, capite debilitatus, eius cerebrum vanis multiformibuſq;

repletur imaginibus, vt mira quædam ſomniet ac prodigioſa: quibus ſimilia, hircoſo militi videntur ea, quæ ſiue de rebus naturalibus, ſiue de Rep. de moribus, aut rebus diuinis, à philoſophis tam anxiè inueſtigãtur, & diſputantur, ideo dicit, philoſophos meditari ſomnia ægroti veteris.

*GIGNI de nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reuerti.* Ponit vnam de quæſtionibus, quæ philoſophorum ferè omnium torſit ingenia, eoſque in partes diuiſit: num videlicet poſſet quidpiam generari de nihilo, vel in nihilum redigi. Nam gignere eſt generare, ſiue procreare, ſicut gigni procreari, generarique. Sic Plinius lib 7. cap. 49. *Alia mortalitatis inconſtantia: Homerus, eadem nocte natos Hectorem, & Polydamãta tradit, tam diuerſæ ſortis viros. C. Mario, & Cn. Carbone tertium Coſſ. ad v. Kal. Iunias, M. Cælius Rufus, & C Licinius Caluus, eadem die geniti ſunt, oratores quidem amb. ſed tam diſpari euentu. Hoc etiam iiſdem horis naſcentibus in toto mundo quotidie euenit, pariterque domini ac ſerui gignuntur, Reges, & inopes.* Et eodem lib. cap. 52. ait: *Auiola Conſularis in rogo reuixit, &, quoniam ſubueniri non potuerat, preualente flamma, viuus crematus eſt. Similis cauſa in L. Lamia Prætorio viro traditur. Nam C. Ælium Tuberonem prætura functum, à rogo relatum, Meſſala Rufus, & plerique tradunt. Hec eſt conditio mortalium, ad has & eiuſmodi occaſiones fortunę gignimur, vti de homine, ne morti quidem debeat credi.* Circa hanc vero controuerſiam, poſſit ne aliquid generari, vel produci de nihilo, quamuis Plato, &

quidam alij affirmatiuam tenuerint ſententiam, docentes mundum temporale habuiſſe durationis initium, fuiſſeque quando non erat, & ita factum de nihilo, ſeu poſt nihil: Ariſtoteles tamen, & Peripatetici oppoſitum ſentiunt, aſſerentes numquam fuiſſe quando mundus non fuerit, nec habuiſſe durationis principium: idque demonſtrare ſe credũt, quia quidquid de nouo producitur, id ab agente, media actione producitur; actio autem nequit ad nihilum terminari, vt ex eo aliquid educat: non enim, nihil, eſt capax ſuſcipiendi, vel terminandi actionem: nam hæc quum ſit accidens, cuius eſſe eſt ineſſe, neceſſario prærequirit ſubiectum, nedum à quo ſit, ſed & in quod recipiatur, & cui inhæreat, cuiq; vnita, ipſum quodammodo fœcundando, educat ex eo effectum intentum ab agente: Quum igitur nihilum non ſit ſubiectum capax ſuſcipiendi actionem agentis, nec ab ea fœcundabile, nihil ex eo fieri poteſt. Idque manifeſtãt in qualibet generatione, & corruptione, ſemper enim inuenitur ſubiectum ſubſtratum nunc vni, nunc alteri formæ: nam inde colligimus, quum corrumpitur compoſitum, non redigi in nihilum, quum eius ſemper remaneat ſubiectum (ſiue hoc ſit materia, ſiue atomi, ſiue aliud) licet ſub alia forma, à qua compoſitum habet eſſe hoc, potius quam illud, vt bos potius, quam equus, vel cinis potius, quam lapis. Inde etiam colligimus, nullum compoſitum per generationem naturalẽ fieri ex nihilo, ſemper enim præcedit ſubiectum, ſiue atomi, ſiue materia, ex qua educitur,

citur, vel in quam introducitur forma (quod dico propter animam rationalem, quæ ſola de foris venit) quæ forma materialis, prius latebat in potẽtia ſubiecti, vnde educitur actione agentis. Sicut ergo ſola forma fit in compoſiti generatione, ita in eiuſdem corruptione ſola deperit, manente eodem primo ſubiecto. Hinc colligebat Ariſtoteles, & alij cũ eo ſentientes Ethnici, nil potuiſſe fieri de nihilo, vel in nihilum abire, & conſequenter mundum non fuiſſe factum, nec habuiſſe durationis initium, ſed fuiſſe ab æterno. Ad quod etiam adſtruendum, alias congerunt rationes, quæ ipſis videntur demonſtratiuæ, quas adferre non eſt huius loci. Eamdem ſententiam ſuſtinent atomiſtæ, vt Lucret. lib. 1. verſ 149.

*Nullam rem è nihilo gigni diuinitus vnquã.*

Et idem Lucretius eodem lib. 1. de rerum natura verſu 198.

*Denique qur homines tantos natura parare*
*Non potuit, pedibus qui pontũ per vada poſsẽt*
*Tranſire, & magnos manibus diuellere mõtes*
*Multaque viuendo uitalia vincere ſecla*
*Si non materies, quia rebus reddita certa 'ſt*
*Gignundis, è qua conſtat quid poſſit oriri?*
*Nil igitur fieri de nihilo poſſe fatendu' eſt*
*Semine quãdo opus eſt rebus, quo quæq; creatę*
*Aeris in teneras poſſint proferrier auras.*

Verum rationes Ariſtotelis, & aliorum de mundi æternitate, & impoſſibilitate productionis rei de nihilo, licet videantur inſolubiles ſecundum principia Platonis, & aliorum ſolam caliginoſam naturalis rationis lucem habentium, Diuinam vero omnipotentiam,

diuinumque operandi modum, vel omnino neſcientium, vel imperfectè tantum, & quaſi cæcutientes attrectantium, nobis tamen, quibus miſericors pater, per ſuum Vnigenitum plura ad illius eſſentiæ, potentiæ, & attributorum cognitionem pertinentia, manifeſtare dignatus eſt, argumenta iſta ficulnea prorſus videntur, nedum quia dicente Moſe Geneſis 1. *In principio creauit Deus Cælum, & terram*, certiſſimè tenemus Deum ab initio temporis, de nihilo mundum vniuerſum, eiuſque ſingulas produxiſſe partes: poſſeq; quandocumque ſibi adſubeſceret, illum, vel quamcumque eius partem, in nihilum redigere, quum omnia magis dependeant ab illius actione conſeruatiua, (quæ eſt continuata creatio,) quam lumen à præſentia corporis luminoſi illud diffundentis, ſed etiam quia, fide illuſtrante rationem naturalem, ſoluimus rationes philoſophorum, dicentes: quod eſto agens naturale finitum, & limitatum, cuius actio productiua ad extra, nedum eſt accidens, ſed etiam tranſiens, nequeat agere in nihilum, ad ipſum fœcundandum, educendumque ex eo quidquam: nihilominus agens infinitum, & illimitatum, agens per actionem ſubſtantialem, re quidem immanentem, ſed virtute tantum tranſeuntem, poteſt attingere, non quidem ipſum nihilum (quod certè eſt inattingibile) ſed effectum ex illo, ideſt poſt illud, in inſtanti productum: iſta enim actio aliud non eſt, quam imperium practicum intellectus, quo, dicente Deo, vt aliquid fiat, ſtatim, abſque tergiuerſatione, vel mora, illud fit vt eſt iuſſum. Circa

tales

tales ergo quæſtiones erant frequentes ſpeculationes philoſophorum, quæ nunc ab hircoſo milite deridentur.

*HOC eſt quod palles? quur quis non prandeat hoc eſt?* Ad amplius irridenda philoſophorum ſtudia, interrogat Centurio. An ſubtilis inueſtigatio veritatis, circa quæſtionem inutilem, num poſſit quidquam fieri de nihilo, ſit cauſa ſufficiens deformandi aliquem pallore, vel denegandi corpori neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem, vt ſunt alimenta. De pallore comitante applicationem ad ſtudia, & contemplationem, dictum in proœmio, ad illa verba: *pallidamque pirenem*. Quod vero Centurio, interrogando, videtur ſupponere, philoſophos corpori denegare alimenta neceſſaria, ſiue omnino non prandere, calumnia eſt; nam eſto philoſophi, & alij contemplationi addicti, non ſint admodum curioſi in obſonijs ſibi parandis, nec ſtomachum ſuperfluis infarciant cibis, naturæ tamen non denegant ea, quibus indiget; quæ quum ſit paucis, & facilè parabilibus, contenta, quæ, Epicuri de grege porcis, pro nihilo reputantur, non mirum ſi militi, & alijs eiuſdem farinæ, quorum Deus venter eſt, videātur Genium, & naturam defraudare, & omnino non prandere, vt hic dicitur, quod tamen falſum eſt.

*HIC populus ridet, multumq; toroſa iuuentus ingeminat tremulos naſo criſpante cachinnos.* His verbis exprimitur conſenſus populi, & iuuentutis militaris, expertis bonarum artium, irriſioni philoſophorum, factæ à centurione. Iuuentus autem toroſa dicta eſt à toris: torus

autem in primis dictus eſt funis ex retortis loris compoſitus. Sic Cato R. R. cap. 135. *Funem exordiri oportet longum pedes ſeptuaginta duos, toros tres habeat, loros in toros ſingulos nouem, latos digitos duos.* Hinc ſecundo, quia lecti toris, nempe funibus tendebantur, per ſenecdochen, tori dicti. Sic Virg. 2. Æn.

*Conticuere omnes intentiq; ora tenebant*
*Inde toro pater Æneas ſic orſus ab alto:*
*Infandum Regina iubes renouare dolorem.*

Et Ouid. 1. Metam.

*Hic vbi Deucalion (nã cętera texerat ęquor)*
*Cum conſorte tori parua rate vectus adhęſit.*

Et lib. 10. Metamorph.

*Collocat hanc ſtratis concha Sidonide tinctis*
*Appellatque tori ſociam, acclinataq; colla*
*Mollibus in plumis, tãquam ſenſura reponit.*

Tertio tori appellantur eminentiæ muſculorum, quales videmus in robuſtioribus, & cõpactioribus corporibus, maximè virorum militarium: quæ muſculorum eminentiæ ſunt nodoſæ, aſſurguntq; quaſi colliculi inter valles: & ab his, qui horum amplitudine, corporis robur præſeferunt, dicuntur toroſi: quam toroſitatem in bubus conſiderandam monet Columella dicens lib. 6. cap. 1. *Certa pręcepta in emendis iuuencis arator ſequi debet, eaq; Mago Carthaginenſis ita prodidit, vt nos deinceps memorabimus. Parandi ſunt boues nouelli, quadrati, grandibus membris, cornibus proceris, ac nigrantibus, & robuſtis, fronte lata, & criſpa, hirtis auribus, oculis, & labijs nigris, naribus reſimis, patuliſque, ceruice longa, & toroſa, palearibus amplis, & pene ad genua promiſſis, pe-*

*ctore*

*ctore magno, armis vaſtis, capaci, & tamquam implente vtero, lateribus porrectis, lumbis latis, dorſo recto planoque, vel etiam ſubſidente, clunibus rotundis, cruribus compactis ac rectis, ſed breuioribus potius, quam longis, nec genibus improbis, ungulis magnis, caudis longiſſimis, & ſetoſis, piloſiſque, corpore denſo, breuique, colore rubeo, uel fuſco; tactu corporis molliſſimo.* Et Virg. 3. Georg. verſu 80.

*illi ardua ceruix,*
*Argutumq; caput, breuis aluus, obeſaq; terga*
*Luxuriatque toris animoſum pectus.*

Sic Lactantius lib. 1. cap. 18. *Virtutem eſſe dicunt, quæ tollat in Cœlum non illam, de qua philoſophi dixerunt, quæ poſita eſt in bonis animi: ſed hanc corporalem, quæ dicitur fortitudo, quæ quoniam præcipua in Hercule fuit, immortalitatem meruiſſe creditur. Quis tam ſtultè ineptus eſt, ut corporis uires, diuinum, uel etiam humanum bonum iudicet, quum ſint, & maiores pecudibus attributæ, & uno morbo ſæpe frangantur, uel ipſa ſenectute minuantur, & corruant? Itaque idem ille, quum deformari ulceribus toros ſuos cerneret, nec ſanari ſe uoluit, nec ſenem fieri, ne quando ſeipſo minor, aut deformior uideretur.* Et ſic iuuentus toroſa dicta eſt illorum, in quorum corporibus ſunt iſtæ muſculorum eminentiæ, quæ tori appellantur, deſignantes robur, & fortitudinem militarem, vel aptitudinem ad labores corporales.

*INGEMINARE* à geminis, nempe duobus, eſt duplicare, repetere, multiplicare, & frequentare. Sic Virg. 1. Georg. verſu 333.

*ingeminant Auſtri, & denſiſſimus imber.*

Et infra eodem lib. 1. ponens inter ſigna ſerenitatis, quod Haliætus Cirim inſequatur (vbi nominibus vtitur, quibus hæ aues appellabantur, priuſquam trãsformatæ fuiſſent) Haliætus enim fuit Niſus Megarenſium Rex, bello à Minoe Cretenſium Rege appetitus, ſed quum fato eſſet inſuperabilis, quamdiu ſua ſibi purpurea conſtaret coma: Scylla ipſius filia, Minois amore capta, vt hunc ad redamandum pelliceret, patri comam detraxit, eamque Minoi dono dedit, à quo (execrante tantum ſcelus) repudiata, mortua, in Cirim, vt Niſus in Haliætum mutati ſunt, inter quas perpetuum eſt odium, Haliæto Cirim perſequente, quaſi parricidij pœnas exigere vellet idque poſtquam narrauit, ſubdit verſ. 410.

*Tum liquidas corui preſſo ter guttere voces,*
*Aut quater ingeminant.*

Et Ouid. lib. 6. Faſtorum:

*Proximus annus erat, Pallantide cæſus eadẽ*
*Didius, hoſtiles ingeminauit opes.*

Sed hic ingeminare cachinnos, eſt frequentare riſus effuſos, quales eſſe ſolent in deriſoribus. Qui denominantur tremuli ob immoderantiam, qua nedum naſum in rugas contraxerant, vt communiter faciunt ſubſannantes, ſed toto tremebant corpore. Sic Horatius lib. 2. epiſt. 2. ait: *Plerumq; & riſu populum quatit.*

*NASO criſpante.* Enallage: nam naſus rugas patiens, in quas contrahitur, dictus eſt eas facere, vt pro criſpato dictus ſit criſpans: niſi mauis referre ad rugas genarum, & frontis, quę quandoque in irriſione etiam corrugantur. Innuitur his verbis quoddam

ſannæ

ſannæ genus, quo naſus in rugas contrahitur. Sic ſat 5. verſu 90.

*Diſce, ſed ira cadat naſo, rugoſaq; ſanna.*

Criſpás autem, eſt participium à verbo criſpo. Virg. 1. Æneid. verſu 317.

*Bina manu lato criſpans haſtilia ferro.*

At criſpatum dixit Claudianus de Raptu Proſerp. lib. 2. verſ. 110.

*Fluctuat hic denſo criſpata cacumine buxus.*

Criſpare autem, ſiue criſpari, vnde huiuſmodi participia, & ſupina, eſt intorquere ad inſtar capillorum calamiſtratorum. Sic Plinius lib. 28. cap. 8. ait: *Cameli cerebrum arefactum, potumque ex aceto, comitialibus morbis aiunt mederi; item fel cum melle potum: hoc & anginæ. Cauda arefacta ſolui aluum, fimi cinere criſpari capillum cum oleo.* Transfertur & ad alia, vt ad veſtes, & ſic Claudianus de Raptu Proſerp, lib. 2. verſu 33.

*Criſpatur, gemino veſtis Gortynia cinctu.*

Et Columella de cultu hortorum, ideſt de R. R. lib. 10. verſu 161.

*Flagitat ecce ſuos genitrix mitiſſima fœtus,*
*Et quos enixa eſt partus, iam quærit alendos*
*Priuignaſq; rogat proles. Date nunc ſua matri*
*Pignora, tempus adeſt, viridi redimite parentē*
*Progenie, Tu cinge comas, tu diſſere crines,*
*Nunc apio viridi criſpetur florida tellus.*

*INSPICE, neſcio quid, trepidat mihi pectus, & ægris faucibus exſuperat grauis halitus, inſpice ſodes, qui dicit medico, iuſſus requieſcere, poſtquam tertia compoſitas vidit nox currere venas, De maiore domo modicè ſitiente lagena, lenia loturo ſibi Surrentina rogauit.* Ordo eſt: Qui

dicit medico: Inſpice neſcio quid, trepidat mihi pectus, & grauis halitus exſuperat ægris faucibus, inſpice ſodes: iuſſus requieſcere, poſtquam tertia nox vidit currere venas compoſitas, rogauit ſibi loturo de maiore domo Surrentina lenia, lagena modicè ſitiente. Dixerat miles ſe philoſophos, philoſophiamque pro nihilo ducere. Cui Stoicus reſpõdet: quod ſicut, teſte Auguſtino Tract. 14. in Ioannem, *Ipſe ſe interimit, qui pręcepta medici obſeruare non vult*, ita & multo magis, qui moralium medicorum, ideſt philoſophorum, monita contemnunt, vitia incurrunt, & animarum mortem Cuius tamen paradigmatis, Perſius protaſim tantum expreſſit, apodoſin vero, vt manifeſtam ſubintelligẽdam reliquit. Mala enim tam corporis, quam animæ, lãguores appellantur, morbi, ægritudines, & magna eſt inter ipſa proportio. Exponit ergo qualiter quidam, corporali affectus morbo, leui, & facilè à principio curabili, mortem incurrit, medici percepta non ſeruans; & ait: *Inſpice neſcio quid*. Inſpicere propriè eſt introſpicere, ſeu aſpicere quæ intus latent. Sic Plautus Aulul. Actu 3. ſcena 3.

*Volo ex te ego ſcire, qui ſit agnus curio.*

Eucl. *Qui oſſa atq; pellis totus eſt, ita cura macet,*
*Quin oßa inſpicere in ſole etiam viuo licet,*
*Ita is pellucet, quaſi laterna Punica.*

Et Terent. Adelphis Actu 3 ſcena 4.

*Nil prætermitto, conſuefacio, denique*
*Inſpicere tãquam in ſpeculum in vitas omniũ*
*Iubeo.*

Et id eſt proprium medicorum, qui ſe profitentur

tentur morbos cognoſcere, eorumque cauſas in ægrorum latentes corporibus: in quo ferè tota verſatur medicæ artis difficultas, vt merito dixerit Trimalchio apud Petronium in Satyrico: *Quid putamus ſecundum litteras difficillimum eſſe artificium? Ego puto medicum, & nummularium; medicus, qui ſcit quid homunciones intra præcordia ſua habeant, & quando febris veniat; nummularius, qui per argentum æs videt.* Et tamen medici, niſi latentes morborum cauſas cognouerint, illis occurrere per conuenientia pharmaca nequeunt: indeque ægrorum multi moriuntur, dum medici medicamenta adhibent infirmitati, qua, imprudenter, putant ægrorum teneri, quum ille longè diuerſa affligatur, & ita æger nedum medicamine non iuuatur, ſed mage peius habet, & moritur. Qui vero morborum nouerũt cauſas, opportuna adhibentes remedia, frequentius ſanitati ægros reſtituunt. Dicitur autem medicus inſpicere, & videre morbos, non quod oculis (ad inſtar lincis, viſu opaca penetrantis,) videat ægrorum precordia, & interiora (vt ruſticè, & imperitè putabat Trimalchio in verbis relatis) ſed quia ex ſignis, exteriori ſenſui conſpicuis, coniectat latentia: vt ex aſpectu, & palpatione cutis, tactu, & pulſu arteriæ, inſpectione lotij, & aliorum excrementorum, & ſimilibus, quorum, etſi ſingula ſint fallacia, quando tamen omnia, vel plurima concurrunt ad eumdem morbum indicandum, medicus redditur moraliter certus, de morbi cauſa & qualitate, vt, iuxta artis præſcriptum, prudentialiter valeat opera

ri, & abſque peccato applicare remedia: licet Celſus l. 1. cap. 1. nec his omnibus ſimul concurrentibus ſatis fiduciæ habendum eſſe decernat. Verum quia aliam, nempe metaphyſicam, vel mathematicam, in medicina, certitudinem habere non poſſumus, ad prudenter in ea operandum, hæc moralis ſufficit.

*TREPIDAT mihi pectus*. Inter ſigna aduerſæ valetudinis eſt creber præcordiorum motus, ſeu cordis palpitatio, & halitus frequens, maximè ſi grauem referat odorem. Hinc Celſus lib. 2. cap. 2. ait: *Si marcet animus, ſi loqui & moueri piget, ſi corpus torpet, ſi dolor præcordiorum eſt, aut totius pectoris, aut (qui in plurimis euenit) capitis. ſi ſaliuæ plenum eſt os, ſi oculi cum dolore vertuntur, ſi tempora adſtricta ſunt, ſi membra inhorreſcunt, ſi ſpiritus grauior eſt, ſi circa frontem intentæ venæ mouentur, ſi frequentes oſcitationes, ſi genua quaſi fatigata ſunt, totumue corpus laſſitudinem ſentit. Ex quibus ſæpe plura, numquam non aliqua febrem antecedunt.* Et eodem lib. 2. cap. 3. *Mali morbi teſtimonium eſt vehementer, & crebro ſpirare, à ſexto die cæpiſſe inhorreſcere, pus expuere, vix excreare, dolorem habere continuum, difficulter ferre morbum.* Hæc autem duo ſigna, præcordiorum palpitationem, & anhelitum grauem ſibi adeſſe affirmat hic æger, & ea exponit medico, vt ab eo ſanitati reſtituatur. Quamuis autem trepidare proprium ſit eorũ, qui mali timore correpti, pedibus conſiſtere nequeunt, vt apud Terent. Hecyræ Actu 3. ſcena 1.

*Trepidari ſentio, curſari rurſum prorſum.*

Et

Et apud eumdem Eunucho Actu 5. ſc. 6.

*Quid eſt? Quid trepidas? ſatiſ ne ſaluę? dic mihi.*

Nihilominus, quia qui ſic trepidant, ſine metu perciti tremunt, ſunt in continuo motu, inde metaphoricè trepidare extenſum eſt ad eos ſignificandos, quibus cor frequenter ſubſilit, palpitat, & irregulariter mouetur. Niſi mauis ſignum iſtud accipere pro tremore antecedente acceſſionem febrilem, quando venit cum rigore frigoris, cogēte totum tremere corpus. Et tunc interueniet hic ſynecdoche partis pro toto, nam dicitur trepidare pectus, & in acceſſione totum tremit, & concutitur corpus, vt docet Celſus dicens lib. 3. cap. 3. *Quotidianæ febres variæ ſunt, & multiplices, aliæ enim protinus à calore incipiunt, aliæ à frigore, aliæ ab horrore. Frigus voco vbi extremæ partes membrorum inalgeſcunt. horrorem, vbi totum corpus intremit.*

*ET ægris faucibus exſuperat grauis halitus.* In aliquibus codicibus legitur, exudat, quæ lectio placere non poteſt: halitus enim nullá habet conuenientiam cum ſudore emanante ex toto corpore, Ille vero tantum naribus, vel ore. In alijs legimus Exuberat, quam ſi pateretur lectionem ratio carminis per ſyllabæ quantitatem, paſſis amplecteremur brachijs, nam exuberare eſt abundare, vnde Seneca Nat. quæſt. lib. 6. cap. 4. ait de terremotu: *Mille miracula mouet, faciemque mutat locis, et defert montes, ſubrigit plana, valles exuberat, nouas in profundo inſulas erigit.* Deriuatur autem ab vbere, fœcunditatem importante, &

co-

copiam, vt ſi poſſet ſic nunc dici, ſignificaretur frequens oſcitatio putrem emittens halitum, qualem videmus in acceſſione febris, de qua nunc eſt ſermo. Sed quia prima ſyllaba nominis vber eſt longa, vt conſtat ex illo Virgil. Eclog. 3. verſu 29.

*Experiamur, ego hãc vitulam (ne forte recuſes*
*Bis venit ad mulctrã, binos alit vbere fœtus.*

Et ex alio eiuſdem Virgil. lib. 1. Æneid. v. 534.

*Eſt locus, Heſperiam Graij cognomine dicunt,*
*Terra antiqua, potens armis, atq; vbere glebæ:*

merito lectionem reijcimus iſtam, illamque retinemus, quæ habet exſuperat, deſcendentem à verbo ſupero, cuius prima corripitur ſyllaba, & lectio intento conuenit ſenſui, nam ructus indigeſti, ſiue crudi, è ventriculo in os aſcendentes, frequentem faciunt oſcitatione, cum halitu putri, ac fœtido corruptorum ciborum. Et quia è ventriculo in os aſcendũt, exſuperare, vincere, excellere, & ſupergredi videtur, & dici poſſunt. Sic Oui. 4. Triſt. ele. 4.

*O qui nominibus, quum ſis generoſus auitis,*
*Exuperas morum nobilitate genus.*

Et Plaut. Mil. glor. Actu 4. ſcena 6.

*metuo,*
*Ne prædicatio tua nũc meam formã exſuperet.*

Sic Gell. lib. 6. cap. 8. *Lepida quæſtio agitari poteſt, vtrum uideri continentiorem par ſit, Publium ne Africanum ſuperiorem, qui Carthagine, ampla ciuitate in Hiſpania expugnata, uirginem tempeſtiuam, forma egregia, nobilis uiri Hiſpani filiam, captam, perductamq; ad ſe, patri inuiolatam reddidit: an Regem Alexandrum, qui Darij Regis uxorem, eamdem eiuſdemque*

*ſororem, prælio magno captam, quam eſſe audiebat exſuperanti forma, uidere noluit.* Et idem Gellius lib.14.cap.3. *Xenophon, & Plato, Socraticæ amœnitatis duo lumina, certare, æmularique inter ſeſe exiſtimati ſunt, quia de ijs apud alios uter eſſet exuperantior certabatur.*

SODES iuxta Priſcianum verbum eſt defectiuum, cui alij deſunt modi, tempora, & perſonæ; qualia ſunt etiam Aue, & Cedo, & alia nonnulla. Alij putant eſſe aduerbium, vel deprecatiuum vt quæſo; vel adhortatiuum, vt age: Circa quam quæſtionem digladiantur Grammatici. Nobis dicere ſufficiat, ſodes idẽ valere, ac ſi audes, vt etiam diximus ad illa verba ſat.1.verſ.118.

*Videſis ne maiorũ tibi fortè limina frigeſcant.* Nam vt ait Cic.in Orat.ad M.Brutum; *Libèter etiã copulãdo verba iungebant, vt ſodes pro ſi audes, ſis pro ſi vis, iã in vno capſis tria verba ſunt:* Cape ſi vis, *ain, pro aiſne, nequire, pro non quire, malle, pro magis velle, nolle, pro nõ velle dein etiã ſepæ, & exin, pro deinde, & pro exinde dicimus. Quid illud, non olet unde ſit, quod dicitur cũ illis, cum autẽ nobis nõ dicitur, ſed nobiſcum? quia ſi ita diceretur, obſcænius concurrerent litteræ, ut etiam modo, niſi, autem, interpoſuiſſem, concurriſſent.* Et ita in antiquis huius loci gloſſis legimus: *Sodes, antiquæ affectationis eſt, adeo ut ſoluto eo, quidam uſi ſint, ut Plautus, qui per ſolutionem ſic ait.* Aulularia Actu 1.ſc.3.

*Dic mihi ſi audes, quæ ea eſt, quam uis ducere uxorem.*

Verum hic ſumitur potius deprecatiuè pro Quæſo, vel adhortatiuè pro Age, vt æger dicat

cat medico, Queſo, vel Age, attende, ſiue conſidera, quænam me corripuerit ægritudo, & qui ſit modus reſtituendi me ſanitati.

*QVI dicit medico: iuſſus requieſcere.* Æger ſalutare à medico præceptum pro ſua accepit valetudine, vt quieti ſe daret: nam vt ait Celſus lib. 2. cap. 15. *Aſclepiades in recenti, uehementique febre, præcipueque ardente, ad diſcutiendam eam, geſtatione dixit eſſe utendum. Sed id periculosè fit, meliuſque quiete, eiuſmodi impetus ſuſtinetur. Si quis tamen experiri uolet, ſic experiatur, ſi lingua non erit aſpera, ſi nullus tumor, nulla durities, nullus dolor viſceribus, aut capitis, aut præcordijs, ſuberit. Et ex toto numquam geſtari corpus dolens debet, ſiue id in toto, ſiue in parte eſt, niſi tamen ſolis neruis dolentibus, neque unquam in recenti febre, ſed in remiſſione eius.* Optimè ergo, & iuxta artis præſcriptum, medicus iſte ſuo recenti ægroto, ſeruādam præſcribit quietem, tam à motu locali, quam ab exercitatione, quæ fieret cum labore, & fatigatione corporis, & ab applicatione ad ſtudia, & contemplationem: necnon à crapula, & epulis. Nam Seneca ait 3. de Ira cap. 39. *Primam iram non audebimus oratione mulcere, ſurda eſt, & amens, dabimus illi ſpatiū; remedia in remiſſionibus proſunt: nec oculos tumentes tentabimus, uim rigentem mouendo incitaturi: nec cætera uitia, dum feruent. Initia morborum quies curat.* Ita & Celſus lib. 2. cap. 16. *Initia morborum primum famem, ſitimque deſiderant, ipſi deinde morbo moderationem, ut neque aliud, quam expedit, neque eius ipſius nimium ſumatur; Neque enim conuenit iuxta inediam*

*diam protinus ſatietatem eſſe; quod ſi ſanis quoq; corporibus, inutile eſt, ubi aliqua neceſſitas famem facit, quanto inutilius eſt in corpore etiam ęgro? neque ulla res magis adiuuat laborantem, quam tempeſtiua abſtinentia.* Vnde quum hic medicus ſuo recenter ægrotanti, abſtinentiã iniungat, & quietem, proculdubio optimè illi conſultum voluit.

*POSTQVAM tertia compoſitas uidit nox currere uenas.* Eſt in his verbis (vt rectè aduertit Antonius Foquelinus) metonymia ſubiecti pro adiuncto, dum nox ponitur pro eo, qui nocte aliquid agit, vel patitur: non enim nox vidit venas ægroti currere compoſitas, quum videre non ſit, niſi animalis: vnde intelligimus ægrum ipſum obſeruaſſe, tertia nocte ab ipſa prima acceſſione febrili, eam non rediiſſe, vt timebatur: ideoque exiſtimans ſe omnino liberum, nec cogitans poſſe illam habere periodum tertianæ, vel quartanæ, redit ad armillũ, & priſtinam ingurgitationem. Quum enim incipit quis ægrotare, etiam ſi poſt primam febris acceſſionem, ſequatur ſanitas, & integritas, copioſum tamen non debet ſumere cibum, quum timere debeat tertianam: & etiam ſi tertius præterierit dies, abſque noua acceſſione, eſto æger ſit cibandus, non eſt tamen infarciendus, quum timeri debeat quartana. Quam abſtinentiam, quum hic ęger non ſeruauerit, non mirum ſi mortem incurrit: quartana enim quamuis ſit facilè curabilis, ſi tamen æger medicinæ contemnat regulas, poteſt augeri, fierique febris ardens, vel putris, quæ ægrum necet, vt de iſto dicitur.

*VENIS* dixit iuxta vulgi, etiam medicorũ, loquęndi modum, quum tamen medici non venas attrectent, ſed arterias ſub illis exiſtentes. Hinc Gellius ait lib. 18. cap. 10. [ In Herodis clariſſimi viri villam, quæ eſt in agro Attico, loco qui appellatur Cephiſiæ, aquis & lucis, & nemoribus frequentem, ęſtu anni medio conceſſeram. Ibi aluo mihi cita, & accedente febri rapida, decubueram: eo Caluiſius Taurus philoſophus, & alij quidam ſectatores eius, quum Athenis viſendi mei gratia veniſſent, medicus qui tum in his locis repertus, adſidebat mihi, narrare Tauro cœperat, quid incommodi paterer, & quibus modulis, quibuſque interuallis accederet febris, decederetque. Tum in eo ſermone, quum iam me ſinceriore corpuſculo factum diceret: Potes inquit, Taure, tu quoq; id ipſum comprehendere, ſi attigeris venam illius. Hanc loquendi imperitiam, quod venam pro arteria dixiſſet, quum in eo docti homines, qui cum Tauro erant, tamquam minimè vtile in medico offendiſſent, atque id murmure, & vultu oſtenderent: Tum ibi Taurus, vt mos eius fuit, ſatis leniter: Certi, inquit, ſumus, vir bone, non ignorare te quid vena appelletur, & quid arteria: quod venæ quidem ſuapte vi immobiles ſint, & ſanguinis tantum demittẽdi gratia, explorentur: arterię autem motu, atque pulſu ſuo, habitum, & modum febrium demonſtrent. Sed vt video, peruulgatè magis, quam inſcitè locutus es: non enim te ſolum, ſed alios quoque itidem errantes audiui venã pro arteria dicere. Fac igitur experiamur ele-

gan-

gantiorem eſſe te in medendo, quam in dicendo, & cum Dijs beneuolentibus opera tua ſiſtas hunc nobis ſanum, atque validum, quam citiſſimè. Hoc ego poſtea, quum in medico reprehenſum eſſe meminiſſem, exiſtimaui non medico ſoli, ſed omnibus quoque hominibus liberis, liberaliterque inſtitutis turpe eſſe, ne ea quidem cognouiſſe, ad notitiam corporis noſtri pertinentia, quæ non altius occultiuſq; remota ſunt, & quæ natura nobis, tuendæ valetudinis cauſa, & in promptu eſſe, & in propatulo voluerit. Ac propterea quantum habui temporis ſubſiciui, medicinæ quoque diſciplinæ libros attigi, quos arbitrebar eſſe idoneos ad docendum. Et ex his quum alia pleraque ab iſto humanitatis vſu non aliena, tũ de venis quoq; & arterijs didiciſſe videtur ad hũc ferè modũ. Vena eſt conceptaculũ ſanguinis, quod vas, vel conceptaculũ medici vocãt, mixti, confuſiq; cũ ſpiritu naturali, in quo plus ſanguinis eſt, minus ſpiritus. Arteria eſt conceptaculum ſpiritus naturalis, mixti confuſique cum sãguine, in quo plus ſpiritus eſt, minus sãguinis. Pulſus autẽ σφυγμὸς eſt intẽtio motus, & remiſſio in corde, & in arteria, naturalis, non arbitrarij. A medicis autem veteribus ita definitus eſt, Pulſus eſt diſparatio, & contractio indiuiſibilis arteriæ, & cordis: vel Pulſus eſt ſubſultatio, & palpitatio, vel ebullitio venæ, & arteriæ. ] Plinius etiam ait lib. 11. cap. 37. Vbi ſunt nerui, interiores conducunt membra, ſuperiores reuocant. Inter hos latent arteriæ, id eſt ſpiritus ſemitæ. His innatant venæ, id eſt ſanguinis riui Arteriarũ

pulſus

pulſus in cacumine maximè membrorum euidens, index ferè morborum, in modulos certos, legeſque metricas, per ætates ſtabilis, aut citatus, aut tardus, deſcriptus ab Herophilo medicinæ vate, miranda arte, nimiam propter ſubtilitatem deſerto. Obſeruatione tamen crebri, aut languidi ictus gubernacula vitæ temperat. Arteriæ carent ſenſu, nam & ſanguine: nec omnes vitalem continent ſpiritum: præciſiſque torpeſcit tantum pars ea corporis Aues, nec venas, nec arterias habent, item ſerpentes, teſtudines, lacertæ, minimumque ſanguinis. Venæ in prætenues poſtremo fibras ſubter totam cutem diſperſæ, adeo in anguſtam ſubtilitatem tenuantur, vt penetrare ſanguis non poſſit.] Arteriæ igitur ſub venis ſunt, præterquam in dorſo, vbi magna arteria poſita eſt ſupra venam. Hic ergo venarum nomine arterias intelligit, quarum ex pulſu medici ſanitatis, & infirmitatis indicium capiunt. Et tunc dicitur, quis habere venas, ſiue arterias compoſitas, quando eas habet ordinatas in pulſu, ſecundum quod earum fert natura, vt ex Herophilo dixit Plinius iam relatus: vt & de alia quacumque re dicimus, tunc eſſe compoſitam, quando eſt ordinata iuxta ſuam naturam: & ita venæ compoſitæ dictæ, quarum pulſu ſanitas indicabatur.

*DE maiore domo modicè ſitiente lagena lenia loturo ſibi Surrentina rogauit.* Æger, qui ex arteriarum compoſito pulſu, tertia iam nocte aduerterat ceſſaſſe febrem, credens illam amplius non redituram, ſed ſe eſſe ſanum, non expectato medico, vt ille, cuius

erat

erat mens in caupona, omnem, ob neceſſitatem aſſumptam, deponens abſtinentiam, redit, vt anus, ad armillum; Nam priuſquam illuceſceret, exercitatione omiſſa, ad balnea, quæ ſanus frequentauerat, deferri voluit, ad quem finem Surrentina popoſcit, conuenientiſſima balnea ingreſſuris De maiore domo. Interpretes, vel omnino explicare omittunt quid domus maioris nomine intelligatur, ex qua æger vult ibi deferri Surrentina: Vel dicunt, domũ maiorem eſſe alicuius diuitis, & potentioris. At mihi conſideranti infirmum iſtum eſſe inductum beatulum, ideſt diuitijs affluentem, vt alium Apicium, aut Sardanapalum, & fortè Neronem, dicendum videtur, ipſum, domi, & in proprio cellario plura habuiſſe vaſa, ſeu dolia, maiora, & minora, plena vinis diuerſarum qualitatum, lenia, dulcia, auſtera, ſignina, cecuba, falerna, & etiam Surrentina: nunc ergo recordatus, vas quoddam ampliſſimum, vini Surrentini lenis, & optimæ qualitatis ibi eſſe, iuſſiſſe ex illo afferri ſibi. Nec obſtat, quod dicitur, Rogauit, nam infirmus, etiam ad famulos precibus vtitur, ne ſuæ repugnent cupiditati, cui ſatisfactum volebat, etiam contra medici præſcriptum. Domus ergo eſt ſeria, ſeu dolium, ſic dicta per metaphoram, nam eſt vino, quod domus hominibus.

*MODICè ſitiente lagena.* Lagena eſt vas teſtaceum, vinis continendis, & transferendis aptum. Sic Columella lib. 12. cap. 41. *Muſtum lixiuium de lacu ſtatim toll to; hoc autem erit, quod diſtillauerit, antequam nimium calcetur*

*vua,*

loco in locum transferuntur, vt hæc nunc lagena, de cellario in cubiculum infirmi: timor enim eſt ne liquor effundatur; tunc autem vas illud ſecundum illud vacuum, poteſt dici ſitire, quia poteſt liquorem recipere, quod eſt ei bibere: ſed quia reliquum lagenæ corpus, & maior illius pars, eſt plena, ideo quia modicum eſt illud vacuum, lagena dici potuit modicè ſitiens. Et hic videtur ſenſus proprius huius loci.

*LENIA loturo*, à verbo lauo, ſignificat, balneum ingreſſuro. Antiqui namque balneis ſe ſe oblectabant, adeout de Imperatore Commodo legamus, eum ſepties, & quandoque etiam octies per diem balnea ingredi ſolitum. Moris autem fuit ſanorum, ſeſe exercere vſq; ad ſudorem, vel laſſitudinem, & ita ingredi balnea, indeq; ad refectionem, vel cœnã accedere. Lautiores autem à cœna iterũ ad balnea procedebant, vt de Trimalchione refert Petronius in ſuo Satyrico, ipſum, exacta cœna, ſuos ad balnea inuitaſſe conuiuas, & cum aliquibus ad ea proceſſiſſe. Erant in balneis tres cellæ, quarum ſuperior dicebatur caldaria, & ſudatoria, quia in ea, ſicco calore ſudor eliciebatur: alia frigidaria, in qua frigida: tertia quæ media inter illas extremas, in qua tepida lauabantur aqua. Et has variabãt iuxta anni, vel temporis diuerſitates, vel iuxta cuiuſque indigentiam, aut voluntatem. Balneorum vſus nedum vſurpabatur ob luxum, & voluptatem, ſed etiam, ex præſcripto medicorum, pro ſalute conſeruanda, vel recuperanda. Hinc Celſus ait lib. 2. cap. 17. *Balnei*

*duplex vſus eſt, nam modo diſcuſſis febribus, initium cibi plenioris, vinique firmioris, valetudini facit, modo febrem ipſam tollit, fereque adhibetur vbi ſummam cutem relaxari, euocariq; corruptum humorem, & habitum corporis mutari expedit. Antiqui timidius eo vtebantur. Aſclepiades audacius. Neque terrere autem ea res, ſi tempeſtiua eſt, debet, & ante tempus nocet. Quiſquis febre liberatus eſt, ſimul atque ea vno die non acceſſit, eo qui proximus eſt, poſt tempus acceſſionis, tuto lauari poteſt. At ſi circuitum habere ea febris ſolita eſt, ſic vt tertio, quartoue die reuertatur, quandocumque non acceſſit, balneum tutum eſt. Manentibus vero adhuc febribus, ſi hæ ſunt lentæ, lieneſque iam diu malè habent, rectè medicina iſta tentatur: cum eo tamen ne precordia dura ſint, neue ea timeant, neue lingua aſpera ſit, neue aut in medio corpore, aut in capite dolor vllus ſit, neue tum febris increſcat. At in his febribus, quæ certum circuitum non habent, duo balnei tempora ſunt, alterum ante horrorem, alterum febre finita In his vero, qui lentis febriculis detinentur diu, quum aut ex toto receſſit acceſſio, aut, ſi id non ſolet, certè lenita eſt, iamque corpus tam integrum eſt, quam maximè eſſe in eo genere valetudinis ſolet.* Idem tamen Celſus docet, multoties balnea nocere, quando tempeſtiuè non adhibentur. Et Plutarchu s in præceptis ſalutaribus de medicorum ſententia tradit, obijſſe quamplurimos ob intempeſtiuam tantum lauationem. Sicque Petronius Afranius in Catalectis epig 69. ait:

*Balnea, vina, Venus conſeruant corpora noſtra*
*Corrumpunt eadem, balnea, vina, Venus.*

Nam

Nam vt tempeſtiuè adhibita, ſunt ſalutaria, ita præter tempus, mortifera. Æger autem iſte, præter tempus balneum ingredi voluit, non expectata hora reditus acceſſionis, quod faciendum monebat Celſus verbis relatis, ideoque mortem ſibi arceſſiuit.

*LENIA Surrentina*, vina ſcilicet è Surrenti Collibus, vineiſq; venientia, de quibus Martial. lib. 13. epig. 104.

*Surrētina bibis, nec myrrhina picta, nec aurū*
*Sume, dabunt calices hæc tibi vina ſuos,*

quia vt vina, ſic & fictilia Surrentina laudabantur. Eſt autem Surrentum, iuxta Ptolomæum, Picentinorum, ideſt Principatus, ſed iuxta recentiorem Regni diuiſionem, Campaniæ felicis, ſeu Terræ laboris ciuitas, in ipſo Mineruæ promontorio ſita, vbi quondam Sirenum ſedes, à quibus, Petra Sirenum appellata. Conſtructa in ſinu Crateris, ex oppoſito ad Pauſilippi colles, vrbemque Neapolim: & quum ſit ſpiranti Boreę expoſita, aeris gaudet ſalubritate, nec tamen hyemis ſentire rigorē permittit, maris, ipſam proximè alluentis, tepor: fruitur etiam maris piſcoſitate, colliumq; nedum amœnitate; ſed & fertilitate. Quapropter ipſius habitatio, æſtiuo maximè tempore, eſt ſummè delectabilis, & ſalubris, & ideo expetita. In eius collibus vitulę paſcuntur, omnium optimæ, & habitę, vt menſarum deliciæ. In eiſdem etiam collibus vina naſcuntur, quorum hic fit mentio, & de quibus Plinius lib. 14. cap. 6. *Ad tertiam palmam variè venere. Albana vrbi vicina prædulcia, ac rara in auſtero. Item Surrentina in vineis tantum na-*

*ſcentia, conualeſcentibus maximè probata propter tenuitatem, ſalubritatemque. Tiberius dicebat, conſenſiſſe me icos, vt nobilitatem Surrentino darent, alioquin eſſe generoſum acetum. C. Cæſar, qui ſucceſſit illi, nobilem vappam.* Hęc vina potui apta reddebat longa dies, incipiebant enim potari à Conſule vigeſimo quinto ab eo, ſub quo condita fuerant, nam ante hoc tempus aſpera videbantur, & ingrata palato, tunc vero miteſacta, lenia euadebant, ſalubria & proportionata tum conualeſcentibus, tum balnea ingreſſuris, ad quem finem ab hoc ægro expetuntur. Noſtris autem temporibus, Surrentina, etſi eodem, quo conduntur anno, bibantur, inter laudatiſſima habentur, ob tenuitatem, & ſalubritatem.

*HEVS bone tu palles, nihil eſt. Videas tamen iſtud quidquid id eſt. Surgit tacitè tibi lutea pellis. At tu deterius palles, ne ſis mihi tutor. Iampridem hunc ſepeli, tu reſtas. Perge, tacebo.* Præſupponitur medicum ingreſſum ad ægrotum, ex aſpectu agnouiſſe in illo nouam febris acceſſionem, ideoque dicentem *Heus bone tu palles.* Qui dicendi modus ponitur per Euphoniſmum, ideſt gratum ſonum, quamuis ſic loquens, eum, cui boni tribuit epitheton, vitium, & malum ei ſentiat conuenire. Et videtur dici per quamdam ironiam, vt etiam infra ſatyra 6. verſ. 53. dicitur: *O bone num ignoras.* Dictum autē per Euphoniſmum placidè pronunciatur ac ſedatè, & id conuenit orationi moratæ, qualem par eſt habere medicum erga delicatum, & luxu diffluentem ægrotum. Quod vero dicit; Tu palles, eſt quaſi dixiſſe;

Nouum

Nouum in te cerno pallorem, nouam indicantem ægritudinem, quando prior iam erat diſcuſſa: hæc autem noua, acceſſio, recentem habuiſſe cauſam à te datam oportet: & hanc cauſam debes manifeſtare, ſi tempeſtiuè morbo occurrere velimus: id enim, vt facile fit cognita cauſa, ita nullatenus, ea ignorata.

*NIHIL eſt*, Verbum eſt ægroti non aduertentis ſe in mortem intemperantia properare; immo reſpuêtis ſalutare medici interdictum, illiuſque reprehenſionem, & pertinaciter negantis ſe quidquam feciſſe, vnde nouam acceſſionem incurrerit, quaſi balneatus non fuiſſet. Niſi eo *Nihil eſt*, referre malis ad negationem ſenſus infirmitatis, quaſi æger non ſentiret ſe habere malè, quod eſt peſſimę ęgritudinis ſignum, iuxta Hippocratem aſſerentē. Qui in graui morbo dolorem non ſentit, in illo ſpes ſanitatis, aut exigua, aut prope nulla eſt. Quum itaque æger iſte peſſime valeret, vt conſtat ex eo, quod paulo poſt obijt, ſi morbum ſuum non ſentiebat, dicendo *Nihil eſt*, quaſi diceret: Videor mihi benè habere, nec eſt vnde me terreas ob intemperantiam, merito lethaliter ægrotabat.

*SVRGIT tacitè tibi lutea pellis. Ante aduerſam valetudinem, notæ quædam oriuntur, quarum omnium commune eſt aliter ſe corpus habere atque conuenit, neque in peius tantum, ſed etiam in melius. Ergo ſi plenior aliquis, & ſpecioſior, & coloratior factus eſt, ſuſpecta habere bona ſua debet, quę quia neque in eodem habitu ſubſiſtere, neque ultra progredi poſſunt, fere retro, quaſi ruina quadam reuoluuntur. Peius tamen*

*ſignum eſt, vbi aliquis contra conſuetudinem emacruit, & colorem decoremque amiſit, quoniā in his, quæ ſuperant, eſt quod morbus demat: in his quæ deſunt, non eſt quod ipſum morbum ferat.* Hæc Gellius lib. 2. cap. 2. Sunt autem verba medici, prodentis ſigna ex quibus cognouerat nouam, peioremque acceſſionem febrilem, nempe coloris mutationem. Sic Virg. 4. Georg. verſ 252.

*Si vero triſti languebunt corpora morbo,*
*Quod iam non dubijs poteris cognoſcere ſignis*
*Continuo eſt ægris alius color, horrida vultum*
*Deformat macies.*

Lethale ergo ſignū erat in hoc ægro cutis luteæ. Quod vero dicit cutem luteā ſurgere tacitè, dictum eſt per metaphoram, pro colorem luteum naſci ſenſim, ſeu paulatim, nam ſicut quod fit ſubito, ſeu breui tempore, (habito reſpectu ad rei magnitudinem, & tempus requiſitum ad eius expeditionem) plerumque fit cum quadam violentia, ſtrepitu, atque tumultu. Contra quod fit paulatim, fit placidè, atque ſedatè, itaut ferè non ſentiatur, quod eſt fieri tacitè. Vnde interuenit hic metaphora, nam luteus ille color, adeo ſenſim naſcebatur, vt nec æger ipſum aduerteret, ideoque dicebat: nihil eſſe, ideſt nihil ſe mali habere.

*LVTEA pellis.* Lutum cum ab eo deriuatis, primam corripit, vt conſtat infra verſ. 104.

*Craſſiſque lutatus amomis.*

At hic primam producit, vnde non eſt à luto. Et quidem ſi prima foret breuis, ſignificatus fuiſſet, color fuſcus, plumbeus, liuidus, & ſubniger, qualis eſſe ſolet in oppreſſis à frigore, vel

vel morti proximis. Quum vero ſit longa, deriuatur ab herba lutea, ſeu ab huius flore, qui eſt crocus, flaui, ſeu aurei coloris: & ita color luteus eſt aureus, flauus, & croceus, qualem videmus in illis, in quibus flaua bilis, etiam ad extra ſe prodit. Antonius Foquelinus hic per pellem luteam docet ſignificari hydropiſin: verum hic morbus non flauam, ſed plumbeam reddit pellem: & ita lutea foret à luto, & primam corriperet, quod tamen falſum eſt. Et qui hac ægritudine decumbunt, febres patiũtur plerumque acutas, & ardentes, breui necantes tempore, ideoque formidandas. In eo etiam, quod dixit: ſurgit lutea pellis, eſt metonymia ſubiecti pro adiuncto. non enim pellis ſurgebat, quæ præexiſtebat. & eadem perſeuerabat, ſed in ea ſurgebat, ſeu naſcebatur de nouo color luteus, ſeu flauus.

*AT tu deterius palles.* Verba ægroti, qui indignè ferebat medicum ſe obiurgaſſe, quod ſua intemperantia mortem acceſſiret, quaſi vna balneatio, vel potatiuncula, non potuiſſet ſibi eſſe tam noxia. Et videns non poſſe illum flectere ad condonandum ſuæ intemperantiæ, ipſum à ſe nec ſine contumelia expellit, peiorem illi pallorem obijciens, quaſi diceret: *Medice cura teipſum,* & ſi modicum meum pallorem, vt magnum obijcis crimen, criminoſior tu eris, quanto maiori occuparis pallore. Deterius autem, aduerbium eſt, factum à nomine deter iam obſoleto, cuius nihilominus remanſerunt comparatiuum deterior, & ſuperlatiuũ deterrimè: vel à verbo detero, id eſt rem vſu conſumo, & peiorem viliorémque reddo. A

comparatiuo ergo factum eſt deterius, quod æger contumelioſè obijcit medico. Et fortè phyſicè, & realiter erat in medico pallor, natus vel ex commotione, quam incurrerat, reprehendendo intemperantiam ſui patientis, nam talis commotio pallorem plerumque inducit: vel ex nimia applicatione ad ſtudia: muſarum enim contubernales pallidi eſſe ſolent, vt diximus ad illa verba proœmij *pallidamque pirenem*. Vel ab ætate ſenili, & ferè decrepita. Talis enim ætas, calore & ſanguine deſtituta, neceſſario palleſcit, quum pallor non ſit aliud quam ſanguinis in exteriori cute defectus. Et hanc innuere videtur palloris cauſam, dum aſſerit medicum deterius pallere: data namq; hac palloris cauſa in medico, nempe ſenectute, certum eſt hunc deterius pallere, ſiquidem pallor ex ægritudine naſcens, recuperata ſanitate, abſcedit: at veniens ex ſenectute, eſt inemendabilis, quum ſenex non reiuueneſcat. Hinc Ouuenus, dilecto ſeni ait lib. 1. epig. 20.

*Quiſq; ſenectutem, mortem tibi nemo precatur.*
*Optatur morbus, non medicina tibi.*

*NE ſis mihi tutor*, ait idem infirmus. Eſt autem tutor, qui ius habet, & poteſtatem in caput liberū defendēdi ipſum ab iniurijs, quando, ob minorem ætatem, ſe tueri non poteſt. Sic Plautus Aulul. Actu 3. ſc. 2.

*Quid tu, malum, curas,*
*Vtrum crudum, an coctum edam? niſi tu mihi es tutor.*

Et eadem fabula Actu 3. ſcena 5.

*Neq; lex, neq; tutor; capere eſt, qui poſſit modū.*

Sic Liuius loquens de Lucumone, ſeu Tarquinio

quinio Priſco,&Tanaquil illius vxore ait l.1. cap.32. *Has ſpes, cogitationeſque ſecum portantes, Vrbem ingreſſi ſunt, domicilioque ibi comparato, L. Tarquinium Priſcum edidiſſe nomen. Iam & Romanis conſpicuum eum nouitas, diuitiæque faciebant: & ipſe quoque fortunam benigno alloquio, comitate inuitandi, beneficijſque quos poterat, ſibi conciliando, adiuuabat, donec in Regiam quoque de eo fama perlata eſt, notitiamque eam breui apud Regem, liberaliter, dextreque obeundo officia, in familiaris amicitiæ adduxerat iura, vt publicis pariter, ac priuatis conſilijs, bello denique intereſſet, & per omnia expertus, poſtremo tutor etiam liberis Regis, teſtamento inſtitueretur.* Sic habetur Inſtitutionum Iuris Ciuilis lib.1. cap. de Tutelis. *Tutela, vt Seruius diffiniuit, eſt uis, atque poteſtas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem ſe defendere nequit, iure ciuili data, ac permiſſa. Tutores autem ſunt, qui eam uim, ac poteſtatem habent, ex qua re ipſi nomen acceperunt, itaque appellantur tutores, quaſi tuitores, atque defenſores.* Dabatur autem tutor pupillis impuberibus, ideſt qui quartum, vel ſextumdecimum annum non excesſerant, nam exinde vſque ad annum vigeſimum quintum, non tutores dabantur, ſed curatores, quibus non perſonæ minoris, ſed rerum tantum, illius curę committebantur: qui dabantur etiam illis omnibus qui, quacumque de cauſa, ſua curare non poſſent, vt phreneticis. Tutorum autem poteſtas eſt ferè patriæ ęqualis, nam poteſt tutor pupillum reprehendere, obiurgare, & etiam caſtigare. Et quia medicus iſte

reprehendebat ſuum ægrotum, quod erat proprium Tutoris, ideo ille ait: *Ne ſis mihi tutor*, quaſi diceret verbis Piſtocleri apud Plautum Bacchidibus Actu 1. ſcena 3.

*Iam exceſſit mihi ætas ex magiſterio tuo*, ideſt iam me vides effectum maiorem, vt non debeam ſub poteſtate eſſe tutoris, immo qui mihi à patre datus fuerat tutor, ex multo iam tempore defunctus, ſepultuſque eſt, de cuius morte fruſtra gauiſus ſum, ſi tu ſupereras, qui idem in me tutoris vſurpas, & exerces officium.

*IAMPRIDEM hunc ſepeli*, tutorem inquit æger, olim ſepulturæ tradidi. Iampridem idem eſt ac olim, & vt olim ad omnia ſe extendit tempora, nam præteritum ſignificare, communis eſt omnium ſenſus, vt ſuperuacuum ſit exempla aceruare. Significare vero præſens præter alios innuit Virgil. dicens Ecloga 10. verſu 34.

*Veſtra meos olim ſi fiſtula dicat amores.*

Futurum etiam ſignificat in illo tetraſtico marmori inſculpto, locatoque ſupra portam Vrbis Campanæ Neapolim reſpiciéte à Ioanne Baptiſta Attendulo, vt fertur compoſito:

*Sub muro quondam tripedali, & pene labāti*
*Campani aſſueti Regum bene iura tueri,*
*Vt melius ſit res olim defenſa Philippi*
*Muniri firmis curarunt arcibus Vrbem.*

Et Virg. 2. Georg. verſ. 190.

*Hic tibi prægalidas olim multoq; fluentes*
*Sufficiet Baccho vites.*

Et idem 1. AEneid. verſ. 293.

*Hunc tu olim Cælo, ſpolijs Orientis onuſtum*
*Accipies ſecura.*

Et

Et eodem modo iampridem, tempus ſignificat præteritum apud Plautum Amphitr. Actu 1. ſcena 1.

*Agite pugni, iamdiu 'ſt, quod uentri uictum non datis* (*quatuor*
*Iampridem uidetur factum, heri, quod homines*
*In ſoporem collocaſtis nudos.*

Et Moſtellar. Actu 1. ſcena 3.

*Iampridem mecaſtor frigida non laui magis lubenter.*

Sic Cicero ad Atticum lib. 1. epiſt. 8. *De comitijs meis, & tibi me permiſiſſe memini, & ego iampridem, hoc communibus amicis, qui te expectant, prædico, & te non modo non arceſſam, ſed prohibebo.* Significat etiam præſens in Lucano lib. 1. verſ. 347.

*Tollite iampridem, uictricia tollite ſigna.*

Pro præterito etiam poſitum eſt hic, vbi ſignificat ſe ex multo iam tempore ſepulturæ tradidiſſe tutorem, ſibi à patre relictum, ſed videre medicum ſuperſtitem vſurpantem in ſe officium tutoris. Quibus verbis deprauatæ iuuentutis exprimit mores, quæ nedum nullam benemerentibus habet gratiam, ſed eos inſuper odio perſequitur, quod etiam Piſtoclerus faciebat erga Lydum pędagogum apud Plautum Bacchidibus Actu 1. ſc. 3.

*PERGE, tacebo.* Verba ſunt medici, permittẽtis ægroto viuere ad ſuæ libitum voluntatis, quæ eſt permiſſio expreſſa violẽter, & cum amara neceſſitate, vtpotè rei quam ſciebat lethalem, ſed impedire non poterat. Sic Dido apud Virg. 4. AEn. verſ. 380.

*Neque te teneo, neq; dicta refello*

*I, ſequere Italiā uentis, pete regna per undas.* Videns enim medicus ſe nihil admonitione, nec mortis comminatione proficere, nec potuiſſe euincere, vt ſuus æger breuē ſeruaret à noxijs abſtinentiam, quin illum magis irritare, permittit illi, quæ vellet.

*TVRGIDVS hic epulis, atq; albo uētre lauatur. Gutture ſulphureas lente exhalante Mephites:* Verba poetæ referentis progreſſum intemperantiæ eius ægroti, qui contumelioſis conuicijs abacto medico, frena laxauit crapulæ, ideoque hydropiſim incurrit; & nec ſic à noxijs abſtinens, non formidauit, ſtomacho adhuc crudo, balneum ingredi, ex quo mortem ſibi accelerauit. Quod etiam Iuuenalis obſeruauit dicens ſat. 1. verſu 142.

*Pœna tamen præſens, quū tu deponis amictus*
*Turgidus, & crudū pauonem in balnea portas*
*Hinc ſubitæ mortes, atque inteſtata ſenectus.*

Vbi Iuuenalis crudi pauonis in balnea delati nomine, ſtomachum intelligit, qui cibum non concoxit. Nam teſte Galeno de aliment. facult. lib. 3. Caro pauonis difficillimæ eſt concoctionis, & gallinacea durior, fibroſa, & peſſimi ſucci; Simon tamen Sethi affirmat illorum ius peculiari proprietate pleuritidem currere. Quamuis autem caro pauonis ſit ferè indigeribilis, vt Auguſtinus indicat dicens de Ciuitate Dei lib. 21. c. 4. *Quis niſi Deus creator omnium dedit carni pauonis mortui, ne putreſceret? Quod quum auditu incredibile uideretur, euenit, ut apud Carthaginem nobis cocta apponeretur hæc auis, de cuius pectore pulparum quantum uiſum eſt, decerptum ſeruare iuſſimus;*

*quod poſt dierum ſtatum ſpatium, quantum alia caro quęcumque coctia putreſceret prolatum, atq; oblatum, nihil noſtrum offendit olfactum. Itemque repoſitum, poſt dies amplius, quam viginti, idem quod erat, inuentum eſt: idemque poſt annum, niſi quod aliquantum corpulentiæ ſiccioris, & contractioris fuit.* Nihilominus Romanorum luxui adeo fuit grata, vt Varro de R.R. lib 3. cap.5. dixerit: *Merula de pauonibus noſtra memoria inquit, greges habere cæpit, & venîere magno. Ex his M. Aufidius Lurco ſextertia ſexagena millia nummum in annum dicitur capere. A procuratore ternos pullos exigit, eoſque quum creuerint, quinquagenis denarijs vendit, vt nulla ouis hunc aſſequatur fructum. Præterea oua emit, & ſupponit gallinis, ex quibus ex his excuſſos pullos refert in id tectum, in quo pauones habet. Primus hos Q. Hortenſius augurali cœna poſuiſſe dicitur, quod protinus factum tam luxurioſi, quam ſeueri boni viri, laudabant: quem cito ſequuti multi, extulerunt eorum pretia, itaut oua eorum denarijs veneant quinis, ipſi facile quinquagenis: grex centenarius facilè quadragena millia ſextertia, vt quidam Albutius aiebat, ſi in ſingulos ternos exigeret pullos, perfici ſexagena poſſe.* Macrobius etiam inquit Saturnal.lib.3.cap.13. *Ecce res non admiranda ſolum, ſed et pudenda, vt oua pauonum quinis denarijs veneant, quæ hodie, non dicam vilius, ſed omnino nec veneunt.* Sic Horat.2.ſerm. ſat.2.

*Vix tamen eripiam poſito pauone, velis quin*
*Hoc potius, quam gallina tergere palatum*
*Corruptus vanis rerum, quia ueneat auro*

*Rara auis, & picta pandit ſpectacula cauda*
*Tamquam ad rem attineat quidquam dum-uesceris illa,*
*Quam laudat pluma, cocto nũ adeſt honor idẽ?*

Turgidum autem epulis ægrotum dicit, quia eis ſupra modum ſe infarcierat; Turgidus enim eſt, tumidus, ſiue inflatus, vt vtres vẽto, aut liquoribus turgeſcunt: ſic etiam quædam corporis partes inflantur, ac turgeſcunt, ſiue diſtenduntur humoribus. Sic Horat. 3. carm. ode 13.

*Cras donaberis hædo,*
*Cui frons turgida cornibus.*

Sic Catull. carm. 3.

*O factum male, ò miſelle paſſer,*
*Tua nunc opera meę puellæ*
*Flendo turgiduli rubent ocelli.*

Et Plaut. Mil. glor. Actu 4. ſcena 3.

*Cubare naui lippam, atq; oculis turgidis*
*Nauclerus dixit, qui illas aduexit mihi.*

Et ita venter epulis inflatus, & diſtentus, turgidus dicitur.

*ALBO uentre.* Color albus propriè dictus eſt, qui eſt pallidus, plumbeus, & ſubfuſcus, qualem videmus in marceſcentibus otio, helluatione diffluentibus, & preſſis longa infirmitate: comitatur etiam intemperantes. Hinc Sulpicia, ſatyra in Domitianum, philoſophos Vrbe exegentem, ait:

*Nunc igitur, qui res Romanas imperat inter*
*Non trabe, ſed tergo prolapſus, & ingluuie-albus,*
*Et ſtudia, & ſapiens hominũ, nomemq; genuſq;*
*Omnia abire foras, atque excedere iuſſit.*

Et Horat. hydropiſim, album languorem appellat lib. 2. carm. ode 2.

*Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,*
*Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi*
*Fugerit uenis, & aquoſus albo*
*Corpore languor.*

Et ſic albus venter hic, hydropiſi diſtentus intelligitur.

*GVTTVRE ſulphureas lentè exhalante Mephites. Mephitis* in primis dictus Deus quidã, Leucothoe connexus, non minus, quam Veneri Adon, vel Dianę, Virbius. Item Mephitis credita Iuno, ideſt aer, hic enim vt incorruptus ſuauem, amabilemque efflat odorem, ita corruptus tetrum, grauem, ac peſtilentem. Cui Mephiti, ferunt, Cremonæ ędem fuiſſe poſitam prope Vrbis mœnia Plinius etiam lib. 2. cap. 93. ait: *In Hirpinis Anſancti, ad Mephitis ędem locum, quem qui intrauere, moriuntur.* Sed propriè Mephitis intelligitur putor, naſcens ex aquis corruptis, aut ſulphureis, maximè ſi ſint occupati denſitate, aut opacitate ſiluarum, qualis Mephitis erat in lacu Auerni in Campania, inter Neapolim, & Puteolos Qui peſtilens odor, etiam ſi noſtris etiam temporibus ibi ſentiatur, & experientia comprobetur in canibus, proiectis in quamdam illius agri cryptam (qui niſi illico extrahantur, breui hora moriuntur) multo tamen grauior prius, quam cæderentur ſiluæ, lacum illum occupantes, nam tunc etiam aues ſupra lacum volantes, reſpirantesque aerem illum, ſtatim mortuæ cadebant. Inde Seruius ad illud Virgil. 6. Æn. verſ. 201.

*Inde*

*Inde ubi uenere ad fauces graueolẽtis Auerni*, ait: Columbas Æneæ à Venere miſſas, altè volaſſe, ad vitandum lethiferum Auerni odorem. Idem Virg. Mephitis meminit 7. Æneid. v. 84.

*ſæuamq; exhalat opaca Mephitin.*

Mephitis ergo erat, vel Dea grauis odoris, vel odor ipſe grauis ex aquis corruptis naſcens, aeremque inficiens. Verum hic metaphoricè ſumitur pro tetro illo odore, qui naſcitur ex ſtomacho, in quo epulę non fuerunt plenè cõcoctę, de quo Hieronymus in Iouinianum inquit: *Pridianis epulis diſtendimur, & guttur noſtrum meditatorium efficitur latrinarum.* Et Seneca enumeratis multis helluationis malis, ſubdit epiſtola 95. *Quam fœdi, atque peſtilentes ructus ſunt, quantum faſtidium ſus exhalantibus crapulam ueterem? ſcias putreſcere ſumpta, non concoqui.* Et idem Seneca Quæſt. Natur. lib. 5. cap. 4. ait: *Quomodo in noſtris corporibus, ex cibo fit inflatio, quę non ſine magna narium iniuria emittitur, & uentrem interdum cum ſono exonerat, interdum ſecretius, ſic putant & hanc magnam rerum naturam, alimenta mutantem emittere ſpiritum. Benè nobiſcum agitur, quod ſemper excoquit, alioquin immundius aliquid timeremus.* Et hanc Mephitin, ſeu graueolentiam gutture reddebat hic æger, pergens adhuc, balneatione, & nouis epulis mortem ſibi accelerare.

*SED tremor inter uina ſubit, calidumq; trientem excutit è manibus, dentes crepuere retecti, Vncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.* His refert effectus ingluuiei huius ægri, cui incontinenter agenti, & ſtudenti calicibus epo-

tandis, noua ſuperuenit febrilis acceſſio, cum rigore frigoris ad vomitum impellens. Et eſt in his verbis ſenecdoche materiæ pro materiato, nam dictum eſt ſubire tremorem inter vina, pro inter bibendum, vina enim ſunt potationis materia. Tremor autem eſt corporis concuſſio, qualem videre eſt in frigore affectis, timentibus, & febricitantibus. Sic Cicero lib. 4. Tuſculanarum: *Subiecta ſub metu, ſic definiunt: Pigritiam, metum conſequentis laboris: Terrorem, metum concutientem: ex quo fit, ut pudorem rubor, terrorem, pallor, & tremor, et dentium crepitus conſequatur: Timorem, metum mali appropinquantis: Pauorem, metum mentem loco mouentem.* At hic tremor ſignificatur natus ex acceſſione febrili, nam febris illum cauſat ob neruorum grauedinem, & hæc ex ingurgitatione naſcitur, teſte Seneca dicente epiſt. 95. *Quæ deſiderantibus alimenta erant, onera ſunt plenis: inde pallor, & neruorum, uino madentium, tremor, & miſerabilior ex cruditatibus, quam ex fame macies. Inde incerti labantium pedes, & ſemper, qualis in ipſa ebrietate, titubatio; inde in totam cutem humor admiſſus, diſtentuſq; uenter, dum malè aſſueſcit plus capere, quam poterat. Inde ſuffuſio luridæ bilis, et decolor uultus, tabeſque in ſe putreſcentium & retorti digiti, articulis obrigeſcentibus, neruorum ſine ſenſu iacentium torpor, aut palpitatio, ſine intermiſſione vibrantium.* Sic Horat. lib. 1. epiſt. 16.

*Neu ſi te populus ſanum, recteq; valentem*
*Dictitet, occultam febrem ſub tempus edendi*
*Diſſimules, donec manibus tremor incidit vnctis*

*Stultorum incurata pudor malus vlcera celat.*

*SVBIRE* eſt ſubtus ire, ſeu clam, & latenter per inſidias irrepere, ſed extenditur ad modo quocumque ingredi. Sic Cæſar lib. 1. de bello Gallico: *Quod ſibi Cæſar denunciaret ſe Heduorum iniurias non neglecturum, neminem ſecum, ſine ſua pernicie, contendiſſe; quum vellet, congrederetur; intellecturum quid inuicti Germani, exercitatiſſimi in armis, qui intra annos quatuordecim tectum non ſubiſſent, virtute poſſent.* Sic Ouid 4. Triſt. eleg. 3.

*Et maris occiduas non ſubeatis aquas.*

Eadem eſt ſignificatio verbi deponentis. Iuuen. ſat. 16.

*Quis numerare queat felicis præmia, Galle,*
*Militiæ? nam ſi ſubeantur proſpera caſtra*
*Me pauidum excipiet tyronum porta ſecundo*
*Sidere.*

Et Cicero in peroratione Verrinæ 7. *Videmus quanta ſit in inuidia, quantaque in odio apud quoſdam homines nobiles, nouorum hominum virtus & induſtria, ſi tãtum oculos deiecerimus, præſto eſſe inſidias: ſi vllum locum aperuerimus ſuſpicioni, aut crimini accipiendum eſſe ſtatim vulnus: eſſe nobis vigilandum, ſemper laborandũ videmus. Inimicitiæ ſunt? ſubeantur. Labores? ſuſcipiantur, etenim tacitæ magis, & occultæ inimicitiæ timendæ ſunt, quam indictæ, & apertæ.* Hic ſubire, eſt latenter, & ſenſim irrepere, vt vix ſentiatur, donec omnes occupet artus.

*CALIDVMQ; trientem*, ſic paſſim codices omnes: Sed Caſaubonus ſecutus, vt ait, editionem Puteani, quam aſſerit placuiſſe autori veterum ſcholiorum, legere mauult, Triental.

Et

Et ſanè niſi obſtaret communis aliorum conſenſus, à quo non eſt temere recedendum, triental legerem, nam triental eſt vas, & calix, ſeu amphora capax tertiæ partis aſſis, ſiue ſeſtarij, id eſt ciathos quatuor: triens vero eſt liquor menſuratus tali menſura: non videtur autem ægrum manibus contrectaſſe rem menſuratam, ſed menſuram, ideo triental legerē: ſed quia obſtat communis lectio, dicimus interuenire hic metonymiam contenti pro continente, vt apud Propertium lib. 3. elegia 8. dicente:

*Quum fuerit multis exacta trientibus hora*
*Noctis, & inſtituet ſacra miniſtra Venus.*

Vade ſiue legas triental, ſiue trientem, ſemper intelligitur vas capax tertiæ partis aſſis, id eſt ſeſtarij. Niſi malis as eſſe congium, cuius ſextarius eſt ſexta pars, & ita triental foret vas continens ſextarios duos, quod vas improportionatum videtur ad immediatè ex eo bibendum, vt hic eſſe ſupponitur, quod æger manibus tenens, bibebat. Dictus autem triens calidus, vel quia potio calida, non minus quam gelida aliquos delectat. Vnde Iuuenal. ſat. 5. verſu 63.

*Quādo vocatus adeſt calidæ, gelidæq; miniſter.*

Et Mart. lib. 9. epigr. 95.

*Rumpis, & ardenti madidus cryſtalla falerno.*

Vel quia triens, ſeu calix, ex longa mora in febricitantis manibus, calorem contraxerat, noluerat enim æger, niſi exhauſtum illum dimittere. Tremor igitur trientem ex bibentis manibus excuſſerat, depulerat, & quatiendo deiecerat; tremor enim manuum neruos

de-

debilitando,cogebat illas cyathum dimittere, & cyathum cadere.

*CREPARE* eſt ſonum, vel ſtrepitum edere. Sic Plautus Curculione Actu 4.ſcena 1.

*Sed interim crepuere fores.*

Et Menechmis Actu 5. ſc.5.

*Dic mihi an umquam inteſtina tibi crepant, quod ſentias? (crepant.*

*Vbi ſatur ſum,nulla crepitant,quando eſurio,*

Sic Ouid.4.Faſtor.

*Et crepet in medijs laurus aduſta focis.*

Hic vero dentes dicti ſunt crepuiſſe, ideſt ſonitum edidiſſe ob mutuam colliſionem,cauſari ſolitam ex paralyſi, & ſæpius ex rigore frigoris,& acceſſione febrili.

*RETECTI*. Dum æger intemperans neſcit ſibi conſulere, vni lethali ſigno accedit aliud, nam præter tremorem excutientem calicem ex illius manibus, & dentium colliſionem acceſſit eorumdem dentium retectio,ideſt nudatio, à proprio ſcilicet labiorum operimento, hoc enim naturaliter teguntur, & operiuntur.Præpoſitio enim Re,vt in reuelo,reclamo, reijcio,& alijs,ita & hic ſumitur negatiuè,ſeu ablatiuè: hinc quum tegere ſit abſcondere, & operire,retegere erit auferre operimentum, vt res, quæ, abſcondita, cognoſci nequibat, nunc retecta, manifeſta videatur. Sic Catull. de Coma Berenices, ſeu carm.67.

*Tradite nudantes retecta veſte papillas,*
*Quæ iucunda mihi munera libet onix.*

Deteguntur autem dentes ex labiorum relaxatione, ideo dicitur laxis labris, quod iuxta Hyppocratis prognoſticum euidens eſt mortis ſignum,

ſignum, quod dicit, labra ſoluta, & pendentia.

*PVLMENTARIA* ſunt pultes, vel cibi in pultis modum præparati, vel ſunt quæuis obſonia. Vnde Plin. lib. 18. cap. 8. *Pulte, non pane, vixiſſe longo tempore Romanos, manifeſtũ, quoniam inde, & pulmentaria hodieq; dicuntur.* Immo pulmẽtarij nomine intelligitur cibus quicumque præter panem. Hinc Cato de RR. cap 58. *Pulmentarium familiæ oleæ caducæ quã plurimum condito, poſtea oleas tempeſtiuas, vnde minimum olei fieri poterit, eas condito, & parcito, vti quam diutiſſimè durent: vbi oleæ comeſæ erunt, halecem, & acetum dato.* Hic ſumitur pro obſonijs delicatioribus. Cadebant autem pulmentaria vncta ex labris laxis, ſiue ſolutis, & pendentibus, quia quum huius ægroti ſtomachus foret debilitatus, nec poſſet nouum concoquere, immo nec recipere cibum, cogebatur æger tam nouiter ingeſtum, quam pridie ſuſceptum, multis phlegmaticis, vel bilioſis, aut alijs humoribus admixtum, per vomitum amandare. Cibus autem crudus talibus humoribus admixtus, egeſtus per vomitum, etiam ab eis, qui conſueuerunt cœnare ſine vncto, pultem, vel vncta refert pulmentaria, quanto magis excreatus ab iſto, qui dicere poterat, vt leno Plautinus Pſeudolo Actu 1, ſcena 2.

*ipſe ego pulmento vtor magis vnctiuſculo.*

*HINC tuba, candelæ, tandemq; beatulus alto compoſitus lecto, craſſiſque lutatus amomis, in portam rigidos calces extendit, at illum heſterni capite induto, ſubiere Quirites.* Deſcribit funus illius intemperati ægroti, omiſſa per Ellipſin,

ſiue

ſiue apoſiopeſin narratione mortis eiuſdem. Narrat ergo quemadmodum hinc, nimirum propter iſtam ægroti intemperantiam, qua noluit medici præcepta ſeruare, factum ſit, vt venerint tubæ, & candelæ, denunciantes eum iam obijſſe, vt ille infelix, pretioſis delibutus vnguentis, in thalami, vel domus ianuam, rigentibus extenſis plantis, ſublimi expoſitus feretro, libertorum humeris ad rogum, & ſepulturam fuerit delatus. *Tuba* autem eſt inſtrumentum incuruum, ex ære, vel argento formatum, cuius ſonitu equi, militeſque incitantur ad prælium. Nomen deductum videtur à tubo, ſiue cauitate canalis; eius æreæ primum inuentorem fuiſſe Piſæum Tyrrhenum docet Plinius lib. 7. cap. 56. Eiuſque ad hoc munus meminit Lucanus, dicens lib. 1. v. 430.

*Et qui te laxis imitantur Sarmata braccis*
*Vangiones, Batauiq; truces, quos ære recuruo*
*Stridentes acuere tubæ.*

Sic Tacit. Annal. lib. 2. cap. 12. *Interim Piſo claſſem haud procul opperientem oppugnare fruſtra tentauit, regreſſuſque & pro muris modo ſemet afflictando, modo ſingulos nomine ciens, præmijs vocans, ſeditionem captabat, adeoq; commouerat, vt ſignifer legionis ſextæ, ſignum ad eum tranſtulerit. Tum Sentius occanere cornua tubaſq; & peti aggerem, erigi ſcalas iuſſit, ac promptiſſimum quemque ſuccedere.* Sic Virgil. 2. Æn. verſu 313.

*Exoritur clamorque uirum, clangorq; tubarũ.*

Sic Cicero in 2. Catalinaria, quæ eſt oratio 20. [Quæſiui à Catilina an nocturno conuentu apud M. Leccam fuiſſet, necne? quum ille homo

homo audaciſſimus, conſcientia conuictus, primo reticuiſſet, pateſeci cætera, quid ea nocte egiſſet, vbi fuiſſet, quid in proxima conſtituiſſet, quemadmodum eſſet ei ratio totius belli deſcripta, docui: Quum hæſitaret, quum cunctaretur, quæſiui quid dubitaret proficiſci eo, quo iampridem præpararat quum arma, quum ſecures, quum faſces, quum tubas, quũ ſigna militaria, quum aquilam illam argenteã, cui ille etiam ſacrarium ſcelerum domi ſuæ fecerat, ſcirem eſſe præmiſſam.] Iiſdem inſtrumentis vtebantur in funeribus Imperatorũ, & clarorum virorum. Sic in funere Pallantis ait Virg. 11. Æn. verſu 191.

*Spargitur & tellus lacrymis ſparguntur, & arma,*
*It cęlo clamorq; uirum, clangorq; tubarum.*

In quibuſdam tamen funeribus, tibijs vtebantur, non tubis. Tibia autem ſic dicta, quod initio ex tibijs, ideſt oſſibus crurum gruum facta fuerit, eſt inſtrumentum muſicum, tereте, oblongum, & foramiņoſum, quod inflatũ, digitiſque per foramina adductis, & reductis, iucundam, temperatamq; reddit ſymphoniam. Sic de ea Horatius ad Piſones ait:

*Tibia non ut nunc oricalcho uincta, tubaq;*
*Æmula, ſed tenui ſimplexq; foramine pauco*
*Aſpirare, & adeſſe choris erat utilis, atq;*
*Nondum ſpiſſa nimis complere ſedilia flatu.*

De ea in funeribus. Virg. Eglog. 8. verſ. intercalari 21.

*Incipe Menalios mecum mea tibia verſus.*

Inde quidam dixerunt vſum tibiarum fuiſſe in funeribus minorum, & puerorum, tubarum

ve-

vero in clarorum: quod & Seruius docet ad quintum Æneidos. Sed id non eſſe perpetuo ſeruatum, colligimus ex eo, quod in funere Cæſaris Dictatoris, tibicines fuerint, teſte Suetonio in Iulio cap. 84. Et Seneca ludo in morte Claudij Cęſaris ait: *Dum deſcendunt per uiam ſacram, interrogauit Mercurius, quid ſibi uelit ille concurſus hominum, num Claudij funus eſſet? & erat omnium formoſiſſimum, & impenſarum plenum, ut ſcires Deum efferri; tibicinum, cornicinum, omniſque generis æneatorum turba tantus conuentus, ut etiam Claudius audire poſſet.* Hinc Statius Thebaid. lib. 6. v. 120.

*Quum ſignū luctu: cornu graue mugit adunco*
*Tibia, cui teneros ſuetum producere manes*
*Lege Phrygū mœſta, Pelopen monſtraſſe ferebāt*
*Exequiale ſacrū, carmenq; minoribus umbris*
*Utile.*

Non tamen inde fit id perpetuo ſeruatum, aut eſſe irreligioſum ſi fiat oppoſitum. Sic & Ouid. 5. Triſt eleg. 1.

*Interea noſtri, quid agant niſi triſte libelli*
*Tibia funeribus conuenit iſta meis.*

At Propertius tubarum funeralium meminit lib. 4. elegia 12.

*Sic mœſtæ cecinere tubæ, quum ſubdita noſtrū*
*Detraheret lecto fax inimica caput.*

Promiſcuè ergo in funeribus tubas adhibebant, & tibias. Inde Epictetus in altercatione cum Adriano. Tubam ait eſſe funeris deplorationem. Et Cornutus hic refert antiquorū ſepulturas, tubis fuiſſe celebratas. Hinc ab Apuleio in floridis appellati timbaulæ, qui tubis funera deducebant. Tubarum ergo

no-

nomine nunc intelliguntur clangores,tam tubarum, quam tibiarum, buccinarum, & cornuum,quibus vtebantur in funeribus,vnde adeſt hic ſenecdoche ſpeciei pro genere.

*CANDELÆ.* In funeribus adhibebantur etiam candelæ,ſic dictæ à candore ignis:erant enim funalia,quæ accenſa,noctis depellebant tenebras: ignis vero in eis fouebatur, cera, pice, adipe, vel alio vnctuoſo. Quæ nedum deferebantur cum cadauere ad rogum,ſed die noctuq; domi ardebant,dum illud plorabatur. Separata namque anima à corpore, defuncti cadauar lauabatur, vngebaturque vnguentis etiam pretioſis,& ita indutum componebatur ferali in lecto in triclinio, vel domus veſtibulo, ibi à ſiticinis,præficis,vel alijs,ad quos funus pertinebat, per aliquot dies complorabatur,& demum ad rogum, vel ſepulturam deferebatur. Et tam quum defunctus in domus veſtibulo plorabatur, quam dum inde exportabatur, ignem circa cum adeſſe, ſollemne erat, immo & in ipſis conditorijs, & ſepulchris ipſum etiam perpetuum ſeruabant, vt præter alios refert Plin. his verbis l.13. c.13. *Caſſius Hemina vetuſtiſſimus autor annalium, quarto eorum libro prodidit, Cn.Terentium ſcribam, agrum ſuum in Ianiculo repaſtinantem offendiſſe arcam,in qua Numa,qui Romæ regnauit ſitus fuiſſet.In eadem libros eius repertos,P.Cornelio L.F.Cethego, M.Bebio Q.F.Pamphilo Coſſ. ad quos à regno Numæ colliguntur anni 534.& hos fuiſſe è charta, maiore etiamnum miraculo, quod tot infoſſi durauerunt annis. Quapropter in re tanta ipſius Hemina verba ponam. Mirabantur*

*tur aliqui quomodo illi libri durare potuiſſent? Ille ita rationem reddebat: Lapidem fuiſſe quadratum circiter in media arca vinctum candelis quoquo verſus.* Hic nunc candelæ pro funalibus accipiuntur, vel domi ardentibus, vel quæ cũ defuncto efferebantur.

*BEATVLVS* diminutiuum eſt à beato, hic autem eſt cui nihil deeſt eorum, quæ appetit, ſi nihil appetat niſi honeſtum, vt ſapientiam & virtutes, quum forma qua quis beatus cõſtituitur, ideſt beatitudo, iuxta Boetium 3. de Conſol. philoſ. proſ. 2. ſit: *Status bonorum omnium congregatione perfectus*: bonorum inquã quæ ſunt verè talia, cuiuſmodi, iuxta Stoicos nullatenus ſunt, quæ, nobis inuitis auferri poſſunt, vt corporis, & fortuita: immo, etiam ſi iuxta Academicos, & alios, admittamus etiã externa in bonis eſſe, ſunt tamen adeo exigua, vt illi comparentur tamquam lucerna ad ſolẽ, vnde Cicero ait lib. 5. de Finibus: *Venio ad inconſtantiæ crimen, ne ſæpius dicas me aberrare, quam tu ponis in verbis, ego poſitam in re putabam. Si ſatis erit hoc perceptum, in quo adiutores Stoicos optimos habemus, tantam vim eſſe virtutis, ut omnia, ſi ex altera parte ponantur, ne appareant quidem, quum omnia, quæ illi commoda certè dicunt eſſe, & ſumenda, & eligenda, & præpoſita, quę ita definiunt, vt ſatis magno æſtimanda ſint. Hæc igitur, quum ego tot nominibus à Stoicis appellata, partim nouis, & commentitijs, vt iſta producta, & reducta, partim idem ſignificantibus; quid enim intereſt expetas, an eligas? Mihi quidem etiam lautius videtur, quod eligitur, & ad quod delectus adhibetur.*

*Sed quum ego iſta bona omnia dixero, tantum re-fert, quam magna dicam, quam expetenda, quam valde. Sin autem nec expetenda ego magis, quam tu eligenda, nec illa pluris æſtimãda ego, qui bona, quam tu qui producta appellas, omnia iſta neceſſe eſt obſcurari, nec apparere, & in virtutes, tamquam in ſolis radios incurrere. At enim, qua in vita eſt aliquid mali ea eſſe beata non poteſt. Ne ſeges quidem igitur ſpicis vberibus, & crebris, ſi auenam vſpiam videris: nec mercatura quæſtuoſa, ſi in maximis lucris parum aliquid damni contraxerit. An hoc vſquequaque aliter in vita, & non ex maxima parte de tota iudicabis? An dubium eſt, quin virtus ita maximam partem obtineat in rebus humanis, vt reliquas obruat? audebo igitur, quæ ſecundum naturam ſunt bona appellare, nec fraudare ſuo veteri nomine, quam aliquod potius nouum exquirere; virtutis autem amplitudinem, quaſi in altera libræ lance ponere, terram mihi crede ea lanx, & maria deprimet, ſemper enim ex eo, quod maximas partes continet, latiſſimeque funditur, tota res appellatur.* Hinc nemo beatus dici iure poteſt, ex eo præciſè, quod externa & fortuita poſſideat bona, niſi virtutibus animi ſit etiam ornatus. At imperitorum vulgus non diſcernens vtile ab honeſto, videnſque diuites diuitiarum ergo, vitare mala impẽdentia, potiri vero honoribus, voluptatibus, potẽtia, clientelis, & quouis alio concupito, Trimalchioni aſſentitur dicẽti apud Petron. in Satyr. *Credite mihi aſſẽ habeas, aſſem valeas, habes, habeberis.* Et ibidẽ: *Nemo Cœlum putat, nemo iuſiurandum ſeruat, nemo Iouem pluris facit, ſed*

*omnes opertis oculis bona ſua computant.* Et Seneca epiſt. 23. *Hæc quibus delectatur vulgus, tenuem habent, & perfuſoriam voluptatem, & quocumque inuecticium gaudium eſt, fundamento caret. Hoc de quo loquor, ad quod te conor perducere, ſolidum eſt, & quod plus pateat introrſus. Fac, oro te Lucili cariſſime, quod unum poteſt te præſtare felicem, diſijce, & conculca iſta, quæ extrinſecus ſplendent, quæ tibi promittuntur ab alio, at verum bonum ſpecta.* Sic Martial. lib. 10. epigr. 46.

*Vitam, quæ faciunt beatiorem*
*Iucundiſſime Martialis, hæc ſunt*
*Res non parta labore, ſed relicta,*
*Non ingratus ager, focus perennis*
*Lis numquam, toga rara, mens quieta.*

Et ibidem epigr. 81.

*Sed ſi non fias quadrante beatior uno.*

Et eodem lib. 10. epig. 86.

*Certent muneribus beatiores.*

At D. Saluianus lib. 1. de Gubern. Dei ait: [Labor, ieiunium, & paupertas, & humilitas, & infirmitas, non omnibus ſunt onerosa tolerantibus, ſed tolerare nolentibus: ſiue enim grauia hæc, ſiue leuia, animus tolerantis facit. Nam ſicut nihil eſt tam leue, quod ei non graue ſit, qui inuitus facit, ſic nihil eſt tam graue, quod non ei, qui id libenter exequitur leue eſſe videatur. Niſi fortè antiquis illis priſcę virtutis viris, Fabijs, Fabricijs, Cincinnatis, graue fuiſſe exiſtimamus, quod pauperes erant, qui diuites eſſe nolebant, quum omnia ſcilicet ſtudia, omnes conatus ſuos, ad communia emolumenta referrent, & creſcentes

Reip.

Reip.vires,priuata paupertate ditarent. Numquid parcam illam tunc, agreſtemque vitam, cum gemitu,& dolore tolerabant? quum viles & ruſticos cibos, ante ipſos, quibus coxerant focos,ſumerent, eoſq, ipſos capere,niſi ad veſperam,non liceret? Numquid ægre ferebant, quod auara, ac diuitę conſcientia auri talenta non premerent, quum etiam argenti vſum legibus coherceręnt? Numquid illecebræ,& cupiditatis pænam putabant, quod diſtenſa aureis nummis marſupia nõ haberent, quum patricium hominem, quod vſque ad decem argenti libras diues eſſe voluiſſet, indignum curia iudicarent? Non deſpiciebant tũc, puto,pauperes cultus,quum veſtem hirtam ac breuem ſumerent, quum ab aratro arceſſerentur ad faſces, & illuſtrandi habitu conſulari,illis fortaſſe ipſis,quas aſſumpturi erãt imperialibus togis, madidum ſudore puluerẽ detergerent. Itaque tunc illi pauperes magiſtratus, opulentam Remp. habebant, nunc autem diues poteſtas, pauperem facit eſſe Remp. Et quæ,rogo,inſania eſt: aut quæ cęcitas,vt ægeſtuoſa, ac mendicante Rep. diuitias poſſe credant ſtare priuatas? Tales ergo tunc veteres Romani erant,& ſic illi tunc cõtemnebant diuitias, neſcientes Deum, ſicut nunc ſpernunt ſequentes Dominum. Quamquam quid ego de illis loquor, qui cura imperij propagandi,contemptum propriæ facultatis ad publicas opes conferebant, & licet priuatim pauperes eſſent, diuitijs tamen abundabant communibus,quum etiam Græci quidam ſapientiæ ſectatores, ſine vllo pu-

blicæ vtilitatis affectu, prope omni ſe rei familiaris vſu, aſſequendæ gloriæ auiditate nudauerint? Nec ſolum hoc, ſed etiam vſque ad contemptum doloris, & mortis, doctrinæ ſuæ culmen erexerunt, dicentes ſcilicet, etiam in catenis, atque ſupplicijs, beatum eſſe ſapientem. Tantam virtutis vim eſſe voluerunt, vt non poſſit eſſe vmquam vir bonus nō beatus. Si ergo illi à quibuſdam nunc etiam ſapientibus viris, miſeri, non putantur, qui nullos laboris ſui fructus, niſi ex præſenti tantum laude capiebant, quanto magis religioſi, ac ſancti viri, miſeri non putandi ſunt, qui & pręſentis fidei oblectamenta capiunt, vt beatitudinis futuræ præmia conſequantur?] Nunc autem beatum, ſiue beatulum appellat hunc defunctum, iuxta vulgi opinionem, quia fuerat diues, tantiſque vſus lauticijs.

*COMPOSITVS.* Componere eſt ponere cum alio, iungere vel vnire. Sic de Mezentio ait Virg. lib. 8. Æneid. verſu 485.

*Mortua quin etiam iungebat corpora viuis,*
*Componens manibus manus, atq; oribus ora.*

A liquando eſt conſtituere, ſeu diſponere. Sic Cicero pro Rege Deiotaro: *Locus erat quidam in quo erant compoſita ea, quibus te Rex munerare conſtituerat.* Quandoq; eſt ædificare. Sic Virg. 3. Æneid. verſu 387.

*Quam tuta poſſis vrbem componere terra*
*Signa tibi dicam, tu condita mente teneto.*

Eſt & colligere Virg. 8. AEn. verſ. 321.

*Is genus indocile, ac diſperſum montibus altis*
*Compoſuit, legeſq; dedit, Latiumque vocari*
*Maluit, his quoniam latuiſſet tutus in oris.*

Si-

Significat & ornare. Sic Seneca de Conſol. ad Heluiã c. 16. ait: *Non faciem lenocinijs, ac coloribus polluiſti; numquam tibi placuit ueſtis, quæ nihil amplius, quam nudam componeret.* Sic Virg. 4. AEneid. verſu 416.

*illi*
*Dulcis compoſitis ſpirauit crinibus aura.*

Componi dicebantur cadauera, quum lota, vngebantur, linteiſque inuoluta, ferali exponebantur in lecto. Sic Horat. 1. ſerm. ſat. 9.

*eſt tibi mater,*
*Cognati, queis te ſaluo eſt opus? Haud mihi quiſquam,*
*Omnes compoſui felices, nunc ego reſto.*

Et Ouid. 9. Metamorph.

*peream precor, ipſa, toroque*
*Mortua componar, poſitæq; det oſcula frater.*

Et nunc ita ſumitur, nam defunctus compoſitus alto lecto, eſt lotus, indutus, & expoſitus, vt plangeretur, & efferretur.

*CRASSVM* idem eſt, ac ſpiſſum, pingue, denſum, ac ponderoſum. Sic Plautus Pſeudulo Actu 4. ſcena 7.

*ſuram ubi*
*Aſpicias, ſcias eum poſſe gerere craſſas cõpedes.*

Et ibidem:

*Rufus quidã, uētrioſus craſſus ſeruos, ſubniger.*

Vnde amoma craſſa, erant vnguenta ſpiſſa, denſa, & minimum diluta, aut fluentia, immo abundantia, copioſaque, ac multæ ſubſtantiæ, qualia decebant huius beati defuncti diuitias.

*LVTATVS* à luto primam corripiente ſyllabam, eſt cœno oblitus, infectus, & deturpatus.

cus. Sic & luteum Ouidij 1. Faſtorum:

*Tum blandi ſoles, ignotaq; prodit hirundo,*
*Et luteum celſa ſub trabe figit opus.*

Et lutulentum Horatij 1. ſerm. ſat. 4.

*Hinc omnis pendet Lucilius, hoſce ſecutus*
*Mutatis tantum pedibus, numeriſq; facetus*
*Emunctæ naris, durus componere uerſus.*
*Nam fuit hoc uitioſus, in hora ſæpe ducentos,*
*Vt magnum, uerſus dicebat, ſtans pede in uno,*
*Quũ flueret lutulẽtus. Erat quod tollere velles*

Sed quamuis lutatus propriè dicatur de eo, quod eſt luto, ſiue cœno oblitum, inquinatum & deturpatum, & ita in fœdam commutatum ſpeciem, accipitur nihilominus etiam pro eo, quod à connaturali ſtatu, per extrinſecam vnctionem, etiam in melius eſt translatum. Vnde hic cadauer lutatum amomis, eſt delibutum vnguentis, vt ſuauem, non fœdum ſpiret odorem.

*AMOMVM* iuxta Dioſcoridem lib. 1. c. 14. eſt paruus frutex, cuius fructus vuæ racemo ſimilis, ex ligno in ſeipſum conuoluitur: flos eius violæ albæ ſimilis, folia vero viti albæ. De eodem *Plin.* lib. 12. cap. 13. *Amomi uua in uſu eſt. Indica uite labruſca, ut alij exiſtimauere, frutice myrtuoſo, palmi altitudine, carpiturq; cum radice, manipulatim leniter componitur, protinus fragile. Laudatur, quam maximè Punici mais folijs ſimile, nec rugoſis, colore ruffo. Secunda bonitas, pallido. Herbaceum peius, peſſimumque candidum, quod & uetuſtate euenit. * * Naſcitur, & in Armenię parte, quę uocatur Otenæ, & in Media, et in Ponto. Adulteratur folijs Punicis, & gũmi liquido ut cohęreat, conuoluatq;*

*luatque ſe in unũ modum. Eſt & quæ uocatur amomis, minus uenoſa, atq; durior, ac minus odorata: quo apparet, aut aliud eſſe, aut colligi immaturum. Simile his & nomine, & frutice, cardamomum, ſemine oblongo: metitur eodem modo, & in Arabia: quatuor eius genera. Viridiſſimũ ac pingue, acutis angulis, contumax fricanti, quod maximè laudatur: proximum è ruffo candicans. Tertium breuius, atq; nigrius: peius tamen uarium, & facile tritu, odoriſque parui.* Immiſcebatur amomum pleriſque antidotis, vnguentiſq; pretioſis, & ita hic per ſenecdochen, ſiue materiæ pro materiato, ſiue ſpeciei pro genere, amomum poſitum pro vnguento. Liniri autem defunctorum corpora pretioſis vnguentis, habemus tam in Euangelio, & ſæpius in Sacra Scriptura, quam apud Ethnicos, vnde de Miſeno ait Virg. 6. AEneid. verſu 219.

*corpuſq lauant frigentis, & ungunt.*

Et Ouid. 3. Triſt eleg. 3.

*Atq; ea cum folijs, & amomi puluere miſce,*
*Inq; ſuburbano condita pone loco.*

*IN portam.* Porta propriè eſt aditus Vrbis, caſtri, valli, aut alterius loci muniti, ſic dicta à portando, non ideo tantum, quod ea neceſſaria importarentur, & exportarentur (id enim etiã in priuatis domibus inuenitur.) Sed etiã, quia mos erat in huiuſmodi munitorum locorum deſignatione, ſub aratro taurum vaccamque iungere, ſulcumque, dictum primigenium deſignare ijs in locis, vbi mœnia erant ponenda: at vbi portæ erant locandæ, is qui boues minabat, aratrum ſuſpendebat, ipſumque manibus geſtabat, ad vſque illud ſpatium, vbi

alia murorum pars erat conſtruenda: ab hac ergo aratri portatione, portarum nomen eſt deriuatum. Et ita eo nomine vſus Cæſar, dicens lib. 6. belli Gallici: [ Inopinantes noſtri, re noua perturbantur, ac vix primum impetum cohors in ſtatione ſuſtinet. Circumfunduntur hoſtes ex reliquis partibus, ſi quem aditum reperire poſſent. Ægrè noſtri portas tuentur, reliquos aditus locus ipſe per ſe, munitioque defendit. Totis trepidatur caſtris, atque alius ex alio cauſam tumultus quærit, neque quo ſigna ferantur, neque quam in partem quiſque conueniat, prouident. Alius iam capta caſtra pronũciat, alius deleto exercitu atque Imperatore, victores barbaros veniſſe contendit: plerique nouas ſibi ex loco religiones fingunt, Cottæque, & Titurij calamitatem, qui in eodem occiderint caſtello, ante oculos ponunt. Tali timore omnibus perterritis, confirmatur opinio barbaris, vt ex captiuo audierant, nullum eſſe intus præſidium, perrumpere nituntur, ſeque ipſi adhortantur, ne tantam fortunam ex manibus dimittant. Erat ęger in pręſidio relictus P. Seſtius Baculus, qui primum pilum apud Cæſarem duxerat, cuius mentionem ſuperioribus prælijs fecimus, ac diem iam quintum cibo caruerat: hic diffiſus ſuæ, ac omnium ſaluti, inermis ex tabernaculo prodit, videt imminere hoſtes, atque in ſummo eſſe diſcrimine rem, capit arma à proximis, atque in porta conſiſtit. ] Et eiuſdem operis lib. 8. dicitur: Exceptus eſt Cæſaris aduentus ab omnibus municipijs, & colonijs incredibili honore, atque amore; tum pri-

primum enim veniebat ab illo vniuerſę Gallię bello: nihil relinquebatur, quod ad ornatum portarum, itinerum, locorumque omnium, qua Cæſar iturus erat, excogitari poſſet.] Sic Cicero 2. de Oratore: Quum Metellus excuſationem oculorum à me non acciperet, & dixiſſet: Tu igitur nihil vides? Ego vero, inquam, à porta Exquilina video villam tuam. Vt illud Naſicæ, qui quum ad poetam Enniũ ueniſſet, eique ab oſtio quærenti Ennium, ancilla dixiſſet, domi non eſſe. Naſica ſenſit, illam, domini iuſſu dixiſſe, & illum intus eſſe: paucis poſt diebus, quũ ad Naſicam veniſſet Ennius, & eum à ianua quæreret, exclamat Naſica, ſe domi non eſſe. Tum Ennius: Quid, ego non cognoſco, inquit, vocem tuam? Hic Naſica; Homo es impudens, Ego quum te quærerem, ancillæ tuæ credidi te domi non eſſe, tu mihi non credis ipſi?] Priuatæ autem domus aditus, non porta, ſed ianua, vel oſtium propriè dici volunt eruditi: immo ianuam propriè eſſe totius domus aditum, oſtia vero cubiculorum eiuſdem domus. Hinc Ouid. 1. Amorum eleg. 9. ponens differentiam inter militem Martis, & Veneris ait:

*Ille graues Vrbes, hic duræ limen amicę*
*Obſidet, hic portas frangit, at ille fores.*

Hæc tamen tam ſubtilis differentia, non eſt perpetuò in vſu apud antiquos, immo probatiſſimi autores promiſcuè pro eodem accipiũt fores, oſtium, ianuam & portam. Vnde quod hic dictum eſt, defunctum extendiſſe calces ad portam, intelligitur ad oſtium cubiculi, vel ad ianuam domus: vel propriè ad portas Vr-

bis, quibus erat efferendus.

*RIGIDVM* id propriè eſt, quod conſtipatur, duratur, & fit inflexibile. Sic Cicero 1. Tuſcul. enumeratis Cœli partibus, ſubdit *Tum globũ terræ eminentem è mari, fixum in medio mundi vniuerſi loco, duabus oris diſtantibus habitabilem & cultum, quarum altera, quam nos incolimus, ſub axe poſita ad ſtellas ſeptem, vnde* Horrifer Aquilonis ſtridor gelidas molitur niues: *altera auſtralis ignota nobis, quam uocant Græci* ἀντάζονα: *cęteras partes incultas, quod aut frigore rigeant, aut vrantur calore*. Et Plinius lib. 6. cap. 13. *Aſiæ quoque magna portio appoſita Septentrioni, iniuria ſideris rigentis, vaſtas ſolitudines habet.* Sic Virg. eclog. 6. verſ. 27.

*Tum vero in numerũ Faunoſq; ferasq; videres*
*Ludere, tũ rigidas mouere cacumina quercus.*

Et 2. Georg. verſu 316.

*Tellurem Borea rigidam ſpirante mouere.*

*CALCES* appellantur infimæ, & extremæ partes pedum, calcanei etiam dictę à calcando. Sic Virg. 5. Æn. verſu 323.

*Eurialumque Hemus ſequitur, quo deinde ſub ipſo*
*Ecce volat, calcemque terit iam calce Diores.*

Sed quandoque per ſenecdochen calces, ſiue calcanei, ſumuntur pro integro pede, immo & pro toto animali. Hic autem ponuntur ad ſignificandam poſitionem corporis defuncti, qui ita locatus fuerat, vt pedes ad domus ianuam haberet extenſos; extendabantur autem calces, ſiue pedes ad portã, quia nẽpe illis antelatis efferebãtur, quia exodus, ſiue egreſſus, exordio, & ingreſſui debet opponi; in exordio

vero

vero, & natiuitate homo in caput naſcitur. Ita namque cadauera apud ſuos eſſe conſueuerunt, quo vſque conſtitiſſet animam ex eis auolaſſe, ne id contingat, quod Plinius lib. 7. cap. 53. & Val. Max. lib. 1. cap. 8. §. 12. inter miracula refert, his verbis: *Aliquid admirationis Ciuitati noſtræ Attilij etiam Auiolæ rogus attulit, qui & à medicis, & à domeſticis mortuus creditus, quum aliquamdiu humi iacuiſſet, elatus, poſtquam ignis corpus eius corripuit, viuere ſe proclamauit, auxiliumque pædagogi ſui, (nam is ſolus ibi remanſerat) inuocauit. Sed iam flammis circumdatus, fato ſubtrahi non potuit. Lucio quoque Lamiæ prætorio viro, æque vocem fuiſſe ſuper rogum conſtitit.* Id quod & alijs multis accidiſſe legimus: ideoque Plato 12. de legibus ait: *Elationes non breuiori, vel longiori tempore intus fiant, quam verè mortuus ſignificari cognoſcique poſſit: ac vt humana ſe habent, triduana elatio ad ſepulchrum mediocris videtur.* Et quia mortuorum pedes extenſi ſunt, & rigentes, ad ſignificandum aliquem iam obijſſe, illum extendiſſe pedes dicimus. Et metaphoricè Martialis, volens dicere cœnam ſibi perijſſe, inquit lib. 9. epigr. 89.

*Languidior noſtri ſi quando eſt Paulus Atili*
*Non ſe, conuiuis abſtinet ille ſuis*
*Tu languore quidem ſubito fictoque laboras,*
*Sed mea porrexit ſportula, Paule, pedes.*

*HESTERNI Quirites*, id eſt ſerui manumiſſi, vel libertate, Domini teſtamento donati. Erant autem diuerſæ manu mittendi formulæ, nam quidam libertatem per vindictam nanciſcebantur: ſiquidem quum, quis in libertatem

vocabatur, is raſo capite, ducebatur ad prætorem, apud quem bis, vel ter percuſſus, vel percuti iuſſus in capite, virgula (quæ à Vindicio Aquiliorum ſeruo, cuius indicio detecta fuit adoleſcentum nobilium coniuratio de reducendis Tarquinijs ) vindicta dicebatur, & alio nomine feſtuca: & quum eum inſuper vertiſſet Dominus, dicens, Hunc hominem liberum eſſe volo, prætoris decreto liber declarabatur. Et qui ſic ſeruitute eximebatur, nedum libertatem, ſed & ius habebat ſuffragij, & ciuitatis, iuxta legem Seruij Tullij, vt refert DionyſiusHalicarnaſſenſis lib.4. Antiq. Rom. cap.2. dicens: [ Idem Rex, augendo ciuium numero diligentiſſimè proſpexit: rem enim à nullo Regum antea animaduerſam excogitauit: illi exteros, quoſuis recipientes, & iura ciuitatis illis impertientes, ſine vllo natalium, aut conditionis diſcrimine, ciuitatem magna hominum frequentia auxerunt. At Tullius, vel ipſos ſeruos, qui libertate donabātur, niſi in ſuam patriam redire maluiſſent, in ciuitatem, & iuris æqualitatem recipi iuſſit. Quum enim iſtis quoque permiſiſſet, vt liberè cum cæteris ingenuis ſuas fortunas cenſerent, eos diſtribuit in quatuor tribus vrbanas, in quas ad noſtra vſque tempora referri ſolent. Libertorum autem nationem, quantacunque illa eſſet, ad omnia publica munia admiſit, ad quæ reliquis quoque plebeis aditus patet. Patricijs vero id ægrè, & moleſtè ferentibus, conuocato ad concionem populo, primum dixit ſe mirari, quod ipſi hoc ſuum factum iniquo animo ferrent, & putarent ingenuos

genuos differre à ſeruis natura, non autem à fortuna. Deinde quod eos, qui honoribus ſunt digni, non ex moribus, ſed ex fortuna, & conditione ſpectandos cenſerent, preſertim quum viderent, quam inſtabilis, & mutabilis ſit res iſta felicitas, & quam difficile ſit, vel in quantumuis beatis hominibus aſſerere, quamdiu hæc ipſis ſit duratura.] Et idem Dionyſ. eodem lib. 4. cap. 3. ait: Plurimi libertate gratis donabantur ob ſuam virtutem, & probitatem. Atque hic erat modus præſtantiſſimus, qui ſerui dominorum poteſtate liberabantur. Pauci vero quidam, libertatis pretio perſoluto, ex pijs & iuſtis laboribus quæſito, manumittebantur. Sed noſtra ætate non ita ſe res habet, ſed tanta eſt rerum confuſio, & honeſtas Romanorum in tantam turpitudinē, tantaſque ſordes eſt mutata, vt alij ex latrocinijs, & parietum perfoſſionibus, & pudicitiæ proſtitutione, & quouis alio improbo facinore quæſtum faciant, & hac pecunia libertatē ſuam redimant, & ſtatim Romana ciuitate donantur. Alij vero dominis conſcij, & ſocij veneficiorum, & cædium, & ſcelerum, vel in Deos, vel in Remp. patratorum, hoc beneficio ab illis remunerationis gratia afficiuntur. Alij vero manumittūtur, vt frumentum menſtruum publicè acceptum, & ſi quid aliud liberalitate principum in egenos ciues confertur, dent ijs à quibus donati ſunt libertate. Alij vero ob dominorum lenitatem, & inanis gloriæ ſtudium, & cupiditatem: Equidem ſcio quoſdam, qui teſtamento omnes ſuos ſeruos libertate donarunt, vt poſt obitum ſuum probi-

bitatis laudem adipiſcerentur,& multi pileati ſuum funus proſequerentur. In qua pompa quidam erant ( quemadmodum ab illius rei gnaris audire eſt ) malefici, recens è carcere egreſſi, qui ſcelera innumeris ſupplicijs capitalibus digna, perpetrarant. Sed hos pileos impuros multi ex ipſa vrbe ſpectantes ægre ferunt, & morem illum damnant, quod dedeceat populum rerum dominum, & illum, qui ſe dignum cenſet, qui toti terrarum orbi imperet, tales ciues facere. ] Præter illos, qui vindicta fiebant liberi, erant qui cenſu tales euadebant, qui etiam ius ciuitatis conſequebantur, nam quum ſoli ciues cenſerentur, ſi quis ſeruus, iubente Domino, in cenſum relatus fuiſſet, is liber ilico, & ciuis habebatur. Alij ſeruitute eximebantur teſtamento Domini, vt Trimalchio promittit ſe facturum, dicens apud Petronium in Satyrico: *Amici, & ſerui homines ſunt, & æquè unum lactem biberunt, etiam ſi illos malus fatus oppreſſerit, tamē, me ſaluo, cito aquam liberam guſtabunt: ad ſummum omnes illos in teſtamento meo manumitto.* Et hæc libertas habita per teſtamentum, plena erat, non minus, quam habita per vindictā. Manumittebantur, & per menſam, quum dominus ſeruorum aliquem, libero excipiebat conuiuio: per ſacram ędem, & alijs modis. Et hi libertate donati, liberti dicebantur, eorumque progenies, libertina: qui eſto, ex barbaris oriundi, ſtatim adepta libertate, in manumittentis nomen, & familiam tranſibant, erantq; Ciues Romani: qui quia à Quirino, nempe Romulo dicebantur Quirites, ipſi etiam Qui-

ri-

rites appellabantur Noui, ergo iſti ciues, facti teſtamento nuper defuncti, dicuntur Quirites heſterni, quia ab heſterno die ius Quiritum, ideſt ciuitatem cum libertate nacti fuerant.

*CAPITE induto.* Seruis inhibitum erat caput tondere, aut radere, ſed intonſa erant barba, hirtoque capillo. Immo & liberi, ſiue ingenui, ab Vrbe condita ad eius annum 454. intonſi fuere, primuſque Pub. Ticinius, tonſores Romam è Sicilia adduxit, decretumq; fuit, vt viri vſque ad annum 40. barbam raderent, capillumque tonderent, poſt eam ætatem neutrũ licebat. Sed pilei geſtatio ſeruis erat omnino interdicta, ideoque tam anxiè illud cupiebãt, vt pro illo nullum formidarent adire diſcrimen. Hinc quum militum ingenuorum copiã non habebant, ſeruos vocabant ad pileum, ideſt ad libertatem, ac proinde ad militiam; & iſti, pro tanto præmio, frequentes pericula ſuſcipiebãt. Sic feciſſe Agatoclem refert Iuſtinus his verbis lib. 22. *Omnes ſeruos militaris ætatis libertate donatos, Sacramento adegit, eoſque & maiorem partem fermè militum, nauibus imponit, ratus, exæquata utriuſque ordinis conditione, mutuam inter eos uirtutis æmulationem futuram.* Et ſic Liuius Suetonius, & alij referunt pluries factam ſeruorum ad pileum vocationem, Plinius etiam Iunior de viris illuſtribus cap. 69. ait: *Licinius Cornelius Cinna flagitioſiſſimus Remp. ſumma crudelitate uaſtauit primo Conſulatu legem de exulibus reuocandis ferens, ab Octauio collega prohibitus, & honore priuatus, urbe profugit, uocatiſque ad pileũ ſeruis, aduerſarios uicit, Octauium interfecit, Ia-*

*riculum occupauit.* Hinc ait Soſia apud Plautũ Amphitruone Actu 1.ſcena 1.

*Ibo ad portum, atq; hæc ut ſunt facta, hero dicam meo, (Iuppiter,*
*Niſi & is quoq; me ignorabit, quod ille faciat*
*Vt ego hodie, raſo capite, caluos, capiam pileũ.*

*SVBIERE Quirites.* Subire multa ſignificat. Hic poſſet accipi pro ſubdere, & ſe ſupponere, vt apud Virg. 10. Æn. verſu 796.

*Proripuit iuuenis, ſeſeque immiſcuit armis*
*Iamque aſſurgentis dextræ, plagamq; ferentis*
*Æneæ ſubijt mucronem, ipſumq; morando*
*Suſtinuit.*

Vel pro ſubdere humeros oneri. Sic Virg. 4. AEn. verſu 596.

*Infelix Dido nunc te fata impia tangunt?*
*Tum decuit, quum ſceptra dabas. En dextra fideſque,*
*Quem ſecum patrios aiunt portare Penates,*
*Quem ſubiſſe humeris cõfectum ætate parentẽ.*

Et Horat. 1. ſerm. ſat. 9.

*Demitto auriculas, ut iniquæ mentis aſellus,*
*Quum grauius dorſo ſubijt onus.*

Sic ergo heſterni illi Quirites, colla ſubmiſerunt Domini feretro. Quamuis enim feralis lectus plerumque portaretur à propinquioribus ſexus virilis, vnde filij parentum, fratres vero ſororum funera deferebant: & ita legimus Metelli lectum ſubijſſe tres illius filios Conſulares, duos triumphales, vnum cenſorium, & alium prætorium. Multoties tamen & ab exteris, honoris gratia funus delatum fuiſſe ſcimus, vt Pauli AEmilij, qui de Macedonia triumphauit, lectum Macedonum extu-

lere

lere legati: Et Syllæ, cum Senatoribus etiam Veſtales. Sæpe etiam & à libertis, ijs ſcilicet qui à defuncto libertate donati fuerant, ſuccollabantur, quod obſeruat etiam Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 7. vnde Caſaubonus hic ait: *Quum eſſent plures teſtamẽto manumiſſi, partim lectum geſtabant, partim ad latus procedebant, uel ambiebant, omnes capite induti, hoc eſt pileati.*

*TANGE miſer uenas, & pone in pectore dextram. Nil calet hic, ſummoſq; pedes attinge, manuſq; Non frigent.* Narrauerat philoſophus diuitem ægrotantem per medicinæ præceptorum contemptum, mortem incurriſſe. Et quia philoſophiã id præſtare credebat morbis animi, nimirum vitijs & peccatis, quod medicina morbis corporis, concludere intendit, militem deridentem philoſophiæ canones in mortem animæ properare. Verum Lactantius lib. 3. cap. 14. redarguẽs Ciceronem appellantem philoſophiam vitæ ducem, veritatis indagatricem, ac vitiorum expultricem, dicentemq; Quiſquamne vituperare vitæ parentem, & hoc parricidio ſe inquinare audeat? ait: [Nos ergo M. Tulli parricidæ ſumus, & inſuendi, te iudice, in culeum, qui philoſophiam negamus parentem eſſe vitæ: an tu, qui aduerſus Deum tam impiè ingratus es (non hunc cuius effigiem veneraris in Capitolio ſedentem, ſed illum qui mundum fecit, hominemque figurauit, qui ſapientiam quoque ipſam, inter cætera cœleſtia beneficia largitus eſt) magiſtram tu virtutis, aut parentem vitę vocas, ad quam ſi quis acceſſerit, multo ſit incertior neceſſe

eſt,

eſt, quam prius fuerit? Cuius enim virtutis? quę ipſa vbi ſita ſit, adhuc philoſophi non expediunt. Cuius vitæ? quum ipſi doctores ante fuerint ſenectute, ac morte confecti, quam conſtituerint quomodo viui deceat. Cuius veritatis indagatricem profiteri potes? qui ſępe teſtaris, quum tanta multitudo fuerit philoſophorum, ſapientem tamen extitiſſe adhuc neminem. Quid ergo te magiſtra illa vitæ docuit? An vt potentiſſimum Conſulem maledictis inceſseres: eumque hoſtem patriæ, venenatis orationibus faceres. Sed omittamus, quæ poſſunt excuſari fortunæ nomine. Studuiſti nempe philoſophiæ, & quidem ſic, vt nullus vnquam diligentius, quippe qui omnes cognoueris diſciplinas, ſicuti ipſe gloriari ſoles, eamque ipſam Latinis litteris illuſtraueris imitatoremque te Platonis oſtenderis. Cedo igitur, quid didiceris, aut in qua ſecta veritatem deprehenderis? In Academia ſcilicet, quam ſecutus es, quam probaſti. At hæc nihil docet, niſi vt ſcias te nihil ſcire. Tui ergo te libri arguunt, quam nihil à philoſophia diſci poſſit ad vitam, Hęc tua verba ſunt: *Mihi autem non modo ad ſapientiam cæci uidemur, ſed ad ea ipſa, quæ aliqua ex parte cerni uideantur, hebetes, & obtuſi*. Si ergo philoſophia eſt magiſtra vitæ, quur tibi ipſe cæcus, & hebes, & obtuſus videbare? quem oportuit, illa docente, & ſentire, & ſapere, & in clariſſima luce verſari. At quam confeſsus fueris philoſophię veritatem, docent ad filium compoſita præcepta, quibus mones, philoſophiæ quidem præcepta noſcenda, viuendum autem eſse ciuiliter.

ter. Quid tam repugnans dici poteſt? Si noſcenda ſunt præcepta philoſophiæ, ideo vtiq; noſcenda sũt, vt rectè ſapienterque viuamus. Vel, ſi ciuiliter viuendum eſt, non eſt igitur philoſophia ſapientia, ſiquidem melius eſt ciuiliter, quam philoſophicè viuere. Nam ſi ſapientia eſt, quæ dicitur philoſophia, ſtultè profectò viuit, qui non ſecundum philoſophiã viuit. Si autem non ſtultè viuit, qui ciuiliter viuit, ſequitur vt ſtultè viuat, qui philoſophicè viuit. Tuo itaq; iudicio philoſophia ſtultitiæ inanitatiſq; damnata eſt. Idem in Conſolatione, ideſt in opere non ioculari, hanc de philoſophia ſententiam tuliſti: *Sed neſcio, quis nos teneat error, ac miſerabilis ignoratio ueri.* Vbi eſt ergo philoſophiæ magiſterium? aut quid te docuit illa vitæ parens, ſi verum miſerabiliter ignoras? Quod ſi hæc erroris ignorationiſque confeſſio, pene inuito tibi ab intimo pectore expreſsa eſt, quur non aliquando verum fateberis, philoſophiam, quam tu nihil docentem, in Cœlum laudibus extuliſti, magiſtram virtutis eſse non poſse.] Et ſubdit cap. 15. Eodẽ ductus errore Seneca (quis enim veram viam teneret, errante Cicerone) *Philoſophia,* inquit, *nihil aliud eſt, quam recta uiuendi ratio, uel honeſtè uiuendi ſcientia, uel ratio rectè uitæ agendæ, non errabimus ſi dixerimus philoſophiam eſſe legem benè, honeſtèque uiuendi. Et qui dixit illam regulam uitæ, ſuum illi nomen reddidit.* Hic planè non reſpexit ad commune philoſophiæ nomen, quæ quum ſit in plures ſectas diſciplinaſque diffuſa, nihilq; habeat certi, nihil denique, de quo vniuerſi

vna

vna mente, ac voce conſentiunt, quid poteſt eſſe tam falſum, quam regulam vitæ philoſophiam vocari, in qua diuerſitas præceptorum rectum iter impediat, & turbet? aut legem benè viuendi, cuius capita longè diſſonent? aut ſcientiam vitæ agendæ, in qua nihil aliud efficitur, contraria ſæpe dicendo, quam vt nemo quidquam ſciat? Quæro enim vtrumne Academiam philoſophiam putet eſſe, an non. Negaturum non arbitror. Quod ſi eſt, nihil ergo illorum cadit in philoſophiam, quæ vt omnia reddat incerta, legem abrogat, artem nullam putat, rationem ſubuertit, regulam deprauat, ſcientiam funditus tollit. Falſa igitur illa omnia, quia in rem ſemper incertam, & adhuc nihil explicantem cadere non poſſunt. Nulla itaque ratio, vel ſcientia, vel lex benè viuendi, niſi in hac vnica & vera, & cœleſti ſapientia conſtituta eſt, quæ philoſophis fuit ignota. Nam illa terrena, quoniam falſa eſt, varia, & multiplex, ſibique tota contraria eſt, & ſicut vnus eſt huius mundi conſtitutor, & rector Deus, vna veritas, ita vnam eſse, ac ſimplicem ſapientiam neceſse eſt, quia quidquid eſt verum, ac bonum, id perfectum eſse non poteſt, niſi fuerit ſingulare. Quod ſi philoſophia vitam poſset inſtruere, nulli alij niſi philoſophi eſsent boni, & qui eam non didiciſsent, eſsent omnes ſemper mali: quum innumerabiles exiſtant, & ſemper extiterint, qui ſint, aut fuerint, ſine vlla doctrina, boni: ex philoſophis autem perraro fuerit, qui aliquid in vita fecerit laude dignum. Quis eſt tandem, qui non videat eos homines, virtutis,

qua egent, non eſſe doctores? Nam ſi quis mores eorum diligenter inquirat, inueniet iracundos, cupidos, libidinoſos, arrogantes, proteruos, & ſub obtentu ſapientiæ ſua vitia celantes: domi facientes ea, quæ in ſcholis arguiſſent. Fortaſſe mentior accuſandi gratia? nonne idipſum Tullius, & fatetur, & quæritur? *Quotuſquiſque*, inquit, *philoſophorum inuenitur, qui ſit ita moratus, ita animo & vita inſtitutus, vt ratio poſtulat, qui diſciplinam ſuam non oſtentationem ſcientiæ, ſed legem vitæ putet? qui obtemperet ipſe ſibi, & decretis pareat ſuis. Videre autem liceat alios tanta leuitate, & iactatione, vt his fuerit non didiciſſe melius, alios pecuniæ cupidos, alios gloriæ, multos libidinum ſeruos, vt cum eorum vita, & vitÿs, mirabiliter pugnet oratio.* Nepoſq; Cornelius ad eumdem Ciceronem ita ſcribit. *Tantum abeſt vt ego magiſtram eſſe putem vitæ philoſophiam, beatèque vitæ perfectricem, vt nullis magis exiſtimem opus eſſe magiſtris viuendi, quam pleriſq; qui in ea diſputanda uerſantur. Video enim magnam partem eorum, qui in ſchola de pudore, & continentia præcipiant argutiſſimè, eoſdem in omnium libidinum cupiditatibus uiuere.* Hucuſque Lactantius.] Verum philoſophiæ canones non ſunt contemnendi, quando adiungitur eis ſupernaturale lumen fidei, vocãtis ancillas ſuas ad arcem: & quum non addiſcuntur ob ſolam ſterilem contemplationem, ſed opere etiam ad praxim deducuntur, in quo eſt maxima difficultas, non vincenda niſi ſpeciali gratia, & auxilio Dei. Miles autem philoſophiæ contemptor, vt erat craſſæ Mineruæ, putans philoſo-

phum dicere voluiſſe corpore ſe eſſe ęgrum, venas illi tangendas exibet, quo illum falſitatis, ſtoliditatiſque arguat. Tangere autem eſt, ſenſu tactus deprehendere, & propriè non eſt niſi in corporibus, vnde Lucretius lib. 1. verſu 303.

*Tangere enim, & tangi niſi corpus nulla poteſt res,*

itaque tangere venas, ſiue arterias, eſt eas explorare, num corpus febri laboret, quod medici ex earum pulſu, calore cutis, alijſque ſignis coniectant, licet nonnumquam fallantur, vt docet Celſus lib. 3. cap. 6. his verbis: *Quum tempora cibo, potioniq; febris & remiſſionis ratio det, non eſt expeditiſſimum ſcire quando æger febricitet, quando melior ſit, quando deficiat, ſine quibus diſpenſari illa non poſſunt. Venis enim maximè credimus, fallaciſſimæ rei, quia ſæpe iſtę leniores, celerioreſue fiunt, & ætate, & ſexu, & corporum natura, & plerumque ſatis ſano corpore, ſi ſtomachus infirmus eſt, nonnumquam etiam incipiente febre ſubeunt, & quieſcunt, ut imbecillus is uideri poſſit, cui facilè laturo, grauis inſtat acceſſio. Contra ſæpe concitat, & reſoluit ſol & balneum, & exercitatio, & metus, & ira, & quilibet alius animi affectus, adeout quum primum medicus uenit, ſollicitudo ęgri dubitantis quomodo ſe illi habere uideatur, eas moueat. Ob quam cauſam periti medici eſt, non protinus ut uenit, apprehendere manu brachium, ſed primum reſidere hilari uultu, percunctariq; quemadmodum ſe habeat, &, ſi quis eius metus eſt, eũ probabili ſermone lenire, tum deinde eius corpori manum admouere. Quas uenas autem conſpectus medici mouet, quam facilè mille res turbant.*

*Al-*

*Altera res cui credimus calor, æquè fallax, nam hic quoque excitatur æſtu, labore, ſonno, metu, ſollicitudine. Igitur intueri quidem etiam iſta oportet, ſed his non omnia credere, ac protinus quidem ſcire non febricitare eum, cuius venæ naturaliter ordinatæ ſunt, teporque talis eſt, qualis eſſe ſanis ſolet. Non protinus autem ſub calore motuque febrem ſeſe concipere, ſed ita ſi ſumma quoque arida inæqualiter cutis eſt, ſi calor & in fronte, & ex imis præcordijs oritur, ſi ſpiritus ex naribus cum feruore prorumpit, ſi color, aut rubore, aut pallore nouo mutatus eſt: ſi oculi graues, & aut perſicci, aut ſubhumidi ſunt; ſi ſudor, quũ fit, inæqualis eſt: ſi venæ non æquis interuallis mouentur: Ob quam cauſam, medicus neque in tenebris, neque à capite ægri debet reſidere, ſed illuſtri loco, aduerſus eum, vt omnes notas ex vultu quoque cubantis perſpiciat.*

*MISER* eſt ærumnoſus, infelix, flendus, vel calamitatibus, & infortunijs oppreſſus. Sic Gel. fin. l. 14. c. 1. ait: *Phauorinus deterrere volẽs et depellere adoleſcẽtes à genethliacis, & alijs id genus, qui prodigioſis artibus futura omnia dicturos pollicentur, nullo pacto adeundos eſſe, conſulendoſq;, huiuſcemodi argumẽtis cõcludebat. Aut aduerſa, inquit, euentura dicunt, aut proſpera, Si dicunt proſpera, & fallunt, miſer fies, fruſtra expectando: ſi aduerſa dicunt, & mentiuntur, miſer fies fruſtra timendo. Si vera, reſpondeant, eaque ſunt non proſpera, iam inde ex animo miſer fies, antequam è fato fias: ſi felicia promittunt eaque ventura ſunt, tum planè duo incommoda ſunt, & expectatio te ſpei ſuſpenſum fatigabit, & futurum gaudij fructum, ſpes tibi iam deflo-*

*rauerit. Nullo igitur pacto vtendum eſt iſtiuſmodi hominibus res futuras præſagiētibus.* Plautus etiam, & alij, plaries miſerum pro paupere, & ærumnoſo dixerunt. Et ita nunc accipitur. Verba enim iſta ſi dicerentur à philoſopho qui, ſecta, Stoicus erat, miſeri nomine intelligeretur inſipiens, nam Stoici ſolum ſapientem putabant beatum, diuitem, & Regem: ſapientia vero deſtitutos, miſeros, & infelices. At diximus loquentem eſſe militem, nulla noſcentem bona, vel mala, niſi corporis, vel fortunæ; vnde miſeri nomine intelligitur pauper, pannoſus, & pædore oppreſſus, qualis videbatur philoſophus. Videbatur ergo militi miſer philoſophus, quia quæ ab eo dicebantur, ſiue de communi vita, ſiue de rerum natura, ſiue de felicitate, officijs, & alijs, communi idiotarum ſenſui contraria erant; vnde philoſophum appellans miſerum, tangendas ei exhibet arterias, cutemque, vt ex eis diſceret nulla ſe eſſe detentum infirmitate, & ideo non indigere illius medicinæ præceptis: per quod illum ſtoliditatis, & inſipientiæ arguit, quod ipſum ægritudinis inſimulauerit.

*NIL calet.* Significatur his verbis, philoſophum non inueniſſe in militis pulſu calorem innaturalem, ſiue febrilem. Duplex enim calor eſt in animalibus, naturalis vnus, naſcens è ſanguine, & ſpiritibus tum vitalibus, tum animalibus, qui comitatur quodcumque viuens ſenſibile, & cum cuius oppoſito, nempe frigore, venit mors. Innaturalis alter, ortus ex alteratione, motu, exercitatione, labore, applicatione ad ignem, vel ſolem, & ex humorum

de-

deprauatione. Miles autem hic dictus eſt non calere calore innaturali, febrilique nato ex prauis humoribus, non vero naturali.

*SVMMOSQVE pedes attinge manuſque: non friget.* Quia iuxta medicorum experimenta, in principio acceſſionis febrilis, tam tertianæ, quam quartanæ, priuſquam febris venas occupet, ex quibus poſſit eius præſentia plenè dignoſci, ſolent patientis extremitates membrorum algere, vel frigore concuti, cum toto deinde corpore, poſtquam philoſophus ex militis voluntate, eiuſdem tetigerat arterias, cutemque circa præcordia, nec in eis reperierat aliquod febris indicium, nunc ab eodem monetur, quaſi ad ampliorem ſuæ temeritatis redargutionem, qua ipſum morboſum iudicauerat, vt exploret etiam manuum, pedumque extremitates, quas dixit ſummas manus, & pedes, quæue vtpotè à corde, caloris fonte, longius remotæ, prius frigore obſidentur, ſi fortè frigeſcentes, indicent febrem eſſe in principio. Et quum philoſophus reſpondeat: *Non friget*, ſententia eſt, militem illum eſſe omnino corporaliter ſanum.

*VISA eſt ſi fortè pecunia, ſiue candida uicini ſubriſit molle puella, cor tibi ritè ſalit.* Explicat his verbis, ad quem finem caſum narrauerat infirmi, qui ob medicinæ contemptum, mortē incurrerat. Quum enim ſit duplex morborum genus, phyſicum ſcilicet, ſiue naturale vnum, & ethicum, ſiue morale alterum, illi medetur medicina phyſica, huic vero ethica, ſiue philoſophia morum: vnde ſicut corpore infirmus, medici phyſici præcepta contemnens, corpo-

ralem incurrit mortē, ita moraliter infirmus, ſeu morum vitijs inquinatus, ſi moralis medici, philoſophi, admonitiones deſpiciat, moralem incurret mortem, & in miſeriarum baratrum ruet immo eo magis, quo, an medici corporalem inſtauraturi ſint ſanitatem, incertum eſt, certiſſimum vero morum ſanitatem conſequi eos, qui moralium medicorum ſeruauerint canones. Oſtendit ergo philoſophus, militem hoc morbi genere laborare, nempe ethico, ſiue morali, eoque multiplici, vt auaritiæ, libidinis, iræ, gulæ, & ſimilium. Ait ergo: *Viſa eſt ſi forte pecunia, cor tibi ritè ſalit*, quaſi diceret: Tu miles, qui gloriaris te ſanum, & integrum eſſe, fac tuę incolumitatis periculum, præſentem aſpiciendo pecuniam, aut puellam ſuauiter arridentem, & ſi ex tali aſpectu non moueberis ad earum rerum dominium, vel fruitionem, dicemus te eſſe nedum phyſicè, ſed etiam moraliter ſanum. Sin ex his obiectis cōmouearis, & quidem pulſu incitatiori, quam qui ſit in febricitantibus, non eſt vnde de corporali lętari poſſis ſanitate. Quod autem ait: *Viſa eſt*, innuit, ſenſum moueri ab obiecti præſentia, & in abſentia conquieſcere.

*CANDIDA puella*. Quid ſit candidum, dictum eſt ſatyra 2. verſu 2. ad illa verba: *Candidus annos*. Hic addimus candidum ſumi pro ignito, quomodo Cicero 5. Tuſculan. de Dionyſio ait: *Inſtituit vt candentibus putaminibus barbam ſibi, & capillum adurerent*: candentem enim dixit ignitum, quiue adurendi vim haberet, & ab eo deriuatur candidi nomen. Et quũ lux caloris ſit mater, candor, qui proximè accedit

cedit luci, & eſt eius participatio, pro calore etiam ignito accipi poteſt. Et vlterius, quia pulchrũ deſiderij cócupiſcentięq; calorẽ excitat, ideo omne pulchrũ, candidũ dici potuit, & ita nunc candida puella eſt pulchra mulier. Puella enim propriè eſt, quam antiqui puerã dicebant, nẽpe fœmina, ante annos pubertatis ſicut, qui nunc puer, tunc dicebatur puellus. Verum, vt pueri dici cœpere etiam ætate prouectiores, potẽtioribus addicti; ita in ſequiori ſexu, puella appellata eſt Veneris actibus idonea, ſiue ſoluta foret, ſiue viro coniuncta, vt exempla paſſim occurrunt. Et ita hic puella vicini, dicta eſt vxor alicuius proximè habitantis.

*SVBRISIT*, ideſt modicè, ſiue leniter riſit. Talis autem riſus naſcitur aliquando ex dolore, ira, indignatione, vel ex ſatisfactione præsẽtis vltionis, vt apud Virg. 10. Æn. v. 742.

*Ad quem ſubridens, mixta Mezentius ira.*

Aliquando talis riſus mediocris accidit, quũ quis, de cauſa ſecurus, aduerſarij deſpicit conatum. Sic Ouid. 3. Amorum eleg. 1.

*Altera (ſi memini) limis ſubriſit ocellis.*

Tertio naſci poteſt, quũ quis præſefert amorem, benignitatem, & ſuauitatem erga aliquẽ; vnde Virg. 1. Æneid. verſ. 258.

*Olli ſubridens hominum ſator, atq; Deorum.*

Et ita hæc puella ſubriſit molle, ſignificans amoris reciprocationem, cauſantem ardentiorem concupiſcentiam, & cordis pulſum concitatiorem, quam ſit in febre.

*MOLLE* pro aduerbio molliter, à nomine mollis, Mollis autem, quum de viro dicitur in

malam ſumitur partem, ſignificans effœminatum. Vnde Cicerō 1. de Oratore: *Quis hoc philoſophus tam mollis, tam languidus, tam eneruatus probare poteſt?* Et Ouid. 2. Triſtium:

*Non tamen eſt facinus verſus euoluere molles.*
Et *Nec nocet authori, mollem, qui fecit Achillē.*
Abſolutè verò mollis eſt tener, ſiue delicatus, dictus quaſi facilè mobilis. Et quia, quod eſt facilè mobile, data opportunitate, à priori ſtatu flectitur, inde molle ſumitur pro facili, & procliui. Ita Dido Virgiliana ad Annam 4. Æneid. verſ. 423.

*Sola viri molles aditus; & tempora noras.*
Inde etiam eſt vt nedum herbæ, & plantæ teneræ, atque alia facilè in partem quamlibet vertibilia, mollia dicantur, ſed etiam animalia domita, & cicurata. Sic Virgilius 3. Georgicorum verſu v. 204.

*Belgica, vel molli melius feret eſſeda collo.*
Id etiam quod facilè ad faciendum, vel patiēdum induci poteſt, molle dicitur. Sic Cicero ad Atticum lib. 1. epiſt. 14. *Quanta ſit in Quinto fratre meo comitas, quanta iucunditas, quam mollis animus, & ad accipiendam, & deponendā offenſionem, nihil attinet me ad te, qui ea noſti ſcribere.* Sic Virg. 3. Georg. verſu 292.

*iuuat ire iugis, qua nulla priorum*
*Caſtaliam molli diuertitur orbita cliuo.*

Et ita hic molle dictum pro eo, quod facilè, ſiue ex ſe, ſiue prece, vel precio trahitur ad amoris reciprocationem puellæ erga militem.

*COR tibi ritè ſalit.* Ritè aduerbium à nomine ritus. Eo vſus Liuius lib. 31. cap. 5. *Quum pronunciaſſent Conſules rem Diuinam ritè perfectam*

*ſectam eſſe, & precationem admiſiſſe Deos, aruſpices reſpondere, lętaque exta fuiſſe, & prolationem finium, victoriamque, & triumphum portendi.* Quidam putantes omnem ritum eſſe ſanctum, omnia quæ ritè, ſeu iuxta ritum facta dicuntur, honeſta exiſtimauerut: quod tamen eſt falſum, quum ritus tam bonus poſſit eſſe, quam malus: vt ſi quis vixerit ſecundum ritũ, normam, vel leges Epicuræorum, Cinicorum, vel ſimilium, omnia ad voluptatem, & corporeas oblectationes referẽtium, vtique ritè, vel iuxta ritum, & nihilominus inhoneſtè, immo brutaliter viuet, vt de ſe fatetur Horatius ſecta Epicuręus, dicens lib. 1. epiſt. 4.

*Me pinguẽ, & nitidum benè curata cute viſes*
*Quum ridere voles, Epicuri de grege porcum.*

Viuere ergo ritè, & in bonum aptari poteſt, & in malum: benè namque ſumitur apud Oui. 3. Triſt. eleg. 8.

*Si ſemel optandum eſt, Auguſti numen adora,*
*Et quem ſenſiſti ritè precare Deum.*

Et 4. Triſt. eleg. 2.

*Hos ſuper in curru, Cæſar, victore veheris*
*Purpureus populi ritè per ora tui.*

Et Lactantius lib. 3. cap. 28. *Quæſierunt illi quidem ſapientiam, ſed quia non ritè quęrebant, prolapſi ſunt.* Rituum autem prophanorum meminit inter alios Tacitus dicens lib. 2. Annal. cap. 12. *Actum, & de ſacris Aegyptijs, Iudaicíſque pellendis, factumque Patrum Conſultum, vt quatuor millia libertini generis, ea ſuperſtitione infecta, quis idonea ætas, in Inſulã Sardiniam veherentur, cohercendis illic latrocinijs, & ſi ob grauitatem cæli interijſſent, vile*

*damnum: cæteri cæderent Italia, niſi certam ante diem profanos ritus exuiſſent.* Generaliter ergo nomen ritus quamcumque importat conſuetudinem, ſiue rectam, ſiue prauam. Vnde quod hic dicitur, cor ſalire ritè, ſignificat, eos qui paſſionibus iræ, libidinis, aut alia occupantur, data opportunitate non ſe temperare, quin in eis cor agitetur, ſubſiliatque deſiderio illam explendi. Salire autem propriè eſt ſaltare. Sic Virg. 1. Georg. verſu 448.

*Heu malè tum mites defendet pampinus vuas,*
*Tam multa in tectis crepitans ſalit horrida grando.*

Et lib. 2. verſu 384.

*Mollibus in pratis vnctos ſaliere per vtres.*

Sic etiam Horat. lib. 1. epiſt. 14.

*nec meretrix tibicina, cuius*
*Ad ſtrepitum ſalias terræ grauis.*

Et Plaut. Bacchid. Actu 3. ſc. 3.

*Ibi curſu, luctãdo, haſta, diſco, pugillatu, pila,*
*Saliendo ſe exercebant.*

Lucret. lib. 1. v. 186 ſalire dixit pro creſcere.

*E terraque exorta repente arbuſta ſalirent.*

Bruta etiam, quum mares fœminas ineunt, quia ſaltando eas inſcendunt, ſalire dicuntur. Sic Varro R. R. lib. 2. cap. 7 *Admittere oportet, quum tempus anni venerit, bis die, mane, & veſpere; peroriga enim appellatur, quiſquis admittit, eo enim adiuuãte, equa alligata celerius admittit, neq; equi fruſtra cupiditate impulſi, ſemen eÿciunt. Quoad ſatis ſit admittit, ipſæ ſignificant, quod ſe defendunt. Si faſtidium ſaliendi eſt, ſcyllæ modicum conterunt cum aqua ad mellis craſſitudinem: tum ea re naturam equæ, quũ mentes ferunt, tangunt: contra ab locis equę, nares*

*res*

*res equi tangunt. Tametſi incredibile, quod vſu venit, memoriæ mandandum. Quum equus vt matrem ſaliret, adduci non poſſet, & eum capite obuoluto peroriga adduxiſſet, & coegiſſet matrē inire, quum deſcendenti velum dempſiſſet ab oculis, ille impetum fecit in eum, ac mordicus interfecit* Et lib. 3. cap. 10. inquit: *Anſeribus ad admittendum tempus aptiſſimum eſt à bruma, ad pariendum, & incubandum à Kalen. Martij, uſque ad ſolſtitium. Saliunt ferè in aqua, dum ſe mergunt in flumen, aut piſcinam.* Sumitur etiam ſalire cor, metaphoricè, pro gaudere, lætari, nam tunc cor commouetur, exultat, & vehementer agitatur; ſic Plaut. milit. glor. Actu 4. ſc. 2.

*dicito doctè, & cordatè, ut cor ei ſaliat,*

ideſt exultet præ ſui vana complacentia. In præſentia etiam rei concupitæ, conſueuit cor taliter agitari, vt extra pectus ferri velle videatur, ex cuius pulſu violento, nonnulli latentem deprehendere paſſionem, vt Galenus cauſam morbi vxoris Boethi, & Eraſiſtratus originem infirmitatis Antiochi. Hic namque, Seleuci Syrię Regis filius, quum Stratonicen nouercam deperiret, & deſperaret poſſe illa potiri, mœrore contabuit, lectoque decubuit, nec ſuæ mœſtitiæ cauſam, cuiquam auſus eſt aperire, beneuolentiſſimi patris indignationē formidans. Videbant omnes illum animi teneri languore, ſed quęnam illius foret cauſa triſtitiæ, illo non propalante, nemo poterat diuinare, Admotus illius curę Eraſiſtratus, medicorum illius ætatis prudentiſſimus, qui ſuſpicatus cupidinem eſſe morbi illius cauſā,

nec valens ex infirmi ore elicere obiectum, erga quod afficiebatur, egit cum Seleuco (dolente talis filij amiſſionem) quatenus ad leuandam ægri mœſtitiam, puellæ omnes ad eum ſingulatim introducerentur. Id Rex imperauit, puellæque omnes, ſingulatim, ad infirmũ, aſſidente medico, veniebant. Et in ſingularum ingreſſu, & egreſſu, Eraſiſtratus Antiochi arterias, pectoriſque motum explorabat, ſi fortè ex inſolito aliquo accidente, puellam poſſet deprehendere, erga quam æger afficiebatur. Quum multæ veniſſent, & receſſiſſent puellæ, abſq; eo, quod in infirmo inſolita aliqua mutatio conſpecta fuiſſet, venit tandem Stratonice, Seleuci Regis vxor, & Eraſiſtrato Antiochi tenente brachium, aduertit illius venas vehementiſſimis motibus agitari: admota etiã pectori dextera, ſenſit cordis talem motum, vt videretur ad illam velle exilire. Exeunte demum Regina, tam arterias, quam cor à motu ceſſare, ac langueſcere. Ex quo prudens medicus iudicauit, Antiochũ Stratonices cupiditate deperire: quod quum ſapienti ſimulatione Seleuco retuliſſet, egit cum eodem (volente filij potius vitam, quam Stratonicen vxorem) vt hæc illi vxor daretur, & cum ea ſanitas, vita, & regnum. Idem alijs accidiſſe, hiſtoriæ narrant. Et id voluit, dicens nunc: Cor tibi ſalit ritè, ideſt iuxta conſuetum talium morem.

*POSITVM eſt algente catino durum olus, & populi cribro decuſſa farina: tentemus fauces, tenero latet ulcus in ore, putre, quod haud deceat plebeia radere beta.* Docet nunc philoſophus

poſſe

poſſe militem teneri vitio gulæ, iræ, aut alio, & inquit: Si tibi apponantur olera frigida, & aſpera, & panis cibarius, oris cauſaberis, & faucium mollitudinem, & infirmitatem, cui medendæ nõ ſit ſatis, communis, & pauperum medicina, niſi illa veniant, quæ magni conſtẽt. Algens autem dicitur, vehementi frigore affe-ctum, vt algere eſt intenſo frigore teneri. Sic Cicero 2. Tuſculan. *Cretum quidem leges, quas ſiue Iuppiter, ſiue Minos ſanxit, de Iouis quidem ſententia, vt poetæ ferunt, itemque Lycurgi, laboribus erudiunt Iuuentutem, venando, currendo, eſuriendo, ſitiẽdo, algẽdo, æſtuando.* Et Salluſt. initio Catilinarij: *Lucius Catilina nobili genere natus, fuit magna vi, & animi, & corporis, ſed ingenio malo, prauoq; Huic ab adoleſcentia bella inteſtina, cędes, rapinæ, diſcordia ciuilis, grata fuere, ibique iuuentutem ſuam exercuit. Corpus patiens inedię, vigiliæ, algoris, ſupra quam, cuiquam credibile eſt.* Et Plinius loquens de vitibus, data prima nobilitate amineis, ſubdit lib. 14. cap. 2. *Proxima dignitas Nomentanis, rubente materia, quapropter quidam ruballas appellauere vineas. Eæ minus fertiles vino, acinis, & fæce nimiæ. Contra pruinas fortiſſimæ, ſiccitate magis, quàm imbre, æſtu quam algore vexantur.* Hinc Algificus, cuius meminit Gellius lib. 19. cap. 4. dicens: *Ariſtotelis libri ſunt, qui problemata phyſica inſcribuntur, lepidiſſimi, & elegantiarum omne genus referti. In his quæris, quam ob cauſam eueniat, vt quibus inuaſit repentinus rei magnæ timor, plerumque aluo ſtatim cita fiant? Cauſam eſſe dicit, quod timor omnibus ſit algificus, quem ille appellat*

*ψυχροποιητικὴν, quę vis frigoris ſanguinē, caldoremque omnem de ſumma corporis cute cogat penitus, & depellat, faciatque ſimul, vti, qui timent, ſanguine ex ore decedente, palleſcant. Is autem inquit, ſanguis, & caldor, in intima coactus, mouet plerumque aluum, & incitat.* Verum hic catinus algens dictus eſt è foco, & igne extractus, & in quo cocta olera, ab igne elongata, friguerant.

*CATINVS* à capiendo dictus, vas eſt eſcarium, & amplum, ſufficiens continendis, deferendiſue pultibus, aut oleribus cum iure. Et denominatur algens per metonymiam continentis, quia pultes, & olera eo delata, à foco iam ablata, algebant, ideoque guloſo palato ſapere nequibant: nam hæc cibaria niſi ferueant, ingrata ſunt palato.

*DVRVM* eſt, quod tactui difficilè cedit, ſiue firmum, & ſolidum. Sic Virgilius 4. AEneid. verſu 366.

*duris genuit te cantibus horrens*
*Caucaſus.*

Et metaphoricè idem Virg. 2. Georg. v. 170.

*Scipiadas duros bello.*

Durum etiam pro inexorabili, & intractabili dixit Terent. Phormione Actu 3. ſc. 2.

*Adeon ingenio eſſe te duro, atq; inexorabili.*

Durum etiam eſt inſuaue, & quidem tam actiuè, quod non delectat, quam paſſiuè de eo, qui non delectatur. Actiuè dixit Cicero pro Archia: *Omne olim ſtudium, atque omne ingenium contulit Archias ad populi Rom. gloriam, laudemque celebrandam: nam & Cimbricas res adoleſcens attigit, & ipſi illi C. Mario, qui durior ad*

*hæc*

*hæc ſtudia videbatur, iucundus fuit*. Hic vero ſumitur paſſiuè, pro eo, de quo palatus non delectatur.

*OLERA*, vel, vt apud antiquos, aſpiratè, holera, ſunt quæcumque herbæ ſatiuæ, humano eſui aptæ. Siue nomen traxerint ab olla, qua eſui paraba tur, vt Varroni placuit, ſiue ab alendo, quia ante inuentas fruges, pecorum more, ijs homines alebantur. His duris oleribus ſimilia ſunt illa, de quibus dicet ſatyra 6. verſu 69.

*Mihi feſta luce coquatur Vrtica.*

De quibus Plautus Pſeudolo Actu 3. ſc.2.

*Non ego item cœnam condio, vt alij coqui,*
*Qui mihi condita prata in patinis proferunt*
*Boues, qui conuiuas faciunt, herbaſq; aggerunt*
*Eas herbas herbis alijs porro condiunt*
*Indunt coriandrum, feniculum, allium, atrum holus,*
*Apponunt rumicem, braſſicam, betam, blitum*
*Eo laſerpitij libram pondo diluunt*
*Teritur ſinapis ſcelerata, quũ illis, qui terunt*
*Priuſquam triuerunt, oculi vt extillent, facit.*

Et Martial. lib. 10. epigram. 47.

*Exoneraturas ventrem mihi villica maluas*
*Attulit, & varias quas habet hortus opes,*
*In quibus eſt lactuca ſedens, & ſectile porrũ,*
*Nec deeſt ructatrix menta, nec herba ſalax.*

Oleribus tamen victitabant omnes frugales, & quicumque lautiores epulas, vel aſpernabantur, vel parare non poterant, vt ille, de quo Horat. 2. ſerm. ſat. 7.

*ſi nuſquam es fortè vocatus*
*Ad cœnam, laudas ſecurum olus.*

Du-

Durum ergo olus eſt herba, cibo hominum aptа,ſed aſpera,& inſuauis.

*CRIBRVM* eſt duplex vnum factum ex ſuis pellibus, vel alio ſimili,crebris pertuſum foraminibus, quo frumenta ab immunditijs, & paleis purgantur, antequam mola conterantur: de quo intellexit Cicero dicens 2: de Diuinat. *Ante Marſicum bellum,quod clypeos Lanuuij,vt à te eſt dictum,mures roſiſſent,maximũ id portentum haruſpices eſſe dixerunt; quaſi vero quidquam interſit, mures diem, noctem aliquid rodentes ſcuta an cribra corroſerint.* Et de hoc nunc non intelligit. Aliud formatum,vel ex intextis equorum ſetis,vel ex bombycinis, ſeu ſericis filis, ad modum telarum aranearũ, quo agitato, farinæ pollen à furfure ſecernitur. Et hoc vel eſt adeo laxum, vt locum det etiam furfuri, ſaltem minutiori, quod appellatur cribrum farinaceum, & populare, quia panis factus ex farina tali cribro ſuccreta, vt populi vſui proportionatus, popularis dicitur, et ſecundarius. Vel adeo arctum,vt vix minutiſſimo pollini, per multam ſuccretionẽ, tranſitum præbeat, & dicitur pollinare: paniſque ex tali farina factus, candidiſſimus eſt & primarius, nihil habens furfuris admixtũ. Hic intelligit de eo,quo farina ſuccreta cadit cum aliqua parte furfuris, ex qua fit panis ſecundarius,& popularis. Nominatque farinam per ſenecdochen materiæ, pro pane inde confecto.

*DECVSSA*,non eſt à verbo decuſſo,ideſt res ita inter diſpono,vt collocatæ,litteræ X repræſentent figuram: quæ littera quum ſit denarij

nota, decuſſare eſt ad illius inſtar ordinare. Sic Cicero lib. de Vniuerſitate ait: *Hanc omnē coniunctionem duplicem, in longitudinem diffidit, mediæque accomodans mediam, quaſi decuſſauit.* Sic Columella lib.3. cap.13. *Duas regulas eius latitudinis, qua paſtinator ſulcum factNrus eſt, in ſpeciem Græcæ litteræ X decuſſauimus.* Et lib. 4. cap.24. *In quatuor fermè pedes ſupra terram elatam, totidem brachijs componito, quorum ſingula ſpectēt decuſſati iugi partes.* Sed farina decūſſa, non eſt ita diſpoſita: vnde non interuenit hic Apocope, vt quidam dixerunt, quaſi foret decuſſata: Sed eſt à verbo compoſito ex, de, & quatio, ſignificante, quatiēdo deijcio, & ad caſū impello, vt fit maximè in his quę cribrantur, & cribro agitantur: eſto nonnumquā ſignificet deiectionem, abſque quaſſatione. Sic Liuius lib.1. cap.14. *Itaque poſtquā ſatis virium collectum ad omnes conatus videbatur, tum è ſuis vnum ſciſcitatum Romæ ad patrem mittit, quidnam ſe facere vellet, quandoquidem vt omnia vnus Gabijs poſſet, ei Dij dediſſent. Huic nuncio, quia, credo, dubiæ fidei videbatur, nihil uoce reſponſum eſt, Rex veluti deliberabundus in hortum ædium tranſijt, ſequente nuncio filij, ibi inambulans tacitus, ſumma papauerum capita dicitur baculo decuſſiſſe.* Et lib.25. cap.7. *Muros, turreſque quędam Cumis, non uſq modo fulminibus ſed etiam decuſſæ* Sic Columell. lib.11. cap.2. *Tridie Kal. Maias canis ſe veſpere celat, tempeſtatem ſignificat. Per hos dies eadem, quæ ſupra perſequemur, poſſuntque ſi iam librum remittunt, inſeri oleæ, vel emplaſtari, cæteræque pomiferæ arbores eodem em-*

pla-

*plaſtrationis genere inſeri: ſed & prima pampinatio rectè inchoatur, dum prorepentes oculi digito decuti poſſunt.* Et ita nunc accipitur, nam agitato cribro, ſubtilior farinæ pars tali quaſſatione deijcitur, etiam cum tenuioribus ſurfuribus, vt inde fiat panis ſecundarius.

*TENTARE* eſt periculum facere, ſeu capere experimentum pro re aliqua cognoſcenda. Sic loquens de gallinis farciendis, ait Colum. lib.8 cap.7. *Cibus præbetur ordeacea farina, quæ quum eſt aqua conſperſa, & ſubacta, formatur offæ, quibus aues ſaginantur. Eæ tamen primis diebus dari parcius debent, dum plus concoquere conſueſcant, nam cruditas vitanda eſt maximè, tantumque præbendum, quantum digerere poſſint: neque ante recens admouenda eſt, quam, tentato gutture, apparuerit nihil veteris eſcæ remanſiſſe.* Sic Ouid. 1. Metamorph.

*Cũcta prius tentãda, ſed immedicabile vulnus*
*Enſe recidendum, ne pars ſincera trahatur.*

Et 4. Triſt. eleg. 10.

*Sæpe pater dixit, Studium quid inutile tentas*
*Mæonides nullas ipſe reliquit opes.*

Sic tentare fauces eſt medici, inſtrumento, viaque experimentali cognoſcere, num forent exulceratæ.

*FAVCES* in numero multitudinis paſſim inueniuntur, quum faux in ſingulari, non niſi raro, & apud antiquos. Sunt autem fauces interior, & ſuperior gulæ pars, mento proxima, vbi os anguſtatur. Harum meminit Plinius dicens lib.11.cap.37. *Guttur homini tantum, & ſuibus intumeſcit, aquarum, quæ potantur plerumque vitio.* Et Cic.1.Tuſcul. *Tantum*

*valuit error, ut, corpora cremata, quum ſcirent, tamen ea fieri apud inferos fingerent, quæ ſine corporibus, nec fieri, nec intelligi, animos enim per ſeipſos uiuentes, non poterant mente comple-cti, formam aliquam, figuramque quærebant. Inde Homeri tota* νεκύα *inde ea, quæ meus amicus Appius* νεκρομαντία *faciebat, inde in uicinia noſtra Auerni lacus:*

*Vnde animæ excitantur obſcura umbra, aperto oſtio (tuorum.*
*Alti Acherontis, falſo ſanguine imagines mor-*

*Has tamen imagines loqui uolunt, quod fieri nec ſine lingua, nec ſine palato, nec ſine faucium, laterum pulmonum ut, & figura poteſt.* Sic Plaut. Moſtell. Actu 1. ſc.3.

*In anginam ego nunc me uelim uerti, ut ue-neficæ illi (latricem.*
*Fauces prehendã atq; enicem ſceleſtam ſtimu-*

Has igitur fauces dicit eſſe tentandas, ad experiendum quomodo ſaperet cibus olerum, & panis ſecundarij, quibus delicatiores, & inaſſueti ſolent offendi, adeo vt ſine oris exulceratione eis veſci nequeant. Id autem, quod accidere potuiſſet ſi comediſſet, cauſatur luxurioſus hic ganeo ſibi eueniſſe ex ſola apprehenſione, priuſquam ederet, vnde quæritur:

*Tenero latet ulcus in ore Putre.*

*VLCVS* iuxta Galenum in differentijs morborum, eſt ſolutio vnitatis in carne, facta per eroſionem ab humore acri, atque mordaci; & differt à vulnere, quod eſt apertura patens, & hians, facta per ictum. Hinc Seneca de Conſol. ad Marciam cap. 1. *Cupiſſem primis temporibus ad iſtam curationem accedere, leniore medicina*

*dicina fuiſſet oriens adhuc reſtinguenda uis: uehementius contra inueterata pugnandum eſt. Nam vulnerum quoque ſanitas facilis eſt, dum à ſanguine recentia ſunt; tunc & uruntur, & in altum reuocantur, & digitos ſcrutantium recipiunt; ubi corrupta in malum ulcus uerterunt, difficilius curantur.* Et Celſus lib. 6. cap. 11. *Vlcera oris, ſi cum inflammatione ſunt, & parum pura, ac rubicunda ſunt, optimè his medicamentis curantur, quę ſupra c. 10. poſita, ex malis punicis fiunt, continenduſque ſæpe ore reprimens cremor, cui paullum mellis ſit adiectum. Vtendum eſt ambulationibus, & non acri cibo: ſimulatque uero pura ulcera eſſe cæperunt, lenis humor, interdum etiam, quam optima aqua ore continenda eſt; prodeſtque aſſumptum purum uinum, pleniorque cibus, dum acribus uacet: inſpergique ulcera debent alumine ſciſſili, cui dimidio plus gallę immaturæ ſit adiectum.* In huius autem delicatuli faucibus, nō erat vulnus, nulla enim huius præceſſerat cauſa, bene vlſus ex mordacitate humoris carnem corrodentis. Sic etiam Virg. 3. Georg. v. 452.

*Nō tamen ulla magis præſens fortuna laborū,*
*Quam ſi quis ferro potuit reſcindere ſummum*
*Vlceris os: alitur uitium, uiuitq; tegendo*
*Dum medicas adhibere manus ad uulnera paſtor*
*Abnegat, & meliora Deos ſedet omnia poſcens.*

*PVTRE* eſt corruptum, ſanioſum, & in pus reſolutum, Celſus lib. 5. cap. 26. §. *de ſanguine ſanie, & pure*, ait: [ Ex his (vulneribus, & vlceribus) exit ſanguis, ſanies, pus Sanguis omnibus notus eſt. Sanies eſt tenuior hoc,

varie craſſa, glutinoſa, & colorata. Pus craſſiſſimum, albiſſimumque glutinoſius, & ſanguine, & ſanie. Exit autem ſanguis ex vulnere recenti, aut iam ſaneſcente: ſanies eſt inter vtrumque tempus. pus ex vulnere iam ad ſanitatem ſpectante. Rurſus, & ſanies & pus, quaſdam ſpecies Græcis nominibus diſtinctas habent. Eſt enim quædam ſanies, quæ vel ἰχώρ, vel μελίκηρος nominatur: Eſt pus quod ἐλαιῶδες appellatur. ἰχώρ tenuis, ſubalbidus, ex malo vlcere exit, maximeque vbi neruo læſo, inflammatio ſecuta eſt. Meliceria craſſior, & glutinoſior, ſubalbida, mellique albo ſubſimilis, fertur. Hæc quoque ex malis vlceribus, vbi nerui circa articulos læſi ſunt, & inter hæc loca maximè ex genibus. Elęodes tenue ſubalbidum, quaſi vnctum, colore atque pinguitudine oleo albido non diſſimile, apparet in magnis vlceribus ſaneſcentibus. Malus autem ſanguis, nimium, aut tenuis, aut craſſus, colore, vel liuidus, vel niger, aut pituita mixtus, aut varius: optimus, calidus, rubens, modicè craſſus, non glutinoſus. Itaque protinus eius vulneris expedita magis curatio eſt, ex quo ſanguis bonus fluxit: itemque poſtea ſpes in his maior eſt, ex quibus melioris generis quæque prouenjunt. Sanies igitur mala eſt multa, nimis tenuis, liuida, aut pallida, aut nigra, aut glutinoſa, aut mali odoris, aut quæ & ipſum vlcus, & junctam ei cutē, erodit. Melior non multa, modicè craſſa, ſubrubicunda, aut ſubalbida. ἰχώρ autem peior eſt multus, craſſus, ſubliuidus, aut ſubpallidus, glutinoſus, ater, calidus, mali odoris: tolerabilior eſt

ſub-

ſubalbidus, qui cætera omnia contraria prioribus habet. Meliceria autem mala eſt, multa, & percraſſa: melior quæ & tenuior, & minus copioſa eſt. Pus inter hæc opimum eſt, ſed id quoque peius eſt multum, tenue, dilutum, magiſque ſi ab initio tale eſt, itemque ſi colore ſero ſimile, ſi pallidum, ſi liuidum, ſi feculentum eſt, præter hæc ſi malè olet, niſi tamen locus hunc odorem excitat. Melius eſt quo minus eſt, quo craſſius, quo albidius: itemq; ſi leue eſt, ſi nihil olet, ſi ęquale eſt, modo tamen conuenire, & magnitudini vulneris, & tēpori debet, nam plus ex maiore, plus nondū ſolutis inflammationibus naturaliter fertur. Elęodes quoque peius eſt multum, & parum pingue, quominus etiam quoque idipſum pinguius, eo melius eſt.] Et quum hic afferat ſe in faucibus habere vlcus putre, ſeu corruptum, innuit ſe lethali detentum morbo, delicatioribuſque indigere edulijs, atque fomentis.

*RADERE* eſt extirpare, mundare, & complanare, ac è rudi aſperoque æquum reddere, planum, ac facilè. Sic Plaut. Aulul. Actu 4. ſcena 3.

*Non temere eſt, quod coruos cantet mihi nunc ab læua manu*
*Simul radebat pedibus terram, & uoce crocitabat ſua.*

Et quandoque ita proximè attingere, vt hæc facere videaris. Sic Virg. 7. Æneid. v. 10.

*Proxima Circeę raduntur littora terræ.*

Radere autem vlcera, eſt ab eis auferre ſaniē, & radere ſaniem, eſt ab ea carnem purgare: quod fieri poteſt, nedum ſumptuoſis cerotis, emplaſtriſq; ſed etiam herbarum, & maximè

betæ

betæ folijs: & his vtuntur plerumque pauperes, vt facilius parabilibus, & efficacibus tam ad maturandam inflammationem, quam ad extrahnedum pus, & ſaniem ex vlcere.

*BETA* herba eſt notiſſima, quæ quia inſulſiſſima & palato inſuauis, cognomina ei adhęſere vilis, fatuæ, & plebeiæ, non enim digna habebatur diuitum menſis apponi, niſi fortè vino incocta, & multis cōdita aromatibus; ſic Martial. lib. 13. epigr. 13.

*Vt ſapiant fatuæ, fabrorum prandia, betę,*
*O quam ſæpe petet, uina, piperq; coquus.*

Sed licet beta palato ſit inſuauis, vlceribus nihilominus curandis eſt efficaciſſima, quum abſque moleſtia, purulenta ad maturitatem perducat, & ex eis ſaniem puſque extrahat. Verum quemadmodum ditiorum palato cibi non ſapiunt niſi peregrini, & qui magno conſtiterint, iuxta illud Petronij Arbitri in ſuo Satyrico:

*Ales Phaſiacis petita Colchis,*
*Atque Afræ uolucres, placent palato,*
*Quod non ſunt faciles: at albus anſer,*
*Et pictis anas enotata pennis*
*Plebeium ſapit: ultimis ab oris*
*Attractus ſcarus, atq; arata Syrtis*
*Si quid naufragio dedit, probatur:*

ita eorumdem corpus noſtratem, quantumuis efficacem, reſpuit medicinam, illam ambiens, quæ ex vltimo venit Oriente. Et propterea aſſerit hic, non poſſe ſuo mederi vlceri, beta, quia eſto efficacior foret quouis Orientali cataplaſmate, quia tamen ſine pretio, vel vili venibat, nihili æſtimabatur.

*AL.*

*ALGES, quum excuſſit membris timor albus ariſtas*. Ordo: Quũ timor albus excuſſit ariſtas membris, alges. Quid ſit algere dictum eſt ſupra verſu 111. *algente catino*, eſt enim pati frigus, non qualecumque, ſed tale, vt patienté ad tremorem cogat, & concuſſionem. Quid etiam ſit excutere, dictum ad illa verba verſus 101. *Excutitè manibus*. Verum hîc ſumitur per metonimyam cauſæ, pro emittere, vel eiaculari, modo quo faciunt hiſtrices, ſiue herinacei, eiaculantes ſpinas, quibus ſunt armati, & cõtecti: & ita vult iſtum, horrore oppreſsũ, pilos ita erectos habuiſſe, vt, ad herinaceorum inſtar, illos eiaculari poſſe videretur. Hęc tamen acceptio eſt etiam metaphorica, quum excutere ſit, vtcumque expellere; vnde Plin. lib. 4. epiſt. 6. ait: *Thuſci grandine excuſſi: in regione Tranſpadana ſumma abundantia, ſed par uilitas nunciatur*. Et Cicero accepit pro deijcere, ſiue proijcere. 2. de Nat. Deorum: [ Hic ego non mirer eſſe quemquam, qui ſibi perſuadeat, corpora quædam ſolida, atque indiuidua, vi & grauitate ferri, mundumque effici ornatiſſimum, & pulcherrimum ex eorũ corporum concurſione fortuita? Hoc qui exiſtimat fieri potuiſſe, non intelligo, quur non idem putet, ſi innumerabiles, vnius, & viginti formæ litterarum, vel aureæ, vel qualeslibet aliquo conijciantur, poſſe ex his in terram excuſſis, annales Ennij, vt deinceps legi poſſint, effici: quod neſcio, an ne in vno quidem verſu, poſſit tantum valere fortuna.

*TIMOR albus*, ideſt pallidus, ſic dictus per metonymiam, quia albeſcere, ideſt palleſcere

ſa-

facit. Et quia corpus timore preſſus, palleſcit, timor ipſe albus denominatur. Ratio autem, quur timentes palleſcant, eſt, quia quemadmodum homines, vim metuentes externam, in loca fugiunt munita: ſic ſanguinis natura, dum quid formidandum extrinſecus imminet, introrſus ad cor & vitæ confugit arcem, vt ipſi etiam cordi ferat ſuppetias. Sanguis auté, vt diffuſus per cutem exteriorem, roſeam eam reddebat, & rubicundam, ita ad interna fugatus, dum ſuperficiem deſtituit, eam liuentem, pallidamque relinquit.

*ARISTÆ* ſunt ſpicarum extremitates, ab ariditate dictæ, quia citius areſcunt, & vt tenues acus è grani gluma, & folliculis emergũt, Et licet ſint etiam nardi, iuxta illud Statij lib. 5. ſiluar. in Epicedio Patris verſu 41.

*Hic ego te (nam Sicanij non mitius halat*
*Aura croci, dites nec ſic tibi rura Sabæi*
*Cinnama, odoratas, nec Arabs decerpſit ariſtas.)*

Et Plinij lib. 12. cap. 12. *De folio nardi plura dici par eſt, ut principali in unguentis. Frutex eſt graui, & craſſa radice, ſed breui, ac nigra, fragilique quamuis pingui, ſitum redolente, ut cyperi, aſpero ſapore, folio paruo, denſoque: cacumina in ariſtas ſe ſpargunt, ideo gemina de re nardi ſpicas, ac folia celebrant.* Nihilominus ariſtarum nomine communiter intelliguntur tritici, hordei, & ſimilium extremitates, quæ prouiſæ fuerunt à natura ad granorum defenſionem, vt eſſent quaſi aculei quidam, & vallus aduerſus auium rapacitatem, vt obſeruauit Cicero de ſenectute dicens: *Me quidem*

non

*non fructus modo, ſed etiam ipſius terræ vis, ac natura delectat, quę quum gremio mollito, ac ſubacto, ſparſum ſemen excepit, primum id occatum cohibet, ex quo occatio, quæ hoc efficit, nominata eſt: deinde tepefactum vapore, & complexu ſuo diffundit, & elicit herbeſcentem ex eo viriditatem, quæ nixa fibris ſtirpium, ſenſim adoleſcit, culmoque erecta geniculato, vaginis iam quaſi pubeſcens includitur, è quibus quum emerſeris, fundit frugem, ſpicę ordine ſtructã, & contra auium minorum morſus, munitur vallo ariſtarum.* Verum hic ariſtarum nomine metaphoricè intelliguntur pili, qui, dum quis timore horrifico concutitur, & frigeſcit, ad ariſtarum inſtar eriguntur. Nam horror eſt erectio pilorum relicta ex cutis contractione, & deſtitutione ſanguinis fugientis ad cor; Et vt docet Ariſtoteles in problemat. ſect. 8. q. 18. cauſa, quur timor pilos erigat eſt, quia frigus conſtipat poros: pori autem conſtipati, conſtringunt, & erigunt pilos: & hoc frigus ex timore naſcitur in exteriore cute, vnde, vt iam diximus, ſanguis cum ſpiritibus receſſit.

*NUNC face ſuppoſita, feruefcit ſanguis, & iræ ſcintillant oculi*: Fax, quæ & tæda, eſt fuſtis aridus, ſiue lignum, maximè picei generis, cera, oleo, adipe, aut alio vnctuoſo litum, ignem facilè concipiens, flammamque claram edens, ad nocturnas tenebras depellendas. Sed metaphoricè dicitur de incentore facinoris, vel de opportunitate operis aggrediendi, aut de paſſione, & affectu mouente, danteque calorem, & energiam. Sic Plinius lib. 4. epiſt. 9. *Cauſam per hos dies dixit Iulius Baſſus, homo*

*la-*

*laborioſus, & aduerſis ſuis clarus: Accuſatus eſt ſub Veſpeſiano à priuatis duobus, ad Senatum remiſſus, diu pependit, tandemque abſolutus, vindicatuſque eſt. Titum timuit, vt Domitiani amicus; à Domitiano relegatus eſt, reuocatus à Nerua, ſortituſque Bithyniam, rediјt reus. Accuſatus eſt non minus acriter, quam fideliter defenſus: varias ſententias habuit, plures tamen quaſi mitiores Egit contra eum Pomponius Ruffus, vir paratus, & vehemens. Ruffo ſucceſſit Theophanes vnus ex legatis, princeps & fax accuſationis. Reſpondi ego, nam mihi Baſſus iniunxerat.* Sic Cicero pro domo ſua ad Pontifices. *His atque huiuſmodi ducibus. quum tu in annonæ caritate in Conſules, in Senatum, in bona fortunaſque locupletum, per cauſam inopum atque imperitorum repentinos impetus comparares, quum tibi ſalus eſſe in otio nulla poſſet, quum deſperatis ducibus, decuriatos, ac deſcriptos exercitus haberes perditorum, nonne prouidendum Senatui fuit, ne in hanc tantam materiam ſeditionis, iſta funeſta fax adhæreſceret?* Hic tamen fax eſt occaſio, vel offenſio mouens iram, & accendens ſanguinem circa cor, qua paſſione, mulieres magis, quam viri pulſantur, iuxta illud Eccleſiaſtici 15. *Non eſt ira ſuper iram mulieris*: & imbecilles, rudeſque potius, quam eruditi, ac fortes, in promptu habentes vlciſci: hi nãque placato ſolent eſſe animo, vt diximus in Inſtit. Orat. lib. 1. Tract. 6. cap. 1. & 2. Hinc Petronius in Satyrico: *Profuſis ergo lachrymis rogo, quæſoque vt mecum quoque redeat in gratiam, neque enim in amantium eſſe poteſtate furioſam æmulationem, daturum tamen operam*

*ne aut dicam, aut faciam amplius, quo poſſit offendi. Tantum omnem ſcabritudinem animo, tamquam bonarum artium magiſter deleret ſine cicatrice. Incultis, aſperiſque regionibus diutius niues hærent: aſt vbi ea aratro domefacta tellus, nitet, dum loqueris, leuis pruina delabitur. Similiter in pectoribus ira conſidit, feras quidem mentes obſidet, eruditas prælabitur.* Optimè ergo philoſophus militem iracundiæ arguit, quod expers eſſet eruditionis. Nec qualemcumque illi obijcit iram, ſed belluinam, & immoderatam, quæ illius etiam oculos obſidendo, eoſdem cogeret igneos eiaculari radios, vnde dicit.

*ET ira ſcintillant oculi.* Scintillare eſt ſplendere, micare, & ſcintillas emittere. Scintilla autem eſt igniculus exiliēs ex cineribus ignē fouentibus, motis, ex lucernis, ex ſilice chalybe percuſſa, & alijs. Sic Virgil. 1. Æneid. verſu 178.

*Ac primum ſilicis ſcintillam excudit Achates*
*Suſcepitque ignem folijs.*

Sic etiam Ouid. 4. Faſtorum:

*Pars quoque, quum ſaxis paſtores ſaxa feribāt*
*Scintilla ſubito proſiluiſſe ferunt.*

Et Virg. 1. Georg. verſu 390.

*Nec nocturna quidem carpentes penſa puellæ*
*Neſciuere hiemem, teſta quum ardēte viderent*
*Scintillare oleum.*

Et Plinius lib. 20 cap. 1. *Elaterium tempeſtiuū eſt autumno, nec vllum ex medicamentis longiore æuo durat. Incipit à trimatu. Si quis recentiore vti velit, paſtillos in nouo fictili igne lento in aceto domet. Melius quo vetuſtius, ſi itque*

*iam*

*iam ducentis annis ſeruatum, vt autor eſt Theophraſtus, & vſque ad quinquageſimum lucernarum lumina extinguit: hoc enim veri ſperimentum eſt, ſi admotum, priuſquam extinguat ſcintillare ſurſum ac deorſum cogat.* Hic ſcintillare oculos, eſt, radios emittere, quod accidit iratis, vel capite percuſſis, & alijs.

*DICISQVE, faciſque, quod ipſe non ſani eſſe hominis, non ſanus iuret Oreſtes,* idest te taliter geris dictis, & factis, vt emotæ etiam mentis homines, certo affirmare poſſint te inſanire: nam Oreſtem, per ſenecdochen ſpeciei pro genere, poſuit pro quocumque mentecapto. Oreſtes enim Agamemnonis, & Clytemneſtrę filius, Iphigeniæ frater, poſtquam vidit, maternis inſidijs, Egyſthi, qui paternum maculauerat thalamum, manu, Agamemnona patrem occiſum, ſeque vix morti ab eiſdem adulteris imminenti, ſubductum per Strophiũ Phocidis Regem, apud quem vna cum illius filio Pylade fuit educatus, vbi adoleuit, ijs penſatis, quæ mater, & adulter in patrem patrauerant, & intentauerant in ſeipſum: conſiderans etiam qualiter Pyrrhus Achillis filius, Hermionem Helenæ, & Menelai filiam, ſibi deſponſatam, in ſui contemptum rapuerat, & detinebat, cum omnium illorum morte, ſuas ſtatuit iniurias vindicare. Req; cum Pylade, ſibi arctiſſimo amicitiarum fœdere iuncto, communicata, eoque aſſumpto periculorum comite, Mycenas venit, ibique in patris vltionem, adulteros necauit: inde in Apollinis templo, Pyrrhum Hermionis confodit raptorem, & ſic omnes vltus eſt ſuas iniurias.

Verum ob matris necem, ab atris Eumenidibus agitatus, (licet in Concilio Amphictyonico, ideſt publico totius Græciæ, ad quod ſeptem præcipuæ Græciæ vrbes conuenire tenebantur, fuiſſet abſolutus, quaſi iure, in patris vltionem, matri necem inferre potuiſſet) non deſtitit ſuperis, inferiſq; pendere pœnas, conſilio, menteq; multatus, quaſi matris manibus ipſum perſequentibus, in furorem eſt actus. Itaque cum eodem fideliſſimo comite Pylade, multis peragratis regionibus, in Tauricam tandem venit Cherſoneſum, vbi lex, aduenas omnes Dianæ hoſtias immolari, iubebat: itaque captus cum Pylade, Thoantique Regi oblatus, huius iuſſu, Iphigeniæ Oreſtis ſorori, quæ Dianæ ſacerdotio fungebatur, ambo traditi ſunt immolādi. Qui dum vincti, ante Iphigeniæ pedes ictum expectarent, & illa inſolita moraretur miſeratione, ſciſcitata eſt eos quinam, & vnde forent; & vbi audiuit Micenæos, poteſtatem eorum alteri fecit, clam remeandi, dum ſuas fratri tabellas deferret. Hinc, qui ad illam vſque diem coniunctiſſimi fuerant, diſcrepare cœperunt, dum quiſque ſocium, quam ſe ſuperſtitem optaret. Iphigenia vero curioſius re indagata, comperit illorum alium Oreſtem eſſe ſuum fratrem. Inde ambos ſoluens, eoſdem modum docuit, quo Thoanta necare poſſent. Quo facto, Oreſtem expiauit aqua, quæ ſeptem fluminibus confundebatur, ablutum, nimirum marina, quæ propter vim igneam, purgationibus idonea cenſetur; Alij ferunt expiatum, poſt viſas Eumenides albas, aqua ex Hippocrene fonte adhibita.

hibita. Qui expiabatur, linteatus, lucernam, & laurum manu tenens, genibus obrepebat, & clamãdo numina, profitebatur quæ ſibi credebat irata: laurum vero ſuffitionibus magicis adhibitis, in ignem proijciebat, quæ ſi ſonantius crepuiſſet, numina deſignabat propitia: ſi nullum edebat ſonitum, infelicitatem portendebat. Laurum autem, aut oleam in profanis vſibus comburere, infandi erat auſpicij. Expiato ergo liberatoque Oreſte, Iphigenia cum eodem, & Pylade, Dianę ſimulacrum, in ſtrue, ſiue lignorũ faſce (vnde Faſcelides fuit cognominata, abſconditum, rapuit, & fugiens, vt pleriq; dixerunt, in Italiã venit ad nemus Aricinum, ibiq; Dianæ depoſuit ſimulachrum, ſacerdotioq; functa eſt, vbi quondã Virbius, ideſt Hyppolitus ſacerdotium exercuit, Oreſtes vero iam à furijs liber, vna cum Pylade in patriam remeauit. Oreſtes ergo matris furijs agitatus, ſi videat, quæ tu facis, vel dicis, iuramento te furere affirmabit. Vnde quum te infirmum iudicent, nedum ſapientes, ſed etiam tui ſimiles rudes, & emotæ mentis, non debes te ſanum credere, nec oblatam reſpuere medicinam.

## PARAPHRASIS TEXTVS TERTII SATYRÆ TERTIÆ.

INtroducitur miles, corporis quidem viribus pollens, ſed nulla liberali inſtructus diſciplina, philoſophiam contemnens, quaſi qui abſque illa, omnia ſaperet, quæ ſibi opus forent ad vitam naturaliter, & ciuiliter inſti-

tuendam, dicenſque: Non ſatago principibus aſſimilari philoſophorum, qui meditabundi in aſſiduo ſunt mœrore, maxime quum eorum ſpeculationes nullam adferant vtilitatem, vt vanum ſit circa eas ſollicitari, & earum occaſione pallere: neceſſariam denegando corpori curam. Talia quum miles ad philoſophorum declamaret irriſionem, et rudes, & militares aſſentiebantur viri, philoſophos irridendo. Quod aduertens Stoicus, paradigma proponit, narrans qualiter quidam, corporali laborans infirmitate, medicum arceſſierit, ab eoq; iuſſus abſtinere, & quieſcere, tam ab exercitationibus, quam ab eſca, & potu, poſtquam die tertia obſeruauit febrem nos rediiſſe, credens ſe omnino ab ea liberum, ad priorem rediijt intemperantiam, & vſum balneorum, ciborum, & potuum pleniorum. Quapropter veniens medicus, cernenſque in eo grauioris ſigna languoris, ipſius arguere voluit intemperantiam: ſed ab illo eiectus cum contumelia, receſſit. Æger vero helluatione, ſibi mortem accelerauit, crudus enim balneari voluit, & pleno ſtomacho nouos ingerere cibos, inter quos febrili correptus tremore, mortis frigore pedes extendit in ianuam, feretroque expoſitus, libertorum humeris ad ſepulturam eſt elatus. Id audiens miles, credenſque philoſophum corporalem ſibi obijcere infirmitatem, palpandas ei præbet venas, pectus, manuſque, ad probādum non eſſe detentum languore aliquo: & nullo in ſe deprehenſo morbi indicio, non eſſe quur in victu reſtringi debeat. Verum philoſophus declarat, ad quem finem

finem corporaliter ægrotãtis exemplum attuliſſet quia etſi miles nulla laboraret corporis infirmitate, animo tamen, & moribus, innumeris erat morbis infectus, auaritia, & præſentium cupiditate pecuniarum, libidine, & concupiſcentia rerum Venerearum, ad conſpectum elegantis puellæ, gula, & abominatione vulgarium, & facile parabilium ciborum: timiditate etiam, ira, & alijs paſſionibus in tantum præualentibus, vt cogerent ipſum ea dicere, & facere, quæ quilibet conſpiciens cum iuramento affirmare poſſet, eum non eſſe ſanę mentis. Vnde etiam ſi ſibi ſanus videatur, conuenientem nihilominus ſibi medicum arceſſire deberet, nempe philoſophum, qui ſolus huiuſmodi animi morbis mederi nouit.

*Finis tertiæ Satyræ.*

# QVARTAE SATYRÆ

## *ARGVMENTVM.*

ROMANORVM Imperium tenẽte Nerone, adeo Reſp. peſſum ibat , conculcatis moribus bonis, ac iuſtitia, vt nonnulli virtutibus, ſapientiaque florentes, indignationem nequirent continere,quin Reip. vices docentes , ſcriptis quibuſcumque ſuæ amaritudinis ſenſus exprimerent . Inter cæteros Perſius , natura , & inſtitutione ad virtutem formatus, rumpi ſe ſentiens, niſi clamaret, peſſimos Rectorum mores reprehendendo , & aduertens ſibi ignominioſa morte pereundum, ſi quid publicaret , quod in Neronem, aut aliquem ex eius aulicis ( qui Reip. moderabantur habenas ) dictum poſſet ſuſpicari, ſtylum

taliter temperauit, vt etiam ſi ſua ſcripta in Neronis, vel Magnatum eius manus veniſsēt, non poſſent illa, ita de ſe dicta interpretari, quin ſibi, denegandi, probabilis relinqueretur locus: Sciens itaque, Platonem in Alcibiade priore, ſeu de natura hominis, introduxiſſe Socratem, reprehendentem Alcibiadem, quod Reip. vellet adminiſtrationem ſuſcipere, illis deſtitutus eruditionis, & ſapientiæ præſidijs, quæ in huiuſmodi Rerumpub. moderatoribus ſunt omnino neceſſaria, eam ſibi imitandam tractandamq; propoſuit ſententiam, vt ſi quādo eius nomen delatum fuiſſet, quod in Principem probra, maledictaque congeſſiſſet, facilè inueniret ſubterfugium, dicendo ſe non animo de Nerone obloquendi, ſed Platonem imitandi, talia ſcripſiſſe. Ideoque ab illis abſtinet recenſendis, quæ propius Neronē deſignarent, vt de Imperio fraude adepto Agrippinæ matris, quæ Claudio imponens, ipſum priuignum fecerat adoptare, etiam in præiudicium Britannici legitimi, & naturalis filij. De impia, & nefaria cæde tam eiuſdem Claudij, quam Britannici, veneno patrata in communi menſa, ob oculos eiuſdem Neronis, non exterriti ad caſum illius ſubito corruentis: & de mille alijs iniquiſſimi Principis proprijs, & ſingularibus ſceleribus, contentus ea tantum referre, quæ ipſi, & Alcibiadi forent communia, vt eruditionis defectum, & imprudentiam, vt nequiret par eſſe tanto imperio moderando. Et quia Nero, primis Imperij temporibus ( quando viuebant adhuc Se-

neca, atque Burrhus, qui illius fuerant pueritiæ inſtitutores, & optima ſemper conſilia ſuggerebant) virum ac Principem iuſtum, ac clementem ſimulabat, adeout ſæpius ei à populo, & Senatu acclamaretur, quum tamen ſub ouina pelle, rabiem contegeret lupinam, Nero certè ſemper foret, poeta ipſum monet, ne ſibi perſuaderet, ſua poſſe flagitia eſſe populo incomperta, quum innatum ſit mortalibus, ſtudium, inquirendi aliorum, & maximè Principum, & Magnatum mores, vnde ait Cicero 2. officiorum: *Si quis ab ineunte ætate habet cauſam celebritatis, & nominis, aut à patre acceptam, aut aliquo caſu, atque fortuna, in hunc oculi omnium conyciuntur, atque in eo quid agat, quemadmodum viuat, inquiritur, & tamquam in clariſſima luce verſetur, ita nullum obſcurum poteſt, nec dictum eius eſſe, nec factum.* Fruſtra ergo ſua ſatagebat abſcondere vitia Nero, Curios loquens, & Bacchanalia viuens, quum mille, & amplius, innumerabilis populi oculi, ſui inquinatiſſimi expoſiti eſsent mores. Et quia poterat Nero reſpondere, ſe virum eſſe optimum, talis enim populi, & Senatus acclamationibus ferebatur, debere autem ſe credere potius populi, quam quorumcumque ſapientum atteſtationibus, ſiquidem *Vox populi, vox Dei* dicitur eſſe: Hanc refellit perſuaſionem poeta, aſſerens ſic loquentes eſſe, ſpe, vel metu corruptos, vnde plauſus illi ex adulatione, non ex Deo procedebant. Nec oportere talibus credere, ſed propriæ potius conſcientiæ, pro mille

teſtibus reputatæ, & quæ eſt teſtis irrefragabilis, vt ſi in ea ſcelera aduertat, atque flagitia, adulatorias populi laudes reſpuere debeat, ſuamque iuxta conſcientiæ teſtificationem, vitam emendare. Et hæc eſt huius quartæ Satyræ œconomia.

# SATYRÆ QVARTÆ TEXTVS PRIMVS.

*REm populi tractas ( barbatum hoc crede magiſtrum*
*Dicere,ſorbitio tollit,quē dira cicutę)*
*Quo fretus ? dic hoc magni pupille Pericli.*
*Scilicet ingenium,& rerum prudentia velox*
*Ante pilos venit? dicenda,tacendaq;calles?*
*Ergo vbi commota feruet plebecula bile,*
*Fert animus calidę feciſſe ſilentia turbæ*
*Maieſtate manus? Quid deinde loquere? Quirites,*
*Hoc puto nō iuſtū eſt,iſtud male,rectius illud.*
*Scis etenim iuſtum geminę ſuſpendere lance*
*Ancipitis librę: Rectum diſcernis,vbi inter*
*Curua ſubit,vel quum fallit pede regula varo:*
*Et potis es nigrum vitio pręfigere Theta.*
*Quin tu igitur ſūma nequicquā pelle decorus*
*Ante diem blando caudam iactare popello*
*Deſinis? Antyciras melior ſorbere meracas?*
*Quæ tibi ſumma boni eſt? Vncta vixiſſe patella*
*Semper, & aſſiduo curata cuticula ſole.*
*Expecta. Haud aliter reſpondeat hæc anus. I nunc.*
*Dinomaches ego ſum. Suffla. Sum candidus; Eſto,*
*Dum ne deterius ſapiat pannucea Baucis,*
*Quum benè diſcincto cantauerit ocyma uernæ.*

COM-

# COMMENTARIVM IN TEXTVM PRIMVM SATYRÆ QVARTÆ.

EX abrupto incipit, ex perſona Socratis docentis Alcibiadem ea, quæ neceſſaria erant Rép. adminiſtranti, vt ſapientia, atque prudentia, & ſimilia, autoritatem apud populum conciliantia. Inquit ergo: *Rem populi tractas.* Res autem iuxta Paulum Iuriſconſultum, vniuerſalem, ſiue transcendentalem habet ſignificationem, tam enim corporalia comprehendit, quam incorporalia: nam vt in explicatione difficilium terminorum docet Amandus Bellouſſus, Res bifariam dicitur, nempe à ratus; & quia ratum eſt idem, quod firmum, inde Res tali modo dicitur de entibus firmam habentibus entitatē, quę ſunt entia realia, vt lapis. Et à reor, quod quia importat actum intellectus, & rationis, inde Res dicitur de entibus non habentibus eſſe firmum, ſed tantum in ratione, vt ſunt ſecundę intentiones. Alij nomen Rei deriuant à Græco ῥὺς, nempè ouis, ſiue pecus, quia ex pecoribus erant antiquorum opes: Alij à

ῥῆσις,

*ῥῆσις*, dictum, nam *ῥέω* eſt dico, vnde dicta pro factis ponuntur paſſim apud autores nedũ Hebræ s, ſed etiam Græcos, atque Latinos. Alij aliunde deriuant. Certè Rei nomine negocium, & litem ſignificari, colligimus ex illo Ciceronis pro Roſcio Comœdo: *Panurgum inquit hunc ſeruum communem Q. Flauius Tarquinienſis quidam interfecit: in hac rem, inquit, me cognitorem dediſti; lite conteſtata, iudicio damni iniuria conſtituto, tu ſine me cum Flauio decidiſti. Vtrum pro dimidia parte, an pro tota ſocietate? Planius dicam: vtrum pro me, an pro me, & pro te? pro me. Potui, exemplo multorum licitum eſt; iure fecerant multi, nihil in ea re tibi iniuria fuit; pete tu tuum, exige & aufer, quod debetur.* Et infra: *Vertit hic rationem, & ad quod probare non poteſt, fingere conatur: de tota re, inquit, decidiſti,* nimirum de vniuerſa lite. Et deinceps. *Dic nunc ſi potes, ſi cauſa patitur, Cluuium eſſe mentitum.* Aliquando vero Rei nomine intelliguntur opes, atque diuitiæ, vnde apud Ciceronem inuenimus augere, creſcere, vel multiplicare Rem familiarem, poſitum pro ditari. Sic pro C. Rabirio Poſthumo: *Fuit, pueris nobis, huius pater C. Curius Princeps ordinis equeſtris, fortiſſimus, & maximus publicanus, cuius in negotÿs gerendis, magnitudinem animi, non tam homines probaſſent, niſi in eodem benignitas incredibilis fuiſſet, vt in augenda re, non auaritiæ prędam, ſed inſtrumentum bonitati, quærere videretur. Hoc ille natus, quamuis patrem ſuum numquam viderat, tamen & natura ipſa duce, quæ plurimum valet, & aſſiduis domeſticorum ſermonibus, in*

*paternæ culpæ ſimilitudinem deductus eſt multa geſſit, multa contraxit, magnas partes habuit publicanorum, credidit populis, in pluribus prouincijs eius verſata Res eſt.* Et ibidem: *Ergo aderat uis (vt poeta ille noſter) quę ſummas frangit, infirmatque opes. Moreretur, inquies, nam id ſequitur. Feciſſet certè, ſi ſine maximo dedecore, tam impeditis ſuis Rebus potuiſſet emori.* Et paullum à fine eiuſdem orationis: *Si nihil habuiſſet vnquam, tamen ſi quæſiſſet, quur is diſſimularet habere, cauſa non eſſet: qui vero duo lata, & copioſa patrimonia accepiſſet, Remque prętereā bonis, & honeſtis rationibus auxiſſet, quid eſſet tandem cauſæ, quur exiſtimari uellet nihil habere?* Sic etiam Horatius lib. 1. epiſt. 1.

*Roſcia dic ſodes, melior lex, an puerorum*
*Nęnia, quæ regnum rectè facientibus offert,*
*Et maribus Curijs, & decantata Camillis*
*Is ne tibi melius ſuadet, qui Rem facias, Rem*
*Si poſſis rectè, ſi non, quocumque modo Rem.*

Verum omiſſis multis alijs huius nominis ſignificationibus, ſumitur Res pro dominatu, principatu, Regno, Imperio, & Reip. pręfectura. Sic Virgilius initio lib. 3. Æneidos.

*Poſtquam Res Aſiæ, Priamiq; euertere gentem*
*Immeritam, viſum ſuperis.*

Et hoc modo nunc ſumitur, vnde tractare rem populi, eſt Reip. curare vtilitates, prouidereque ea, quæ ad populi decus, gloriam, & commodum conferunt, ſiue quæ populus ſua intereſſe putat. Et hoc eſt proprium Regum, aliorumque populi Rectorum, & Magiſtratuum, quibus, ſaltem implicitè, cum principatu, populus ius dedit curandi, ne quod

Reſpub. detrimentum patiatur.

B *RBATVM hoc crede magiſtrum dicere, ſorbitio tollit, quem dira cicutæ.* His verbis periphraſticè nominatur Socrates, philoſophus Athenienſis, Sophroniſci Statuarij, & Phanāretæ Obſtreticis filius, qui, vt docet Cicero 5. Tuſculan. primus philoſophiam è cœlo in terram deuocauit, eamque in Vrbes, & domos introduxit, dicens: *Quę ſupra nos, nihil ad nos:* quam tamen ſententiam, litteraliter intellectam, merito reprehendit Lactantius lib. 3. cap. 20. Ipſe vero Socrates, prætermiſſa rerum naturalium conſideratione, circa quam ſolam priores philoſophi occupabantur, hominum mores, ad eos rectificandos, ſpeculari cœpit, præclariſſimoſque habuit diſcipulos, inter quos præter Alcibiadem, fuere etiam Demoſthenes, vt nonnullis placet, & Xenophon, ac omnium maximus Plato, qui, tantum eo Magiſtro profecerunt, vt orbis vniuerſus poſt illos abierit, ſcholæque philoſophorum à Socrate per aliquem ex illis glorientur originem trahere. Is etiam, quum duas duxiſſet vxores, Myrtona Ariſtidis Iuſti filiam, & Xantippen fœminam iracundam, & moleſtam adeo, vt ipſum cum diſcipulis, & amicis domi, vel in menſa philoſophantem, ſine cauſa iurgijs, verbiſque contumelioſis, turbare non formidaret, & nec à manuum iniectione, & verberibus abſtineret. Quapropter amicorum nonnulli, eum adhortabantur, illi libellum mādare repudij; quibus ipſe, Abſit inquit, me domo magiſtram pellere patientiæ. Hic tantus vir, tandem accuſatus Atheiſmi, & corruptæ

iuuen-

iuuentutis à quodam Anyto ciue locuplete, Melito poeta, & Lycone oratore, quum eorumdem criminum præceſſiſſet infamia, ab Ariſtophane diſſeminata, in ea comœdia cui, Nebulę nomen fecerat, captus, è vinculis cauſam dicere iuſſus eſt. Ipſe vero vt ait Cicero I. Tuſcul. *Nec patronum quæſiuit ad iudicium capitis, nec iudicibus ſupplex fuit, adhibuitque liberam contumaciam, à magnitudine animi ductam, non à ſuperbia: & ſupremo vitæ die, de hoc ipſo multa diſſeruit, & paucis ante diebus, quum facile poſſet educi è cuſtodia, noluit, & quū pene in manu iam mortiferum illud teneret poculum, locutus ita eſt, vt non ad mortem trudi, verum in cœlum videretur aſcendere*. Et de eodem inquit I. de Oratore Socrates, *quum omnium ſapientiſſimus eſſet, ſanctiſſimè que vixiſſet, ita in iudicio capitis pro ſe ipſe dixit, vt non ſupplex, aut reus, ſed vt magiſter, aut dominus videretur eſſe iudicum. Quin etiam, quum ei ſcriptam orationem diſertiſſimus Orator Lyſias attuliſſet, quam, ſi ei videretur, ediſceret, vt ea pro ſe in iudicio uteretur, non inuitus legit, & commodè ſcriptam eſſe dixit: ſed inquit, ut ſi mihi calceos Sicyonios attuliſſes, non uterer, quamuis eſſent habiles, & apti ad pedem, quia non eſſent uiriles, ſic illam orationem, diſertam ſibi, & oratoriam uideri: fortem & uirilem non uideri. Ergo ille quoque damnatus eſt, neque ſolum primis ſententijs, quibus tantum ſtatuebant iudices, damnarent, an abſoluerent, ſed etiam illis, quas iterum legibus ferre debebant. Erat enim Athenis, reo damnato, ſi fraus capitalis non eſſet, quaſi pænæ æſtimatio ex ſententia cum iudicibus* da-

*daretur, interrogabatur reus, quã quaſi æſtimationem commeruiſſe ſe maximè confiteretur: quod quum interrogatus Socrates eſſet, reſpondit, ſeſe meruiſſe, ut ampliſſimis honoribus, & præmijs decoraretur, & ut ei uictus quotidianus in Prytaneo publicè præberetur, qui honos apud Græcos maximus haberetur. Cuius reſponſo ſic iudices exarſerunt, ut capitis hominem innocentiſſimum condemnarent*, contemni enim, & irrideri ab illo videbantur: itaque venenum illi exhiberi fecerunt, quod ille eadem fronte bibit, qua populi, & diſcipulorum acclamationes excipere ſolitus erat, idque ideo fecit, quia tunc ſibi mori melius eſſe iudicabat, vt eſt apud Xenophontem lib. 4. de factis, & dictis Socratis, his verbis: [ Deo videtur melius me de vita hac iam demigrare. Num meminiſti, ad hoc vſque tempus me nulli hominum conceſſiſſe, vt melius, aut ſuauius me viueret! Optimè enim eos viuere deputo, qui maximè curant, vt quamoptimi reddantur, ſuauiſſimè autem illos, qui maximè sẽtiant ſeſe fieri meliores. Quæ ambo ad hoc vſque tempus mihi ſentiebam contingere: Nam & quum alios homines conuenirem, meque ad illos conferrem, ſic ſemper de meipſo ſentiebam. Neque id ſolum ipſe, ſed item de me idem amici ſentiunt, non quod me ament, nam qui & alios amant, eadem aduerſus cœteros eſſent opinione, quos amant: ſed quod dum mecum verſantur, ſe quamoptimos fieri deputant. Quod ſi plus temporis viuam, fortaſſis, & ea ſubeam neceſſe erit, quæ ſenum ſunt, vt minus videam, minus audiam, peiuſque intelligam,

gam, ſiamque ad diſcendum tardior, & obliuioſior, & quibus eram melior, ſiam deterior. Quæ omnia ſi non ſentiam, non eſſet mihi viuendum: ſi ſentiam, neceſſe eſt, vt peius inſuauiuſque viuam. ] Eius tandem mortem Athenienſes vindicauerunt, accuſatorum ipſius quoſdam necando, alios in exilium pellendo: & in publico foro poſt obitum æream ſtatuam dedicauerunt. Hunc nunc Perſius barbatum appellat magiſtrum, nedum quia antiqui omnes barbam nutriebant, iuxta illud Ciceronis pro Cœlio: *Aliquis mihi ab inferis excitandus eſt, ex barbatis illis, non hac barbula, qua iſta delectatur, ſed illa horrida, quam in ſtatuis antiquis, & imaginibus videmus*: ſed etiam quia fuerat nedum philoſophus, ſed philoſophorum omnium a ueſignanus: philoſophi autem barbam nutrire conſueuerant, vnde de Euphrate philoſopho ait Plinius lib. I. epiſt. 10. *Proceritas corporis, decora facies, demiſſus capillus, ingens & cana barba, quæ licet fortuita, & inania putantur, illi tamen plurimum uenerationis acquirunt. Nam barba ſiluoſa, & pulchrè alita, quamuis res ipſa ſit exterior & fortuita, inter hominis eruditi inſignia recenſetur.*

*SORBITIO* à verbo ſorbeo, valente idem ac liquidum deglutio, vnde ſunt oua ſorbilia, & fructus arboris ſorbi, per œnomatopoiam, & ſoni quem edunt ſorbentes imitationem. Sic Plaut. Mil. glor. Actu 3 ſc. 2.

*ſorbet dormiens.*

Pal. *Quid ſorbet?*

Luc. *Illud ſtertit uolui dicere,*

*Sed*

*Sed quia conſimile eſt, quod ſtertas, quaſi ſorbeas.*

Sic Plinius loquens de mortibus repentinis, ait lib. 7. cap. 13. *Appius Saufeius, quum à balneo reuerſus multum bibiſſet, ouumque ſorberet.* Sorbere ergo eſt paulatim aliquid deglutire, vnde ſorbitio eſt ipſe actus ſorbendi, vel potio paulatim deglutienda. Sic Plinius loquens de porro ſectiuo ait lib 20. cap. 6. *Tuſſim, & diſtillationes thoracis, pulmonis, & arteriæ uitia ſanat, datum in ſorbitione ptiſanæ, uel crudum præter capita, ſine pane, itaut alternis diebus ſumatur.* Et hoc modo nunc ſumitur.

*DIRA.* Alicubi legitur Dura, ſed non eſt quur communem deſeramus lectionem. Eſt autem dira, impia, ſæua, crudelis, quaſi deorum ira miſſa, & talis viſa eſt Socratis cicutæ ſorbitio, quæ talem virum, adeo de Rep. & de omni humano genere benemeritum, è viuis abſtulit. Sic Virg. 3. Georg. verſu 468.

*Continuo culpam ferro compeſce, priusquam*
*Dira per incautum ſerpant contagia uulgus.*

Mitto diras dictas imprecationes, maledicta, & furias, quæ & Eumenides, niſi quod diræ dicantur in Cœlo, furiæ in terra, Eumenides apud inferos, quæ & tres eſſe dicuntur nominatæ Megera, Alecto, & Treſyphone, Eumenides etiam dictæ ab Oreſte, qui illas albas videns, propitias ſenſit, dum ab eis deſijt infeſtari, quas prius atras, & graues expertus fuerat. Vel dictæ Eumenides per euphoniſmum, quia mentem, ſiue voluntatem, minimè habent beneficam.

*CICVTA* eſt ſpacium inter cannæ nodos,

&

& per ſenecdochen eſt canna intus vacua, apta ad fiſtulas faciendas. Sic Virg. Ecl. 2. v. 36.

*Et mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis*
*Fiſtula, Damætas dono mihi, quam dedit olim.*

Sic dicta quaſi cæcuta, à cæco, ob occulta internodia, habet enim, vt canna, in thyrſo nodos geniculatos, & occultos: quomodo etiam foſſa occulta, cęca nominatur: vel dicitur ex cis & cutis, quia circa ſe calamum habet quaſi cutem, intus vero vacua eſt, vel medullam habet, quæ facilè eximitur. Sed nunc non eſt ſermo de hac cicuta, ſed potius de frutice, vel herba venenoſa, de qua ait Plinius lib. 25. cap. 13. *Cicuta venenum eſt, publica Athenienſium pœna inuiſa, ad multa tamen uſus non omittendi. Semen habet noxium. Caulis autem & uiridis eſtur à pleriſque, & in patinis: leuis hic & geniculatus, ut calami nigricans, altior ſępe binis cubitis, in cacuminibus ramoſus; folia coriandri tenuiora, graui odoratu, ſemen aniſo craſſius, radix concaua nullius uſus. Semini & folijs refrigeratoria uis, quæ ſi enecat incipiunt algere ab extremitatibus corporis. remedio eſt, priuſquam perueniatur ad uitalia uini natura excalfactoria: ſed in uino pota, irremediabilis exiſtimatur. Succus exprimitur folijs, floribuſque: tunc enim maximè tempeſtiuus eſt. Semine trito expreſſus, & ſole denſatus in paſtillos, necat ſanguinem ſpiſſando hac altera uis; & ideo ſic necatorum maculæ in corporibus apparent. Ad diſſoluenda medicamenta utuntur illo pro aqua. Fit ex eo ad refrigerandum ſtomachum malagma: præcipuus tamen eſt ad cohibendas epiphoras æſtiuas, oculorumque dolores ſedandos circum.*

*cimlitus: Miſcetur collyrijs, & alios omnes rheumatiſmos cohibet. Folia quoque tumorem omnem doloremque, & epiphoras ſedant. Anaxilaus autor eſt mammas à uirginitate illitas, ſemper ſtaturas. Quod certum eſt, lac puerperarũ, mammis impoſita, extinguit, ueneremque teſtibus circa pubertatem illita.* Huius fruticis famam auxerunt Athenienſes, eius ſuccum miſcentes capitali damnatis ſupplicio. Hinc Iuuenal. ſatyra 7.

*Pœnituit multos uanæ, ſterilisq; Cathedræ*
*Sicut Traſimachi probat exitus, atq; Secundi*
*Carinatis; & hunc inopem uidiſtis Athenæ*
*Nil præter gelidas auſæ conferre cicutas.*

Mortem autem formidantes, vt aliquam vitæ lucrifacerent morulam, cicutam, aut alia venena paulatim ſorbebant, aut glutiebant. At Socrates & illi ſimiles, qui imperterriti, & infracto erant animo, calicem plenis abſumebãt faucibus, ſic finem præſentis vitæ miſerijs imponentes, vt ait Cornelius Gallus eleg. 1.

*Morte mori melius, quam uitã ducere mortis,*
*Et ſenſus membris ſic ſepelire ſuis.*

Nam vt idem ibidem ait:

*Iam pœna eſt totum quod uiuimus,*

ſub mortis videlicet expectatione, & doloribus mortis prænuncijs, vt idem merito præmiſerit:

*Mors eſt iam requies, uiuere pœna mihi.*

Vnde quod hic de Socrate dicatur, eum ſorbuiſſe cicutam, ſorbitio accipienda eſt ſen catachicè pro facili, ac prompta abſumptione: niſi mauis poſitam ſorbitionem, vt locutionẽ accomodaret ei, quod erat in vſu, & more alio-

aliorum paulatim mortem bibentium, quum Socrates magnanimiter, non dubitanter, nec formidoloſè, alacriter totum abſumpſerit venenum ſibi propinatum.

*TOLLIT*, dictum per enallagen pro tulit, iam enim Socrates obierat. Tollere autem multa ſignificat, maximè eleuare, & ſurſum erigere. Sic Cicero 4. Academicarum *Hortenſius vehementer admiratus, ut etiam manus ſæpe tolleret.* Sic Ouid. epiſt. 11.

*Nō ego falſa loquor, ter acutum ſuſtulit enſem*
*Ter malè ſublato decidit enſe manus.*

Significat etiam è medio tollere, ſiue in mortem agere. Sic Cicero pro Roſcio Amerino: *Quatriduo, quo hæc geſta ſunt, res ad Chryſogonum in caſtra L. Syllæ Volaterras defertur, magnitudo pecuniæ demonſtratur, bonitas prædiorum (nam fundos decem, & tres reliquit, qui Tiberim ferè omnes tangunt) huius inopia, & ſolitudo commemoratur: demonſtrant, quum pater huiuſce Sextus Roſcius, homo tam ſplendidus & gratioſus, nullo negocio ſit occiſus, perfacile hunc hominem incautum, & ruſticum, & Romæ ignotum, de medio tolli poſſe,* id eſt necari. Ex duobus his huius verbi ſignificationibus, ortus iocus ille apud Suetonium in Nerone capite 39.

*Quis neget Æneæ magna de ſtirpe Neronem?*
*Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.*

Æneas enim ſuſtulit, id eſt humeris ſublimem geſtauit patrem Anchiſem. Et Nero ſuſtulit, id eſt necauit matrem Agrippinam. Hic vero tollit, vel tulit, eſt necauit Socratem cicutæ ſorbitio.

QVO

*QVo fretus? Dic hoc magni pupille Pericli.* Plato in Alcibiade priore, Socratem inducit reprehendentem Alcibiadem, quod Rempub. adminiſtrare vellet, neceſſarijs deſtitutus prę ſidijs, & ſubinde interrogantem ὅτῳ πιστεύων qua confidens arte, rem tantam aggrederetur. Idem legimus in Xenophonte dehortante Glaucum dictis Socratis ab eodem conatu lib. 3. de factis, & dictis Socratis. Et hoc idem nunc voluit noſter Perſius, interrogans: *Quo fretus.* Fretus vnde ſit, obſcurum videtur. Quinam deriuant à fruor, cuius dicunt eſſe triplex ſupinum, vel præteritum, fruitus, fructus, & fretus: alij à fretum, nempe maris angustijs, quales ſunt vbi Atlanticum ad Gades terras irrumpit, vel quo Sicilia ab Italia ſeparatur: vbi quia aquæ minus liberè ęſtuāt, vehementius agitantur, & ita feruent. vnde fretum à feruore dicitur, & ſic fretus à fretum commodè deriuatur, quod qui agit fretus, ſiue adiutus & nixus præſenti auxilio, feruidus eſſe ſolet. Et ita Socrates Alcibiadem interrogat: *Quo fretus* Remp. adminiſtrare velit, ideſt, quibus nixus auxilijs rem tātam aggrediatur. Qui etiam ſenſus habebitur, ſi fretus ſit à fruor, quod enim nobis eſt auxilio, conſilio, vel vtile, delectationem adfert, vt ad eius pręſentiam incaleſcamus, & ita illo freti, ſeu adiuti, quodcumque difficile, aggredi non dubitemus.

*DIC hoc magni pupille Pericli*, periphraſis eſt Alcibiadis, qui Cliniæ, & Dinomaches filius, genere nobiliſſimus, opibus abundans, fortuna ſplendidus, ingenio pollens, rei mili-

taris

taris peritia, & imperatorijs virtutibus inſignis, liberalium artium, eruditione, & eloquētia clarus; patre orbatus, ſub Pericli patrui tutela educatus, tantum illius exemplo profecit, vt Athenæum Imperator, ſiue Prætor pluries denunciatus, multas inſigneſque victorias ex hoſtibus reportauerit, & de eiſdem trophæa erexerit, ex quibus patriæ gloriam, dominationemq; auxit, vel ablatam reſtituit. Et nihilominus comitatem, affabilitatemque cum omnibus, etiam ex infima plebe, habuit, vnde fiebat, vt omnibus charus, & amabilis videretur. His tamen tam multis, & præclaris virtutibus, tot immania coniunxit vitia, vt anceps fuerit iudicium, virtutesne in illo præualerent, an vitia, & num in bonis, an in pernicioſis foret habendus. Hinc non ſemel in iudicio reus factus, metu pœnæ ſpontè ſolum vertit, abſenſque damnatus, aliquando etiam multa cū gloria reſtitutus eſt. Certè Socratis admonitionibus, licet non fuerit totaliter ad bonam frugem conuerſus, nonnihil tamen profecit, ſaltem ne in tot mala rueret, in quot, prauum illius ingenium, præcipitem agebat.

*PVPILLVS* eſt puer impubes, qui morte patris, vel emancipatione, deſijt ſub patria eſſe poteſtate: dictus quaſi paruus pupus: ſicut pupilla eſt puella, quæ non eſt ſub patris poteſtate. Quamquam pupilla dicatur etiam organum viſus, quia in eo pueri, ſiue puellę conſpicitur imago. Niſi mauis pupillā dici, quod ſit pura, atque impolluta, vt puella: vel quia ad inſtar virginis, ſedulo aſſeruetur: vt ſcut

 oculi

oculi pupilla duabus palpebris, veluti conclaui clauditur, ita & virgo diligenter domi clauſa ſit cuſtodienda, iuxta Eccleſiaſticũ 26. *In filia non auertente ſe, firma cuſtodiam*. Et illud eiuſdem libri cap. 42. *Filia patris abſcondita eſt vigilia, & ſollicitudo eius aufert ſomnium, ne fortè in adoleſcentia ſua adulta efficiatur, & cum viro commorata, odibilis fiat: ne quãdo polluatur in virginitate ſua, & in paternis ſuis grauida inueniatur, ne fortè cum viro commorata tranſgrediatur. aut certè ſterilis efficiatur: ſuper filiam luxurioſam confirma cuſtodiam.* Sic ergo rectè Alcibiades pupillus appellatus, quia ob Cliniæ patris mortem, ſub illius poteſtate eſſe deſierat.

*PERICLES* Xantippi filius, quatrincentis circiter, ac viginti annis ante Redemptoris ortum, in Athenienſium Rep. floruit. Anaxagoræ fuit auditor, & acutiſſimus philoſophus, Orator vero tam vehemens, vt à Comicis ſui temporis, Olimpius cognominaretur, eo quod ad inſtar Iouis Olimpij, in concionibus fulmina ciere, & tonare videretur, & ita auditores in ſuam trahere ſententiam. Annis quadraginta ſumma cum laude Athenienſium adminiſtrauit Rempu. licet aduerſarios ſummos viros, Cimonem, Themiſtoclem, & Thucididem haberet, quo aliquando clamante, & accuſante, quod multa ex ærario in non neceſſaria ædificia publica erogaſſet, reſpondit ipſe, ſe expenſas illas in ærarium relaturum, dummodo ſibi à populo poteſtas fieret, operibus illis ſuum adſcribere nomen, quod populus concedere nolens, ratas habuit ex-

penſas

penſas Reip. nomine factas. Is, vt refert Cicero 1. de officijs, quum aliquando cum Sophocle, collega in officio Præturæ, conueniſſet, caſu formoſus puer ante eos pertranſijt, quem conſpicatus Sophocles, ait: *O puerum pulchrum Pericle:* cui hic: *At Prætorem, Sophocle, decet, non ſolum manus, ſed etiam oculos habere continentes.* Bellica etiam gloria clarus, quum iuſtis aciebus nouies ſigna cum hoſtibus contuliſſet, toties de eiſdem triumphauit, & proptera (vt hic etiam cognominatur) Magni ei cognomen adhæſit. Eius frater Clinia, quum diē obijſſet, reliquit Alcibiadē filiū impuberē ſub eius tutela, qui exinde Periclis pupillus dictus eſt.

*SCILICET ingenium, & rerum prudentia velox ante pilos venit, dicenda, tacendaque calles.* ſcilicet eſt, ſanè, profectò, certè, quaſi ſit ſcire licet, ſicut videlicet, eſt quaſi videre licet. Sic Cicero Verrina 6. *Quum quæſiſſem ab Hejo, numquid aliud de bonis eius perueniſſet ad Verrem? reſpondit, ipſum ad ſe miſiſſe, vt ſibi mitteret Agrigentum peripetaſmata. Quæſiui, an miſiſſet: reſpondit, id quod neceſſe erat, ſcilicet, dicto audientem fuiſſe Prætoris, miſiſſe.* Et idem Cicero pro M. Cœlio: *Quum ſcires quantum ad facinus aurum hoc quæreretur, ad necem ſcilicet Legati, ad L. Lucaij ſanctiſſimi hominis, atque integerrimi labem ſceleris ſempiterni, huic facinori tanto, tua mens liberalis conſcia, tua domus popularis miniſtra, tua denique hoſpitalis illa Venus, adiutrix eſſe non debuit.* Sic Ouidius epiſt. 11.

*Scilicet eſt aliquid cum ſæuis vincere ventis*

*Ingenio populi conuenit ille ſui.*

Sæpiſſime etiam ſumitur per ironiam, vt notauimus Inſtit. Orat. lib.3. Tract. 2. cap. 4. quandoquidem hanc vocem, aut aliam ſimilis ſignificationis vſurpamus, denotantes rem abſurdam, & incredibilem. Sic Virgil. 4.Æneid. verſu 379.

*Scilicet is ſuperis labor eſt, ea cura quietos*
*Sollicitat.*

Et Terent. Andriæ Actu 1. ſcena 2.

*Meum gnatum rumor eſt amare.*

Dauus. *Id populus curat ſcilicet*, quaſi diceret, de ea re populum non curare, nec cogitare, aut ſollicitari. Et hoc modo ironicè nunc ſumitur, vult enim dicere, ingenium, & rerum prudentia non venire ante pilos, nempe virilem ætatem.

*INGENIVM, & rerum prudentia*, poſſunt accipi pro eodem, quamuis ingenium propriè ſit natura vnicuique ingenita. Vnde Terent. Andriæ Actu 1. ſcena 1.

*Nam qui cum ingenijs conflictatur eiuſmodi,*
*Neque commouetur animus in ea re, ſcias*
*Tum iam ipſum habere poſſe ſuæ vitę modum.*

Cum ingenijs eiuſmodi dixit, intelligens cum hominibus talis naturæ. Sumitur etiam pro vi naturali nobis inſita ad ea inuenienda, quæ per naturam poſſunt inueſtigari, à qua vi, ingenioſi nonnulli dicuntur. Verum hæc vis à natura nobis ineſt, ingenium autem, intellectum ſiue pro natura, ſiue pro hac vi, vtique venit ante pilos, quum nobis inſit ab ipſo ortu: ideoque ingenium ſumi poteſt pro ipſa prudentia: ſed melius ingenij nomine ſignificatur

catur

catur liberalium artium noticia, quæ ſtudio atque exercitatione, tamquam tabulæ raſæ, in qua nihil eſt depictum, inſeruntur ingenio ſiue intellectui à natura nobis tradito, vt per metonymiam ſubiecti pro adiuncto, ingenij nomine diſciplinæ iſtæ ſignificentur. Certè huiuſcemodi artes, plerumq; non veniunt ante pilos, & ſtatã ætatẽ, licet in quibuſdã ingenijs igneis, adoleſcẽtiã, & pilos anteuerterint, quod tamen eſt rarũ. At prudentia numquam abſq; miraculo, & ſpeciali dono Dei, ante virilẽ venit ætatem, naſci enim debet ex ſingularium caſuum obſeruatione, ijs nimirum quibus humana vita eſt obnoxia. Vnde Cicero de ſenectute ait: *Si legere, aut andire voletis, externas maximas Reſp. ab adoleſcentibus labefactatas, à ſenibus ſuſtentatas reperietis. Cedo, qui veſtram Remp. tantam, amiſiſtis tam cito? Sic enim percunctanti, ut eſt in Neuij ludo, reſpondentur & alia, & hæc in primis: Prouenicbant Oratores noui, ſtulti, adoleſcentuli. Temeritas eſt videlicet florentis ætatis, prudentia ſenectutis.* Et hoc eſt, prudentiam non venire ante pilos.

*PILORVM* nomine eam intellexit ætatem, in qua genæ pilis obduci, & circumueſtiri ſolent, quæ vt plurimum eſt circa vigeſimumquintum ab ortu annum. Vnde interuenit hic metalepſis ſigni, quæ & metonymia, nam pili ſignificant ętatem, in qua illi naſci ſolent. Ante vero annum vigeſimumquintum, non propriè pilis, ſed lanugine quadam malæ obduci ſolent, hic vero intelligitur de pilis propriè dictis, ſeu de illorum ætate, quæ prudentiam ex experimentis capere potuit.

*DICENDA, tacendaque calles*. Id eſt maximè proprium viri prudentis, nouiſſe videlicet iuxta Eccleſiaſtem 3. *Tempus loquendi, & tempus tacendi*, nempe quid, quomodo, & quando loqui, vel ſilentium ſeruari oporteat: Nonnumquam enim alicui præcipitur Prou. 26. *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis*: aliquando vero è contra, ibidem: *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur*. Vnde dicendo, quod hic calleat dicenda, & tacenda, magnopere illius ſapientiam, & prouidentiam commendat, per quam cognouit quid, quando, & quibus loqui, vel non loqui debuerit. Verum vt innuimus hæc omnia, vt ironicè dicta ſunt accipienda.

*CALLERE* eſt callis obduci; callus autem, ſiue callum eſt cutis durities cauſata ex labore, opere, & exercitatione, cuiuſmodi videmus in manibus, vel pedibus hominum, in ſuis roſtro, bouis ceruice, & alijs. Sic Plautus Perſa Actu 2. ſcena 2.

*magis calleo, quam aprugnũ callum callet.*

Et Pſeudolo Actu 1. ſcena 2.

*Neq; ego homines magis aſinos vnquam vidi, ita plagis coſtæ callent,*
*Quos dum ferias, plus tibi noceas.*

Ab hac propria callis ſignificatione, transfertur callendi verbum ad ſignificandum perfectè ſcire: nam vt callus contrahitur in membris corporis ex longo vſu, exercitatione, & attritione eorumdem, ita mens longa experientia, & meditatione rerum, acquirit earumdem habitum ſcientiæ. Sic Horat. ad Piſones:

Le-

*Legitimumq; ſonum digitis callemus, & aure.* Callemus inquit, ideſt ex longa experientia diſcernimus. Et ita nunc ſumitur, nam interrogat num experientia nouerit, quæ dicere, quęue tacere conueniat.

*ERGO vbi commota feruet plebecula bile, fert animus calidæ feciſſe ſilentia turbę maieſtate manus.* Bilis commota, intelligitur hic flaua, quæ eſt cholera, cuius commotio eſt ira, nempe accenſio ſanguinis circa cor. Interrogat ergo, num fiduciam habeat, poſſe ſe feruenti, ideſt iratæ multitudini, nutu, ſilentium imponere.

*PLEBECVLA* eſt diminutiuum à plebe: plebs autem à pluralitate dicitur, nec refert vtrum ſit à plus, vel à πλῆθος mutato θ in ϐ, vt etiam in alijs accidit: plethos autem eſt multitudo, & populi fæx, ſeu populus minutus compoſitus ex olitoribus, laniſtis, agaſonibus, æruſcatoribus, & ſimilibus. Vtuntur paſſim hoc diminutiuo Latini. Sic Horat. lib. 2 epiſt. 1.

*Si diſcordet eques, media inter carmina poſcunt,*
*Aut vrſum, aut pugiles, his nam plebecula gaudet.*

Sic Cicero ad Atticum lib. 1. epiſt. 13. *Noſter ſtatus eſt hic: apud bonos iidem ſumus, quos reliquiſti: apud ſordem Vrbis, & fęcem, multo melius, quam reliquiſti. Nam & illud nobis non obeſt, videri noſtrum teſtimonium non valuiſſe: miſſus eſt ſanguis inuidiæ ſine dolore, atque etiã hoc magis, quod omnes illi fautores illius ſtudij rem manifeſtam illam redemptam eſſe à iudicibus confitentur. Accedit illud, quod illa concio-*

*cionalis hirudo ærarij: miſera, & ieiuna plebecula, me ab hoc Magno vnice diligi putat, & hercule multa, & iucunda conſuetudine coniuncti inter nos ſumus, vſque eo, vt noſtri iſti commeſſatores coniurationis, barbatuli iuuenes, illum in ſermonibus Cn. Ciceronem appellent.* Quum autem in qualibet Rep. longe maior ſit infimę & vilioris plebis, quam Nobilium, Senatorum, & Patriciorum multitudo, candidati, honores, officia, & dignitates ambientes, his plebęis adulabantur, vt eorum ſuffragijs, vel fauſtis acclamationibus, ad munera concupita eueherentur.

*FERT* multo plura ſignificat, quam comprehendantur verſu relato à Ioanne Bond hic

*Fert, patitur, dicit, dat, cupit, atque gerit.*

Nam vt pati ſignificat Terent. Heautontim. Actu 1. ſcena 2.

*Quem ferret, ſi parentem non ferret ſuum.*

Et apud Lucan. lib. 5. verſu 466.

*Cęſaris attonitam miſcenda ad prælia mētem*
*Ferre moras ſcelerum partes iuſſere relictę.*

Et dicere, ſiue appellare, aut nominare apud Liuium lib. 1. cap. 4. *Fauſtulo nomen fuiſſe ferunt.* Et Cicer. de Amicitia: *Tarquinium dixiſſe ferunt.* Et Virgil. 1. Æneidos verſu 19.

*Quam Iuno ferunt terris magis omnibus vnā,*
*Poſthabita coluiſſe Samo.*

Et dare apud Virg. 3. Æneid. verſu 19.

*Sacra Dionęę matri, Dijſque ferebam.*

Et cupere apud Ouid. 1. Metamorph.

*In noua fert animus mutatā dicere formas*
*Corpora.*

Et

Et Lucanum 1. Pharſaliæ verſu 67.

* *Fert animus cauſam tantarum exponere rerũ.*

Et gerere, ſiue geſtare, aut baiulare apud Virg. 5. Æneid. verſu 263.

*Vix illam famuli Phegeus, Sagariſq; ferebant.*

Ita ſunt aliæ huius vocis ſignificationes: importat enim ducere apud Liuium lib. 1. cap 7. *Hercules ad primam auroram ſomno excitus, quũ gregem perluſtraſſet oculis, & partem abeſſe numero ſenſiſſet, pergit ad proximam ſpeluncam, ſi fortè eo veſtigia ferrent: quæ vbi omnia foras verſa uidit, nec in partem aliam ferre, confuſus atque incertus animi, ex loco infeſto agere porro armenta occœpit.* Et Virg. 6. Æneid. verſu 292.

*Hinc via Tartarei, quæ fert Acherontis ad undas.*

Significat etiam extollere, & laudare. Sic apud Salluſtium in Catilinario: *Poſtquam Cato aſſedit, Conſulares omnes, itemque Senatus magna pars, ſententiam eius laudant, virtutem animi ad cœlum ferunt.* Nonnumquam ſumitur pro edere, producere, aut generare. Sic Virgil. 11. AEn. verſu 285.

*Si duo præterea tales Idæa tuliſſet*
*Terra viros.*

Sæpe etiam ſumitur pro oſtentare, ſiue gloriari. Sic Virg. 11 AEn. verſu 778.

*Hunc virgo, ſiue ut templis, præfigeret arma,*
*Troia, captiuo ſiue ut ſe ferret in auro.*

Etiam pro necare, ſiue interficere, quaſi ſit è viuis auferre. Sic Virg. Ecloga 5. verſu 34.

*poſtquam te fata tulerunt*
*Ipſa Pales agros, atq; ipſe reliquit Apollo.*

Et mille aliæ ſunt huius verbi ſignificationes.

Hic tamen fert animus eſt confidere, ſeu habere fiduciam aliquid præſtandi, efficiendi, vel conſequendi maximè ſi ſit arduum, atque difficile, vt ad illud ſit opus magnanimitate. Et ita rectè hic vtitur interrogatione, querens num confidat ſe poſſe impetrare ſilentium à turba calida, ſeu populo irato, tumultuante, & ſpectante ad ſeditionem, ad quod impetrandum requiritur autoritas, & prudentiæ opinio.

*MAIESTATE manus.* Manu ſilentium indici, paſſim legimus. Sic apud Tacitum 1. Annal. cap. 7. *Poſtquam Druſus uallum introijt, legiones portas ſtationibus firmant, globos armatorum certis caſtrorum locis opperiri iubent, cæteri tribunal, ingenti agmine circumueniunt. Stabat Druſus ſilentium manu poſcens: illi, quoties oculos ad multitudinem retulerant, uocibus truculentis ſtrepere: rurſum, uiſo Cęſare, trepidare.* Sic Lucanus lib. 1. verſu 296. inquit:

*Conuocat armatos extemplo ad ſigna maniplos,*
*Vtque ſatis trepidum turba coeunte tumultũ*
*Compoſuit uultu, dextraque ſilentia iuſſit.*

Sic legimus Act. Apoſtol. cap. 13. *Surgens autem Paulus, & manu ſilentium indicens, ait: Viri Iſraelitæ, & qui timetis Deum, audite.* Et eodem libro cap. 19. *Alexander autem manu ſilentio poſtulato, uolebat reddere rationem populo.* Sic Xiphilinus in Adriano narrat, precones numquam voce, ſed ſemper manu ſilentium populo ſolitos imperare. Sic Ammianus Marcellinus loquens de Imperatore Valentiniano compeſcente multitudinis ſeditionem, ait lib. 26. *Elata proſperè dextera, ut Princeps*

*fidu-*

*fiduciæ plenus, auſus increpare quoſdam, ut ſe-ditioſos, & pertinaces.* Notauimus etiam quoſdam ritus ſeruatos ab indicentibus ſilentium. Nam Apuleius innuit hanc ſilentij indictionẽ fieri dexteræ porrectione, duobus infimis digitis intra volam concluſis, tribus vero reliquis extenſis. Hieronymus vero Ruſtico ſcribens ait: *Quum menſa poſita, librorum expoſuiſſet ſtruem, adducto ſupercilio, contractiſque naribus, ac fronte rugata, duobus digitulis concrepabat, hoc ſigno ad audiendum diſcipulos prouocans.* Apud eundem Hieronymum inuenimus eos, qui rem ſilentio dignam alteri ad aurem indicaſſent, eum digitorum concrepatione, ſilentij ſolitos admonere. Ouidius manui vocem adiunxit, dicens 1. Metamorph.

*Qui poſtquam uoce, manuque*
*Murmura compreſſit, tenuere ſilentia cuncti.*

*QVID deinde loquere? Quirites, hoc puto non iuſtum eſt, illud male, rectius iſtud.* Valde, ex perſona Socratis Alcibiadem, vel ex ſua, Neronem imperitiæ hic exagitat. Hic ſiquidem adoleſcens, non maior annis ſexdecim, Imperij Romani habenas ſuſceperat moderandas, licet nec ſcientias, & liberales artes, nec rerũ eruditionẽ ſibi cõparare potuiſſet, nec rerum haberet experientiam, ex qua naſceretur prudentia, nec iuſtum diſcernere poterat ab iniuſto, ideoque carebat dicendi, & conſulendi autoritate. Autoritas enim ex qua in auditoribus venit attentio, ex eruditionis, ſapientię, & prudentiæ venit opinione. Et quum illæ in Alcibiade, vel Nerone non ſupponerentur, nec iſta ineſſe poterat. Sed fac, inquit, popu-

lum tibi velle aures præbere, reſpectum habens ad tuas diuitias, nobilitatem, vel Imperatoriam dignitatem, nonne ſi os volueris aperire, confunderis, propalando tuam inſipientiam, neſciens iuſtum ab iniuſto diſcernere.

*QVIRITES*. Proprium eſt Rectorum, populum pro concione docere, rationemque reddere factorum, atque conſiliorum ſuorum. Et hoc nunc dicit Socrates, ſiue poeta, facere debere Alcibiadem, ſiue Neronem, aſſumpta Reip. adminiſtratione. *Quirites*. Hac appellatione fit manifeſtum, hic non Alcibiadis à Socrate, ſed Neronis à Perſio impudentiam argui: Alcibiades enim Athenięſes allocuturus, eos non Quirites, ſed, vt cęteri faciebant, proprio nomine, Athenięſes appellaſſet, vt Paulus fecit in Areopagũ introductus, dicens in Act. 17. *Viri Athenienſes, per omnia quaſi ſuperſtitioſiores uos uideo*: vel ad ſummum patronimico, Cecopridas vſus fuiſſet. Nihilominus ſi hæ Satyræ in Neronis veniſſent manus, Perſij defenſio fuiſſet, quod Quiritum nomine per ſenecdochen intelligi voluerit quemcumque populum. Reuera tamen, Quirites, erant Romani, ita dicti, vel à Curibus Sabinorum oppido, cuius Regem T. Tatium Romulus, poſt initum cum eo fędus, in regni receperat ſocietatem, populumque illius in Vrbis portionem & iura: immo, quo nouorum incolarum iniret gratiam, vniuerſum, etiam priſcorum Romanorum populum, ab ipſis Curibus, Quiritum voluit appellari. Vel à Quirino, ideſt Romulo, ſic dicto, vel ab haſta, qua vtebatur, quæ Sabinorum lingua Quiris dicebatur; Vel quia

poſt

poſt conſecrationem ſic dictus fuit, iuxta Iulij Proculi commentum, iureiurando affirmãtis, viſum à ſe Romulũ, ſpecie, quam fuiſſet, auguſtiorem, mandantem referret populo, ſe in Deorum numerum relatum, appellariq; Quirinum, vt refert Liuius lib.1.cap.16. & Florus etiam lib.1. his verbis: *Diſcerptum aliqui à Senatu putant, ob aſperius ingenium: ſed oborta tempeſtus, ſoliſque defectio, conſecrationis ſpeciem præbuere. Cui mox Iulius Proculus fidem fecit, viſum à ſe Romulum affirmans auguſtiore forma, quam fuiſſet, mandare preterea, vt ſe pro Numine acciperẽt, Quirinum in Cęlo vocari placitũ Dijs* Has appellationis cauſas refert Oui. 2. Faſtor.

*Tertia dicta Quirino,*
*Qui tenet hoc nomen Romulus ante fuit,*
*Siue quod haſta Curis priſcis eſt dicta Sabinis*
*Bellicus à telo venit in aſtra Deus,*
*Siue ſuum Regi nomen poſuere Quirites,*
*Seu quia Romanis iunxeras ante Cures.*

Negant aliqui Quiritum nomen efferri, niſi in numero multitudinis: ſed vſurpatur etiam in ſingulari. Sic infra ſatyra 5. verſu 75.

*Heu ſteriles veri quibus vna Quiritem*
*Vertigo facit.*

Sic Ouid. 1. Amor. eleg. 7.

*An ſi pulſaſſem minimum de plebe Quiritem,*
*Plecterer.*

Et 3. Amor. eleg. 14.

*Ignoto meretrix corpus iunctura Quiriti*
*Oppoſita populum ſubmouet ante ſera.*

*HOC puto non iuſtum eſt, illud male, rectius iſtud.* Legunt aliqui *Hoc puta.* Verum puta,

fre-

frequentius, a, longum habet. Vnde Priſcianus de terminatione aduerbiorum loquens ait l. 15 *Ita ſolum, a, correptum habet, quamuis quidam puta quoque aduerbium eſſe accipiant, ideoque Perſium id corripuiſſe, ut, Hoc puta non iuſtum eſt.* Nihilominus frequentius producitur, vt apud Martial. lib. 14. epigr. 7.

*Eſſe puta ceras, licet hæc membrana uocetur.*

At puto, o ſemper corripit. Sic idem Martial. Epigramm. ad Auitum præfixo lib. 9.

*Ille ego ſum nulli nugarum laude ſecundus,*
*Quem non miraris, ſed puto, lector amas.*

*SCIS etenim iuſtum gemina ſuſpendere lance Ancipitis libræ.* Perſtat in ironia, eamque duplicat, aliud addendo illius ſignum nimirum *etenim*, quæ vox non minus, ac ſcilicet, vel certè, ironiam deſignat. Nam quum propriè valeat ſanè, aut profectò, vult tamen rem non ita ſe habere; & ita nunc ironicè loquẽs, ait, adoleſcentem iſtum tanta præditum eſſe ſapientia, vt poſſit nouiſſe rectum ab obliquo, nedum in recta iudicij ſtatera, ſed etiam in obliqua, quãdo iudicium paſſionibus amoris, odij, iræ, eſt obnubilatum, diſcernere. Et intelligit oppoſitum, ſcilicet non poſſe diſcernere iuſtum, nec in recta iudicij ſtatera.

*LANX*, ſiue lances ſunt vaſa ampla, & rotunda, dicta à latitudine, nam ſunt minus ampla, quam patinæ, quibus carnes aſſæ, vel elixæ, ſed abſque iure, menſæ inferebantur. Sic Horat. 2. ſermonum ſat. 4.

*Vmber & iligna nutritus glande, rotundas*
*Curuas aper lances.*

Hinc transfertur vox ad ſignificanda vaſcula,

qui-

quibus res ponderatur, in quorum vno pondus, in alio res ponitur ponderanda; à quibus libra, ſeu librípendium, bilanx, à duobus lancibus appellatur. Et de his lancibus nunc loquitur, eſto metaphoricè, translatione ab eis ducta.

*ANCEPS*, antiquis fuit Ancapis: ambiguũ num ita diceretur à caput, quod dubium haberet caput, vel quod, nullum apparens, vel quod duo, aut multa, vt internoſcere neſcires. An à capiendo, neſciens qua parte res capi poſſit, vt acci lit in vaſe, anſis vel pede carente. Hanc ſecundam ethymologiam probat Feſtus dicẽs: Anceps videtur ſignificare id, quod ex vtraque parte caput habet, vt ſecuris, bipennis: ſed magis à capiendo, quod ex vtraq; parte æquè capiatur, appellatum eſt. Primam vero Priſcianus verſus finem libri 6. dicens: Antiqui ancipes, & principes, bicipes proferebant in nominatiuo, & ſic ſecundum analogiam ſequebatur genitiuus ancipes ancipitis, vt ſoſpes ſoſpitis. Et c. de genitiuo tertiæ declinationis lib. 7. ait: Omnia quæ à capite compoſita in ps deſinunt, habent duabus ſyllabis ſuperantem genitiuum, vt anceps ancipitis, biceps bicipitis, centips, centipitis, quæ veteres in es proferentes ſecundum regulam declinabant. Anceps ancipitis &c. Vtcumque ſit, anceps idem eſt, ac dubium, vnde libra anceps dicta eſt illa, quæ incerta eſt, & fluctuans, nec magis in vnam, quam in aliam vergit partem, & ita dubium relinquit iudicium, num pondus, an res ponderata ſit grauior. Vel illa libra dicetur anceps, quæ ita

eſt

eſt inconſtans, vt poſitis eiſdem pondere,& ré ponderata, nunc ad vnam, nunc ad aliam flectitur partem. Id autem totum intellige dictum metaphoricè de ſententijs,& iudicijs, ſiue ſententiarum veritate, criminum, & pœnarum grauitate,ac cõſiliorum vtilitate, propria Senatorum.

*LIBRA*, As,Mna,Mina,& pondo,idem sũt, niſi quod pondo inuariatè ſemper duodecim fuerit vnciarum,libra variauit,vt & nunc alicubi ſexdecim, vel amplius eſt vnciarum. Cœleſte quoddam ſignum, naſcens XIII. Kal. Septembris, libra dicitu: & etiam machina, qua maris, lacuum, fluuiorumque exploratur profunditas,vt aquæ alio duci poſſint.Sed non nſt nunc ſermo de his libris. Libra etiam eſt menſuræ genus, duodecim conſtans partibus æqualibus, quas vncias nominamus,quæ cognominatur menſuralis,& eſt menſura cornea, interſecta quibuſdam lineis ipſam diuidentibus in partes, ſeu vncias duodecim: & hac Romani oleum præcipuè menſurabant: Eſt etiam alia libra dicta ponderalis,cuius decem vnciæ æquiualent libræ menſurali. Nũc non eſt ſermo de libra menſurali, ſed ponderali,ideſt de inſtrumento,quo res ponderãtur, eo à ſtatera diuerſum, quod hac res ponderantur ſine lancibus, quæ ſunt in libra dicta bilanx, vt ait Cic.5. Tuſculan. dicens: *Quæro quam uim habeat libra illa Critolai, qui quum in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis, & externa, tantum propendere illam boni lancem putet, vt terram, & maria deprimat.* Et ex hac libra ſunt æquilibrium

&

& illud Gellij lib.20.cap.1. *Librarijs aſſibus in ea tempeſtate populus vſus*. Et idem eodem loco: *Talionem in eo, vel adamuſſim æquipararet, vel in librili perpenderent.* Et de tali libra nunc intelligit.

*RECTVM diſcernis vbi inter curua ſubis, vel quum fallit pede regula varo.* Vbi diſcernis n s cum communi legimus, Ioannes Bond habet, ſecernis. Sed eadem eſt vtriuſque verbi quantitas, & ſignificatio, nempe diuidis, vel ſeparas. Sic Horat. ad Piſones:

*fuit hæc ſapientia quondam*
*Publica priuatis ſecernere, ſacra profanis.*

Sic Cicero Luceio, lib.5. epiſt. 12. *Quod mihi acciderit optatius, ſi in hac ſententia fueris, vt à concionibus tuis ſcriptis, in quibus perpetuam rerum geſtarum hiſtoriam complecteris, ſe ernas hanc quaſi fabulam rerum, euentorumque noſtrorum*. At in eodem ſignificato diſcernere dixit Virg.12. Æneid. verſu 896.

*Ne plura effatus, ſaxum circumſpicit ingens,*
*Saxum antiquum, ingens, campo, qui fortè iacebat*
*Limes agro poſitus, litem vt diſcerneret aruis.*

Quum ergo eadem ſit ſignificatio, & quãtitas, non eſt quur à communi lectione recedamus.

*CVRVA* quaſi couruа, à con & uruus, ſiue vrbus, aut vrbum, ſiue vruum, ſignificans burim, nempe aratri curuaturam, vnde ſunt etiã vrbare, & vrba, iuxta Varronem 4. de LL. dicentem: Oppida quæ prius erant circumducta aratro, ab orbe, & vrbo, vrbes. Quibus verbis ſignificat, vrbem dici quaſi orbem, quia in orbem fiebat, vel ab vrbo, vel vruo, hoc eſt buri

&

& aratri curuatura. Itaque hic curua eſt torta,ſeu flexa ad inſtar buris,aut falcis.Sic Virgil. lib.1.Georg.verſu 508.

*Et curuæ rigidum falces conflantur in enſem.*

*SVBIRE* eſt clam prorepere, ſeu latenter procedere,vt ſit ſenſus. Poteris ne diſcernere iuſtum,quum iniqua ipſum abſcondere,obtegere, & quaſi velare nituntur? Quum enim Græcorum fuerit prouerbialis ſententia,vitia atque virtutes in eadem habitare vicinia: difficilè valde eſt ea ab inuicem diſcernere. Ad quam difficultatem indicandam fortè reſpexit Apoſtolus dicens 2. Conrinth. 11. *Ipſe Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis*. Et quum id in omnibus verificetur virtutibus,ac vitijs Ariſtotele tamen teſte 5.Ethic.1. maximè eſt manifeſtum in iniuſtitia, & iuſtitia, ſic enim ait: *Videtur multipliciter dici iuſtitia, & iniuſtitia, ſed ſunt admodum propinquæ ipſorum æquiuocationem latere, quod non ſit in his quæ longe magis ſunt manifeſta, nam illa plurimum inter ſe differunt ſpecie.* Indeque neceſſe fuit tot prodire legum, ſtatutorumque volumina,& nihilominus adhuc occulta manet rectitudinis, ſiue iuſtitiæ inueſtigatio,& praxis; & propterea ſcientia politica, quoad Reipub. adminiſtrationem eſt valdè difficilis,vt nequiuerit hic adoleſcens, liberalium artium rudis eam obtinuiſſe. Igitur ſubire rectum inter curua eſt, iuſtum latere inter iniuſta,vt percipi ſit valde difficile.

*REGVLA*, perpendiculum & norma, pro eodem reputantur, ſed nonnihil differunt. Hinc Cic. 2. quæſt. Academic. *Si id credere-*

*mus,*

*mus, non egeremus perpendiculis, non normis, non regulis*. Et ibidem: *Audi contra illos, qui nomen honeſtatis à ſe ne intelligi quidem dicant, niſi fortè quod glorioſum ſit in vulgus, id honeſtum velimus dicere, fontem omnium bonorum in corpore eſſe, hanc normam, hanc regulam, hanc præſcriptionem eſſe naturæ*. Differunt vero iuxta Vitruuium lib. 7. cap. 3. quod *Longitudines ad regulam, & lineam, altitudines ad perpendiculum, anguli ad normam reſpondentes exigantur*. Dicitur vero regula, quod manum regat eius, qui latitudinem explorat. Regula etiam eſt inſtrumentum, quo reguntur lineæ in arborum plantatione. Sic Colum. lib. 3. cap. 13. *Duas regulas eius latitudinis, qua paſtinator ſulcum facturus eſt, in ſpeciem Græcæ litteræ X decuſſauimus*. Regula etiam eſt præceptum, paucis verbis, rei ſummam continens. Sic Ci. 4. quæſt. Academic. *Hanc eſſe regulam totius philoſophiæ, conſtitutionem veri, falſi, cogniti, incogniti*. Verum hic regula eſt baculum, quo quid rectum tenetur. Sic Colum. lib. 6. c. 19. *Vt inſerto capite, deſcendentibus per foramina regulis, ceruix teneatur*: & ita Io: Brixienſis hic regulæ nomine intelligit haſtam qua lances libræ ſuſtinentur. Vel regula eſt: Stylus poſitus in medio haſtæ ſuſtineatis lances, qui dicitur etiam lingua, ſiue examen, quiue, quũ ex vna capitis, ſiue arcus parte proſilit, deſignat lancem partis oppoſitæ eſſe ponderoſiorem. Ita propriè. At iſta metaphoricè accipiuntur pro examine iudicij in adminiſtranda iuſtitia, vbi regula eſt axioma, ſiue propoſitio ſummam legis continens. Et vt in alijs, ita

& in

& in ſcientia legali, multæ ſunt huiuſmodi regulæ.

*PEDE varo.* Pes à πὸς, ſiue πὶς hoc à παύβω quia terminat animal. Multa ſignificat iuxta Senecam lib. 2. de benefic. ap. 34. *Ingens copia eſt rerum ſine nomine, quas non proprijs appellationibus notamus, ſed alienis, commodatiſq; ut Pedem, & noſtrum dicimus, & lecti, & veli, & carminis.* Et quidem vt de noſtro taceamus, lecti meminit Catullus carm. 62.

*Candido pede lecti.*

Veli, idem Catull. carm. 4.

*Et inde tot per impotentia freta*
*Herum tuliſſe, læua ſiue dextera*
*Vocaret aura, ſiue vtrumque Iuppiter*
*Simul ſecundus incidit, & in pedem.*

Nam Iouem, ideſt ventum in pedem incidere eſt medios veli ſinus implere: contra vero pedem facere, eſt auram vocare. Sic Virg. 5. Æn. verſu 828.

*iubet ocyus omnes*
*Attolli malos, intendi brachia remis,*
*Vna omnes fecere pedem, pariterq; ſiniſtros,*
*Nunc dextros ſoluere ſinus.*

Et pedem tenere dicitur, qui velo tenendo, vertendoque eſt prępoſitus. In qua acceptione pes eſt propriè funis, quo velum tenditur, vel quo veli angulus religatur. At quur carminis quoque pes eſſe dicatur, docet Acron ad illa verba Horat. ad Piſones *Legitimumque ſonum digitis callemus, & aure*, quia ſcilicet ſonus metri, pollicis ſtrepitu, & auris perceptione probari ſolet, vnde quidam pedes dactyli dicti, & ipſi pedes appellati, quia ſonum metro-

rum

rum pulſu pedis adiuuantur. Præter iſtas autem, & alias pedis ſignificationes, eſt iſta, cuius Perſius meminit de pede regulæ, qui quidem mihi obſcurus eſt. Aliqui exponunt de menſura, qua terræ menſurantur, continente palmos quatuor, ſiue digitos ſexdecim: ſed quamuis exacta terrę dimenſio haberi non poſſit quando eius menſura eſt vara, non video quare pes menſura, dicatur regula. Alij pedem varum intelligunt normam, qua ſcriptorum rigæ diriguntur, ſed norma iſta nullam ad pedem habet analogiam. Quare, quouſque melius dabitur, pedis nomine intelligo acum, vel lingulam illam, quæ eſt in medio brachij ſuſtinentis lances: quod brachium eo, quod lances ſuſtineat, & regat, regula dictum eſt. Et iſta acus ſi vara, ſeu curua fuerit, rei pondus cognoſci non poterit Niſi mauis pedem varum eſſe lancem pendentem proximius à ſtylo, quem diximus debere eſſe in medio brachij, nam ita difficilius deorſum fertur, etiam ſi pondus ſit grauius: ideoque ex tali pedum varitate nequit cognoſci rei grauitas. Et ſiſtendo in metaphora, quum circumſtantia rei iudicandæ, vel iudicij, vt ſunt paſſiones, adeſt, peruertitur iudicium.

*VARVS* iuxta Feſtum eſt, qui incurua habet crura, ac iuxta Nonium, qui diſtortis eſt cruribus. Sic Horat. 1. ſerm. ſat. 3.

*hunc varum, diſtortis cruribus;*

Et Plaut. Mil. glor. Actu 3. ſc. 1.

*Metuerem ne ili defregiſſet crura, aut ceruices ſibi* *(ſtea,*
*Tum ne vxor mihi inſignitos pueros pariat po-*

*Aut*

*Aut varum, aut valgum, aut comperne m, aut pætum, aut broncum filium.*

Et vt docet Acronius ad illum locũ Horatij, propriè varus eſt, qui pedes habet introrſus, à Græco ῥαιβὸς, aut ϱέβος, ideſt obtortum, ſiue incuruum. Vnde non probamus, quod quidam dicunt, vari nomen eſſe à ſimilitudine ærumnarum, ſiue baculorum furcillatorum, de quibus Varro 4. L.L. *Vallum, vel quod ca vari, ac ærumnæ eſſent: vel quod ſingula ibi extrema bacilla furcillata, habent figuram litteræ V.* Sed non oportuit baculos, ærumnaſque varo dediſſe originem, quum ſufficiat deriuari omnia à ῥαιβὸς, vnde furcillæ, quibus retia ſuſtinentur, dictæ vari à Lucano lib. 4. v. 439.

*Aut dum diſpoſitis attollat retia varis*
*Venator.*

Sic brachia incurua, manus varas dixit Ouid. 9. Metamorph.

*Brachiaq; oppoſui, tenuiq; à pectore varas*
*In ſtatione manus.*

Et Martial. lib. 7. epigr. 32.

*Vara nec iniecto ceromate brachia tendis.*

Itaque varus dicitur obtortus, ſiue incuruus, & maximè in cruribus, quum videlicet pedes introrſum torquentur, ſuræ vero extrorſum vergunt. Sed ſiſtendo in metaphora, regula fallens pede varo, vt diximsu, eſt axioma continens ſummam legis patientis exceptionem: vt axioma eſt, depoſitum reddendum eſſe, at vt loquitur Cicero 3. de officijs: *Si gladium quis apud te ſanæ mentis depoſuerit, repetat inſaniens; reddere peccatum ſit, non reddere officium: Quid? ſi is qui apud te pecuniam depoſuerit,*

*rit, bellum inferat patriæ, reddeſne depoſitum? non credo: facies enim contra Rempub. quæ debet eſſe cariſſima. Sic multa, quæ natura honeſta videntur eſſe, temporibus fiunt non honeſta: facere promiſſa, ſtare conuentis, reddere depoſita, commutata vtilitate, fiunt non honeſta.* Summum enim ius, vt aiunt, ſumma eſt iniuria, ideoque multoties iudicandum non ſecundum leges, & ius ſcriptum, ſed ſecundum epichęiam, prudentiam, & æquitatem. Quum autem iudicare ſecundum leges, & ius ſcriptum ſit valde difficile, quanto magis erit decernere ſecundum iſtam iuris curuitatem, videlicet epichęiam? Fallit ergo regula pede varo, quia lex ſcripta, quæ eſt regula recta, multoties ratione circumſtantiarum interuenientium in facto, curuanda eſt. Vnde eſto iuxta Iuuenalem, vitium ſæpe fallat ſpecie virtutis, in officijs tamen exercendis, attendendæ ſunt circumſtantiæ, ex quibus petenda eſt actus rectitudo Et in hoc eſt maxima difficultas, quam adoleſcens iſte vincere nullatenus potuerat.

*ET potis es nigrum vitio præfigere theta.* Interuenit hic metonymia adiuncti pro ſubiecto, nempe vitij pro homine vitioſo, vt ſit ſenſus, poteſne damnare vitium, ſeu hominem vitioſum. Nam idem eſt Potis es, ac potes, ſeu potens es. Sic ille apud Cic. 2. Tuſcul.

> *Neque ſanguis ullo potis eſt pacto profluens conſiſtere.*

Et Virgil. 3. Æneid. verſu 670.

> *Verum ubi nulla datur dextram affectare poteſtas,*
>
> *Nec potis Ionios fluctus æquare ſequendo.*

In-

Interrogat igitur Socrates Alcibiadem, vel Neronem Perſius, num ſe putet ea præditum ſapientia, vt iuſtum ab iniuſto, virtutemque à vitio diſcernere poſſit, etiam quum in confinio, & vicinia, vnum ſub alterius latet ſpecie, & vitium, ſeu hominē vitioſum fortiter damnare, quod eſt illi præfigere nigrum theta.

*PRAEFIGERE* quandoque eſt claudere. Sic Virg. 3. Georg. verſu 398.

*Multi iā excretos prohibēt à matribus hædos,*
*Primaque ferratis præfigunt ora capiſtris.*

At hic propriè eſt ante figere, vt & apud Plinium lib. 33. cap. 4. *Alibi rupes inuię cæduntur, ſedemque trabibus cauatis prębere coguntur. Is qui cædet, funibus pendet, ut procul intuentibus ſpecies nefaria quidem, ſed alitum fiat: pendentes maiore ex parte librant, & lineas itineri præfigunt.* Sic Liuius lib. 26. cap. 4. *Inita tandem ratio eſt, ut quod uiribus deerat, arte ęquaretur. Ex omnibus legionibus electi ſunt iuuenes maximè vigore, ac leuitate corporum uelo ces. Eis parmæ breuiores, quam equeſtres, & ſeptena iacula, quaternos longa pedes, data, præfixa ferro, quale haſtis uelitaribus ineſt.* Præfigere ergo eſt id figere, quod extet, appareat, & cernatur: apparere autem debebat nota condemnetionis affixa ſuffragij calculo.

*THETA* eſt vnum ex characteribus alphabeti Græci, eamdem habens vim, quam T aſpirata apud Latinos, & quia ab hoc charactere incipit nomen Thanatos, Mortis, eo ſignificabatur mors, ſiue naturalis, ſiue ciuilis: vnde quum Iudices aliquem morte dignum cenſebant, calculum tali charactere ſignatu-

in

in vrnam conijciebant. Latini in ferendis ſuffragijs tribus vtebantur calculorum generibus, in vno nota erat A, ſignificans abſolutionem, & rei liberationem: in alio, C cōdemnationem: in tertio duo erant characteres N. L. Non Liquet, quæ ſententia ſi præualuiſſet, cauſa differebatur, quouſque plenioribus probationibus, poſſet definitiuè ſententiari. Denominatur autem Theta, nigrum, quia nigra, triſtia habebantur, & infauſta, qualis habetur mors, ad quam per hanc notam quis damnabatur, vt ſit his metalepſis, vel metonymia ſigni. Nec tantum in iudicijs, verum, & in nomenclaturis, maximè militum, erat huius notę vſus, nam quum ſtipendia facientes, ſua darent nomina, ſi eorum aliquis occubuiſſet, illius nomini Theta præfigebatur. Hinc Ruffinus in Hieronymum: *Si quis accepto breuiculo in quo militum nomina continentur, nitatur inſpicere quanti ex militibus ſuperſint, quanti in bello ciciderint, & requirens, qui inſpicere miſſus eſt, propriam notam V. C. vt dici ſolet θ, ad vniuſcuiuſque defuncti nomen adſcribat: & rurſum propria nota ſuperſtitem ſignet, numquid videtur is, qui notam ad defuncti nomen apponit, et propria rurſus nota ſuperſtitem ſignat, quod egerit aliquid, vt vel hic defuncti, vel ille viuentis cauſam acceperit.* Sic Alexander ab Alexandro dierum Genialium lib. 3 cap. 5. ait: *Apud Romanos, quandoq; inoleuit, vt in capitis iudicio per θ, vel X in vrnam coniectas litteras, ſignum mortis, & capitis ſupplicio afficiendum notarent: per T, & A, abſolutionem, per λ, & υ, prolationis, & diem diffundi,*

*fundi, quum parum ſibi liquere de cauſa ſignificarent, quæ ampliationis tabella dicta eſt. Z quoque in ſortibus inauſpicata fuit, & mali euentus. Nonnulli in nomenclatura militum, per τ ſuperſtites, per θ defunctos in acie, tribunos annotare prodiderunt. Alij calculo creta abſolutionis: carbone vero condemnationis ſymbolum indicarunt: tametſi iudices Romæ per tabellas, plerumque ferre iudicia inueniamus, quæ ſemel definita, reuocare non licebat.* Itaque theta, condemnationis, mortiſque erat ſignum: & hoc modo nunc ſumitur.

*QVIN tu igitur ſumma nequicquam pelle decorus ante diem blando caudam iactare popello deſinis, Anticyras melior ſorbere meracas.* Quin, quandoque idem valet, ac certè. Sic Plautus Amphit. Actu 2 ſcena 2.

*at pol quin certa res*
*Hanc eſt obiurgare.*

Quandoq; idem eſt ac, quod maius eſt, vel etiã imo, aut quinimmo. Sic Virg. 1 Æn. v. 283.

*quin aſpera Iuno.*

Sumitur etiam pro potius, vel quaſi non. Sic idem Virgil. eclog. 2. verſu 71. (*vſu*

*Quin tu aliquid ſaltem potius quorum indige*
*Viminibus, mollique para detexere iunco.*

Niſi mauis in hoc Virgilij loco. Quin accipere pro Quare non. Et ſimiliter pro potius, v[el] Quare non, ponitur hic à Perſio, vult enim imperito huic adoleſcenti, potius quam var[iam] iactantiam, conuenire abſtinentiam ab adul[a]tione: Vel eum interrogat, Quare non ceſſet captando populi plauſu.

*NEQVICQVAM* ſæpe eſt idem ac non: Virg. 1. Georg. v 191. *Ar*

*At ſi luxuria foliorum exuberat vmbra*
*Nequicquam pingues paleæ teret area culmos.*

Et ibi verſu 401.

*At nebulæ magis ima petunt, campoque recumbunt*
*Solis & occaſum ſeruans de culmine ſummo*
*Nequicquam ſeros exercet noctua cantus.*

Sed aliquando ſumitur pro fruſtra: Sic Cicero pro Quintio: *De ſaltu deijcitur Quintius. Quo die? Poſſumus hoc quoque ex te audire? Quid taces? Dic inquam diem. Pudet dicere. Intelligo, verum & ſero, & nequicquam pudet. Deijcitur de ſaltu, C. Aquili, pridie Kal. intercalares, biduo poſt, aut, vt ſtatim de iure aliquis cucurrerit, non toto triduo, ſeptingenta millia paſſuum conficiantur.* Et ita nunc pro fruſtra accipitur.

*SVMMA pellis* eſt extrema ſuperficies cutis, in qua ſpecies, ſiue pulchritudo, & formoſitas reſidet. Quamuis enim pulchritudo, potius, quam ex coloribus, ex apta conſurgat membrorum diſpoſitione, vnde Cic. 1. Offic. ait: *Pulchritudo corporis, apta membrorum compoſitione mouet oculos, & delectat, hoc ipſo, quod inter ſe omnes partes cum quodam lepore conſentiunt.* Nihilominus color etiam ipſam adiuuat, adeo vt idem Cicero lib. 4. Tuſcul. dicat: *Vt corporis eſt quædam apta figura membrorum, cum coloris quadam ſuauitate, eaq; dicitur pulchritudo:* ſic in animo opinionum, iudiciorũq; æqualitas, & conſtantia, cum firmitate quadam, & ſtabilitate, virtutem ſubſequens, aut virtutis vim ipſam continens, pulchritudo vocatur. Hæc autem coloris elegantia in extrema cute reſidet, & apparet, ideoque hic di-

tur eſſe in ſumma pelle. Hinc non conſentio interpretantibus decorem ſummæ pellis, de ornatu veſtium: nam licet pulchrę ſplendidæ, aptèque concinnatæ veſtes, naturali adiunctę corporis pulchritudini, eam augeant, iuxta Auguſtinum Sentium, dicentem in Err. Ven.

*Ornatu nullo potes ornatior eſſe,*
*Et tantum ornaris in mea damna nimis.*
*Ne te plus æquo ſpecies externa perornet,*
*Quum ſis plus æquo pulchra decore tuo.*

Quando tamen veſtes pretioſæ, de quibus dicere poſſet Martialis lib. 10. epigr. 89.

*Tales munditiæ decent puellas,*

coniunguntur corpori, natura, vel ætate deformi, eius augent fœditatem, vt Gallę, de qua Martial. lib. 9. epigr. 38.

*Quum ſis ipſa domi, mediaq; ornere Suburra,*
*Fiant abſentes, & tibi Galla comæ,*
*Nec dentes aliter, quam ſerica, nocte reponas,*
*Et iaceas centum condita pyxidibus,*
*Nec tecum facies tua dormiat, innuis illo,*
*Quod tibi prolatum eſt mane, ſupercilio.*

At hic decor ſummę cutis metaphoricè transfertur ad animum, cuius vitia, & virtutes, vt dicuntur habitus, ita & veſtes dici poſſunt, earumque ſæpe vitiorum fœda, honeſtiſſimis teguntur virtutum. Vnde hic hypocriſis notatur, qua primo Imperij quinquennio, Nero optimum ſe promittebat futurum Principem. Dempta enim iniuſta Imperij vſurpatione, & nefaria Britannici cæde, non multa peccabat, in Reip. ſaltem publica adminiſtratione, vt referunt Tacitus, Tranquillus, & alij, ideoque credebatur, Auguſti (ad cuius normam

ſe

ſe Remp.adminiſtraturum dictitabat) laudes obſcuraturus. Sed exacto quinquennio, priuata ſcelera in publicum prodire cęperunt, conſummationem inuentura in impijs occiſionibus Burrhæ, Senecæ, & matris Agrippinæ: quas tamen Perſius, mortuus octauo ipſius anno, oculariter videre non potuit; ſed vt erat acris ingenij, præuidit animo multo ante ſcelera nefanda, in quæ Principis Genius erumpere debebat. Itaque nunc ait: Fruſtra de forma gloriaris, vel exteriori corporis pulchritudine: vnde, ſi ſaperes, deſinere deberes rudis plebeculæ captare beneuolentiam, ei promittendo, quę numquam eris præbiturus.

*BLANDO popello*. Eſt in hac voce adulatoria blandities, & ſignificat populum minutũ, & vulgi fęcem, conſtantem ex æruſcatoribus, baiulis, agaſonibus, & ſimilibus. Blandus vero dicitur, qui in omnibus, & maximè in verbis, illecebris vtitur, ad alterius voluptatem. Sic Cic. de Amic. parum à fine ait: *Vt igitur & monere, & moneri proprium eſt veræ amicitiæ, & alterum liberè facere, non aſperè, alterum patienter accipere, non repugnanter: ſic habendum eſt, nullam in amicitijs peſtem eſſe maiorem, quã adulationẽ, blanditiam, aſſentationem; quamuis enim multis nominibus eſt hoc vitium notandum leuium hominum, atque fallacium, ad voluntatẽ loquentium omnia, nihil ad veritatem. Quum autem omnium rerum ſimulatio eſt vitioſa (tollit enim iudicium veri, idque adulterat) tum amicitiæ repugnat maximè, delet enim veritatem, ſine qua nomen amicitiæ ualere non poteſt: nam quum amicitiæ vis ſit in eo, ut unus quaſi*

*animus fiat ex pluribus, qui fieri poterit, ſi nec in uno quidem unus animus erit idemq; ſemper, ſed uarius, commutabilis, multiplex? Quid enim poteſt eſſe tam flexibile, tam deuium, quam animus eius, qui ad alterius, non modo ſenſum, ac uoluntatem, ſed etiam uultum, atque nutum, conuertitur?* Negat quis? nego Ait? aio. Poſtremo imperaui egomet mihi. Omnia aſſentari. *Vt ait Terentius, ſed ille ſub Gnathonis perſona, quod amici genus adhibere, omnino leuitatis eſt. Multi autem Gnathonum ſimiles, quum ſint, loco, fortuna, fama ſuperiores, horum eſt aſſentatio moleſta, quum ad uanitatē acceſſit autoritas. Secerni autem blandus amicus à uero, & internoſci tam poteſt, adhibita diligentia, quam omnia fucata, & ſimulata à ſinceris, atque ueris. Concio quę ex imperitiſſimis cōſtat, tamen iudicare ſolet quid interſit inter popularē, ideſt aſſentatorem, & leuem ciuem, & inter conſtantem, ſeuerum, & grauem. Quibus blanditiis C. Papyrius Conſul nuper influebat in aures concionis, quum ferret legem de Tribunis plebis reficiendis!* Eſt autem blandus fortè à βλάξ molli, vel plano, quibus nominibus ſignificatur impoſtor: vt blandus ſit, qui planis, mollibus, & ſuauibus verbis vtitur, ſed fallacibus. Et videtur nomen effictum, ad exprimendum molliuſculum litterarum ſonum, quo gaudēt palpantes, & qualis auditur in ſyllaba La, vel Bla, vſurpata à pueris, vnde eſt Lallare, vel blaterare, ſignificans inania fundere verba. Facilitas autem, ſiue mollicies ſoni, maxima eſt in littera L, ideoque vt R conuenit iratis, ita L mollibus, & blandientibus; indeque

di-

diminutiua efferuntur per L, vt puellus, ocellus, laoellus, & popellus hic. Itaque blandum eſt idem, ac molle, & tractabile, vt oleum, aut ſericum. Et quia plebs minuta, à magnatibus non exaſperata, immo fota promiſſis, illorum dictis ad ſui commodum, & vtilitatem facilè credit, erga eoſdem facilis eſt, ac tractabilis, ideo blanda, ideſt facilis ac mollis dici potuit. Blandus ergo popellus, dicta plebs Romana, è vulgi fœce coaleſcens, credens dictis Neronis, promittentis ſe optimum futurum Principem, nam ideo ei acclamabat, adeout ille de hoc gloriaretur, poſſetque ei conuenire illud Horatij lib. 1. epiſt. 16.

*Sed uides hunc omnis domus, & uicinia tota*
*Introrſum turpem, ſpecioſum pelle decora.*

*CAVDA*, à veteribus Latinis, vt nunc ab Italis Coda appellata, in auibus, plumea, in piſcibus pinnea, in quadrupedibus ferè oſſea, ex dorſi ſpina, ſiue è natibus pendet. Eius meminit Cicero 3 de Oratore cap. 16. dicens: *Eſt enim actio, quaſi ſermo corporis, quæ magis menti congruens eſſe debet. Oculos autem natura nobis, ut equo, & leoni ſetas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit.* Et Virg. 3. Georg. verſu 422.

*Iamque fuga timidum caput abdidit altè,*
*Quum medij nexus, extremaq; agmina caudæ*
*Soluuntur, tardoſq; trahit ſinus ultimus orbes.*

Dicitur autem cauda, vel quod intus ſit caua, ideſt vacua: vel à cœdo, diphtongo in au abeūte, quum hæc animalium pars, minimo eorum damno, abſcindatur. Ab hoc nomine venit caudex, & ab hoc adiectiuum caudeus, quo

vſus Plautus Rudente Actu 4.ſcena 4.

*Ciſtellam iſtic ineſſe oportet caudeam, in iſto uidulo,*

quam Feſtus interpretatur factam ex iunco ad inſtar equinæ caudæ. Et quia caudam dicebant codam, vt docet Feſtus, Codeta appellatur ager iuxta Tyberim, quod ibi naſcerentur virgulta, ſimilia caudis equinis. Ab eodem verbo cœdo, eſt nomen caudex, alius ſignificationis, nam importat truncum arboris, in plures craſſaſque tabulas ſecabile: quarum deinde contextus, etiã caudex dictus, & hinc naues caudicariæ, ſiue codicariæ. Et ſic Varro lib. 3. de vita populi Romani. Antiqui plures tabulas coniunctas, codices dicebant, à quo in Tyberi naues codicarias appellamus. Et Seneca de breuit. vitę cap. 13. *Hoc quoque quærentibus remittamus, quis Romanis primus perſuaſit nauem conſcendere; Claudius is fuit, Caudex ob hoc ipſum appellatus, quia plurium tabularũ contextus, caudex apud antiquos uocabatur, unde publicæ tabulæ codices dicuntur, & naues nunc quoque, quæ ex antiqua conſuetudine per Tyberim commeatus ſubuehunt, caudicariæ uocantur.* Quod autem codicem dicamus pro libro, nedum eſt ex eo, quia au frequenter tranſit in o, vt ſorex loco ſaurex, & olla loco aulę; ſed quia antiqui in tabulis ſcribebant, ex caudice factis, ceraque inductis, & vt apud Chariſium lib. 1. ait Varro, in eis olle ſcribebant, hinc ibi Titianus ait: Vellem olle arare campum cereum: ſed deinde commodior viſus eſt vſus ſtili ferrei. A codice demum ſunt codicilli, dicti diminutiuè quaſi minores tabulæ,

quı-

quibus, maioris commodi cauſa, vſi, etiam poſt chartæ inuentionem, ſi enim non adeſſet charta, vel atramentum, (vt ſolet accidere in itinere) codicillos mittebant ſtilo ſcriptos. Sic Cicer. lib. 4. epiſt. 12. *Quum non longe à Piræeo abeſſem, puer Acidini obuiam mihi uenit cum codicillis, in quibus erat ſcriptum, paulo ante lucem Marcellum diem ſuum obijſſe.* Et lib. 6. epiſt. 18. ait: *Simul ut accepi à Seleuco tuo literas, ſtatim quæſiui à Balbo per codicillos, quid eſſet in lege.* Aliquando vero codicillos non mittebant, ſed eis inſcribebant, quę deindè, mittendis chartis mandarent: Sic Cicero lib. 9. epiſt 26. *Accubueram hora nona, quum ad te harum exemplum in codicillis exaraui.* At nunc codicilli ſunt parua teſtamenta, quibus additur, vel ſuppletur voluntati teſtatoris teſtamento expreſſæ.

*IACTARE*, frequentatiuum à verbo iacio, à quo iaculum, vt iacere rete, verba, vel fundamenta. Hinc iactare eſt frequenter iacere. Sic Virg. 1. Georg. verſu 61.

*Quo tempore primum*
*Deucalion, uacuum lapides iactauit in orbem.*

Sed aliquando eſt concutere, vel fatigare. Sic Virg. 1. Æn. verſu 33.

*His accenſa ſuper, iactatos æquore toto*
*Troas relliquias Danaū, atq; immitis Achillis*
*Arcebat longe Latio.*

At omiſſis alijs huius verbi ſignificationibus, iactari, eſt gloriari, & ſeipſum efferre. Sic Cicero pro Roſcio Amœrino: *Hęc tu Eruci tot & tanta ſi nactus eſſes in reo, quamdiu diceres? quomodo te iactares?* Et ita hic iactare caudam

blando popello eſt ſeſe efferre, ad inſtar pauonum, qui caudæ expanſione, fœminis ſuæ ſpeciei, alijſque ſpectantibus, quaſi ad eorum detinendam admirationem, ſeſe efferunt. Sic Plinius lib. 10. cap. 20. *Pauo gemmantes laudatus expandit colores*, aduerſo maximè ſole, quia ſic fulgentius radiant. Simul vmbræ quoſdam repercuſſus cæteris, qui in opaco clarius micant, conchata quærit cauda, omneſque in aceruum contrahit pennarum, quos ſpectari gaudet, oculos. Vel ad inſtar canum, qui caudę iactatione, adulantur, ſiue blandiuntur hominibus, quos diligunt, vel à quibus boni aliquid expectant. Id vero turpe eſt in Principe erga plebeios: vnde quod hic dicitur: *Quare non deſinis iactare caudam blando popello*, ſi accipiatur vt à Socrate dictum in Alcibiadem, ſenſus erit: Quare non mutas propoſitum, vt priuſquam populi gratiam, vanis artibus, oſtentando eloquētiam, nobilitatem, formam, atque diuitias, ſtudeas comparare, ſolidas, veraſq; virtutes nauiter eis incumbēs, vt ea poſſideas, quibus nunc te eſſe expertem probe nouiſti, & ſunt politico homini apprime neceſſaria. Popellus enim iſte, qui nunc, veluti canis, acclamando, tibi blanditur, dona & beneficia à te expectās, paratus eſt in te latrare, ſi quid in eum peccaueris, immo etiam abſque tua culpa, à quocumque irritatus, te mordere. Hæc enim erat populi Athenienſis, immo & omnium Græcorum inſtabilitas, atque leuitas, vt quamuis populus ille ſuaptè natura mitis foret, ac benignus, nullo tamen negocio, ad quodcumque impellebatur ſcelus, vt probant

bant tot indignæ illuſtrium ex illa Rep. virorum, cædes, vel exilia. Accipiendo vero, vt dicta in Neronem, ſenſus erit: Quum ſis tibi cōſcius ignorantię, imprudentiæ, aliorumque defectuum, quare non deſinis apud Senatum, & populum te optimum venditare principem. Audiſſe namque potuiſti, vulgo manifeſtum, Platonis dictum, Reſp. tunc fore beatas, quando earum Rectores ſapientiæ ſtuderent; Tu vero ſapientiæ numquam communicaſti, immo ſæuitiæ, iniuſtitiæ, ac libidinibus te totum addixiſti, vt nullatenus Reip. vtilis eſſe poſſis. Nam etiam ſi quidquā opereris boni, id non rectè facis, quia hypocriſi, & laudis ex affectatione. Mitte igitur auiditatē Reip. adminiſtrādæ, ſaltem quouſq; adeptis virtutis præſidijs, par eſſe poſſis tantæ moli regendæ: Sic enim ſi quid nunc operaris boni, poteris in eo creſcere, & confirmari: ſin quidquam mali (vt multa domi, foriſque peccas) illud corrigas, & emendes. Populo ergo caudam iactabat Nero, ſimulās ſe laudabilia facere, vel ea verbis promittendo, quibus optimum ſe venditabat Principem, vt quum Conſulatum iniens cum L. Antiſtio, iuxta Tacitum lib. 13. cap. 3. *Quum in acta Principum iurarent Magiſtratus, in ſua acta collegam Antiſtium iurare prohibuit, Magnis Patrum laudibus, ut iuuenilis animus, leuium quoq; rerum gloria ſublatus, maiores continuaret*. Sic teſte Suetonio Nerone cap. 10. *Vt certiorem indolem oſtenderet, ex Augusti præſcripto imperaturum ſe profeſſus, neq; liberalitatis, neque clementiæ, nec comitatis quidem exhibendæ, ullam occaſionem omiſit. Grauiora uectigalia*

*galia aboleuit, aut minuit: pręmia delatorum Papiæ legis ad quartas redegit, diuiſis populo uiritim quatrincentis numinis; Senatorum nobiliſſimo cuiq; ſed à re familiari deſtituto, annua ſalaria, & quibuſdam quingena conſtituit: Item Prętorianis cohortibus frumentum menſtruum gratuitum. Et quum de ſupplicio cuiuſdam capite damnati, ut ex more ſubſcriberet, admoneretur:* Quam uellem, *inquit, neſcire litteras. Omnes ordines ſubinde, ac memoriter ſalutauit. Agēti Senatui gratias, reſpondit: Quum meruero: innuens, in animo habere maiora, & gratiora ſe exhibiturum.* Et his dictis, factiſque ſuis, popularem venabatur gloriam, caudamque iactabat popello, in quo etiam ſenſu iactandi verbo vſus Iuuenalis, dicens ſat. 1. verſ. 58.

*Qui bona donauit præſepibus, & caret omni*
*Maiorum cenſu, dum peruolat axe citato*
*Flaminiā, puer Automedon nam lora tenebat*
*Ipſe lacernatæ, quum ſe iactaret amicæ.*

*ANTICYRA* dicebatur inſula quędam Phocidis, iuxta Cyrrhā, in Corinthium ſinum verſa, quā quidā duplicato R, Anticyrrhā vocāt, cuius meminit Plin. l. 4. cap. 3. Sed nō eſt nunc de ea ſermo. Anticyra etiam eſt in ſula ſinus Meleaci, iuxta montem Oetam, in qua iuxta Plinium lib. 25. cap. 5. elleborum innoxiè ſumebatur. Sic enim ait: *Nigrum elleborum purgat per inferna, candidum autem vomitione, cauſaſque morborum extrahit, quondam terribile, poſtea tam promiſcuum, vt plerique ſtudiorū gratia, ad peruidenda acrius, quę commentabantur, ſæpius ſumptitauerint, Carneadem reſponſurum Zenonis libris, Druſum quoque apud nos Tribunorum populariam clariſſimum, cui ante*

*omnes plebs ſtans plauſit, Optimates vero bellum Marſicum imputauere, conſtat hoc medicamento liberatum comitiali morbo in Anticyra inſula, ibi enim tutiſſime ſumitur, quoniam Seſamoides admiſcent*: Italia veratrum vocat. De hac ergo inſula Anticyra, in qua elleborum innoxiè ſumebatur, eſt nunc ſermo.

*MERACVM* à mero, vel à Græco μόνος ſolus, vnde auis merula, quod ſit ſoliuaga, & ſola paſcatur. Sic Apuleius: *Nullis tabulis, ſed, ut æquum erat, mera fide acceptum, filijs dabat*: vbi mera fide, dixit, pro ſola abſque cautione ſcripturæ, vel teſtium. A mero ergo eſt meracum quo vſus Plinius lib.23. cap.1. *In diutina tuſſi, ſorbetur merum vtiliter à ieiunis*. Et ibidem: *Meracis potionibus per viginti dies ante canis ortum, totidemque poſtea, ſuadet Heſiodus vti. Merum quidem remedium eſt contra cicutas, contraque omnia, quæ refrigerando necant. Item contra inflationes, roſioneſque præcordiorum, & quorum ſtomachus in vomitiones effunditur, & ſi venter, aut interanea rheumatiſmum ſentiant: dyſſentericis, ſudatoribus, in longa tuſſi, in epiphoris, meracum: at vero cardiacis in mamma læua, merum in ſpongia imponi, prodeſt*. Itaque meracum eſt cui alius generis nihil eſt admixtum, vt vinum meracum, & meraca aqua. Anticyræ vero meracæ, ſunt potiones ex elleboro puro, quæ vt ex Plinio diximus innoxiè ſumebantur in inſula Anticyra. Et hic interuenit metonymia loci pro re, quæ naſcitur, vel fit in loco. De hac medicina plura ad illa verba ſatyræ 1. verſu 50.

*Non hic eſt Ilias Acci ebria veratro.*

Et

Et ad illa ſat.3. verſu 63.

*Elleborum fruſtra.*

Meracarum ellebori potionum meminit Hor. dicens lib.2. epiſt.2.

*fuit haud ignobilis Argis,*
*Qui ſe credebat miros audire tragœdos*
*In uacuo lætus ſeſſor, plauſorq; theatro.*
*Cętera, qui vitæ ſeruaret munia, recto*
*More, bonus ſanè vicinus, amabilis Hoſpes,*
*Comis in vxorem, poſſet qui ignoſcere ſeruis,*
*Et ſigno læſo, non inſanire lagenæ.*
*Poſſet qui rupem, & puteum vitare patētem;*
*Hic vbi cognatorum opibus, curiſq; refectus*
*Expulit elleboro morbum, bilemque meraco,*
*Et redit ad ſeſe: Pol me occidiſtis amici*
*Non ſeruaſtis ait, cui ſic extorta voluptas,*
*Et demptus per vim, mentis gratiſſimus error.*

*MELIOR*, comparatiuum à poſitiuo, bonus, cuius ſuperlatiuum, Optimus. Quum bonum ſit, quod omnia appetunt, ſi duo bona proponantur alicui, vt eorum alterum eligat, comparatio inter illa inſtituitur, vt ſi ille è duobus vnum elegerit, dixeritque: Hoc potius velim, ſeu Hoc mauelim, ideſt magis velim, vel, per ſyncopen, Hoc malim, videatur dixiſſe: Hoc eſt illo melius, & ita melius, ſiue melior, deriuatur ex mauelis, ſiue malis, & eſt comparatiuū. Superlatiuum vero deriuatur ex verbo, opto, ſiue ex Græco ποθῶ deſidero. Alij hoc comparatiuum deriuant à melle, quaſi melīor ſit mellitior, hoc eſt dulcior. Alij à mollius: quaſi ille ſit melior, qui ſit mollior, ſeu minus durus, ac ferus. Itaque Alcibiades, vel Nero nunc dictus melior ſorbere meracas Anti-

cyras, quia hæ magis ei erant proportionatæ, quam Reip. adminiſtratio.

*QVÆ tibi ſumma boni eſt?* Socrates vt Alcibiadem, vel poeta, vt Neronem, impudentis conuincat ignorantiæ, prouocat illum ad cuiuſdam controuerſiæ ſolutionem, ex qua inſcitiæ argueretur. Controuerſia erat: Quænā illi foret ſumma boni, i. eſt Quem nam exiſtimaret eſſe finem vltimum humanæ vitæ, operationumque humanarum. Coincidunt enim Finis vltimus, & ſumma boni, ſeu ſummum bonum, idemue ſunt: Philoſophorum omnium decretum fuit, totius humanæ vitæ, cunctorumque illius officiorum radicem, eſſe Finis vltimi præſtitutionem, quo rectè conſtituto, officia omnia rectè, & ordinatè procedēt: contra, ſi quoad ſubſtantiam, vel modum, fuerit perperam propoſitus, nequibunt officia ad rationis, vel honeſtatis normam procedere, vt diximus ad illa verba ſatyræ 3. verſu 60.

*Eſt aliquid quo tēdis, & in quod dirigis arcū?* ex Cicerone 5. de Finibus. Summum autem bonum, ſiue finem vltimum, conſtituunt quidam, vt Zeno & Stoici, in ſola honeſtate. Alij, vt Epicurus, & Epicuræi, in ſolis corporis voluptatibus: Alij, vt Plato, Ariſtoteles, & Academici, principaliter in honeſtate virtutis, ſecundario tamen, & acceſſoriè, etiam in bonis naturæ, atque fortunæ. Et iuxta quod quilibet ſummum bonum, finemque vltimum pro ſcopo ſibi conſtituerat, ad illum ſuæ dirigebat vitæ officia, nā qui in honeſtate ſola locabāt, reliqua, nedum fortuita, & externa, ſed ipſam corporis libertatē, integritatem mēbrorum, &

vi-

vitam, floccifaciebant. Contra qui voluptatem ſummum faciebant bonum, virtutem quoque repudiare debebant, ſi eam voluptati eſſe iudicabant impedimento: nam ideo quaſi deſultorietatis arguitur Epicurus à Cicer. 5. Tuſc. quia voluptatem ponens ſummum bonum, nihilominus negabat, *quemquam poſſe iucundè viuere, niſi honeſtè, & ſapienter, & iuſtè viueret.* Et 2. de Finibus. *Beatæ vitę domina fortuna, quam Epicurus ait, exiguam interuenire ſapienti, age inquies, iſta parua ſunt, ſapientem locupletat ipſa natura, cuius diuitias Epicurus ipſe parabiles eſſe docuit. Hęc benè dicuntur, nec ego repugno, ſed inter ſeipſa pugnant: negat enim tenuiſſimo uictu, ideſt contemptiſſimis eſcis, & potionibus minorem uoluptatem percipi, quam rebus exquiſitiſſimis ad epulandum. Huic ego, ſi negaret quidquam intereſſe ad beatè uiuendum, quali uteretur uictu, concederem, laudarem etiam, uerum enim diceret: idque Socratem, qui uoluptatem nullo loco numerat, audio dicentem: cibi condimentum eſſe famem, potionis ſitim: ſed qui ad uoluptatem omnia referens, uiuit ut Gallonius, loquitur ut Frugi ille Piſo, non audio: nec enim eum, quod ſentiat, dicere exiſtimo. Naturales diuitias dixit parabiles eſſe, quod paruo eſſet natura contenta, certè, niſi uoluptatem tanti æſtimaretis. Non minor inquit uoluptas percipitur tam ex uiliſſimis rebus, quā ex pretioſiſſimis: hoc eſt non modo cor non habere, ſed ne palatum quidem: qui enim uoluptatem ipſam contemnunt, iis licet dicere ſe acipenſerem menæ non anteponere: cui uero in uoluptate ſummum bonum eſt, huic omnia ſenſu, non ratione ſunt iudicanda,*

*canda, eaque dicenda optima, quæ ſint ſuauiſſima.* Et infra: *Intellige facta eius,* Epicuri, *cum dictis diſcrepares Epicurus Hermacho ſalutem.* Quum ageremus, *inquit*, vitæ beatum, & eumdem ſupremũ diem, ſcribebamus hęc. Tanti autem morbi aderant, veſicæ & viſcerum, vt nihil ad eorum magnitudinem poſſit accedere: *Ecce miſerum hominem, ſi dolor ſummum malum eſt: dici aliter non poteſt, ſed audiamus ipſum.* Compenſabatur tamen, *inquit*, cum his omnibus animi lætitia, quam capiebam memoria rationum, inuentorumque noſtrorũ. Sed tu, vt dignum eſt tua erga me, & erga philoſophiam voluntate, ab adoleſcentia ſuſcepta, fac vt Metrodori tueare liberos *.** compenſabatur, *inquit*, cum ſummis doloribus lætitia. *Audio quidem philoſophi uocem, Epicure, ſed quid tibi dicendum ſit, oblitus es. Primum enim, ſi uera ſunt ea, quorum recordatione te gaudere dicis, hoc eſt, ſi uera ſunt tua ſcripta, & inuenta, gaudere non potes, nihil enim iam habes, quod ad corpus referas: eſt autem à te ſemper dictum, nec gaudere quemquam niſi propter corpus, nec dolere. Pręteritis, inquit, gaudeo. Quibuſnam præteritis? Si ad corpus pertinentibus, rationes tuas te uideo compenſare cum iſtis doloribus, non memoriam corpore perceptarum uoluptatum. Si autem ad animum, falſum eſt, quod negas, animi ullum eſſe gaudium, quod non referatur ad corpus.* Nunc ergo rogat, in quo rerum genere vltimum poſuerit finem, num in virtute, an in voluptate, an in alia quapiam re.

*VNCTA vixiſſe patella ſemper, & aſſiduo curata*

*rata cuticula ſole*. Exprimitur his verbis reſpōſio Alcibiadis, ſiue Neronis ad propoſitam quæſtionem, de eo, in quo ſummum bonum, & vltimum finem conſtitueret. Reſpondet. In eo, vt me perpetuo lauta excipiam menſa, & corpus vnctionibus curem. Vnctā autem dixit patellā per metonymiam continentis, Non enim patella, ſed cibi in ea poſiti condiuntur, & vnguine præparantur. Vnctum enim eſt ab vngo, vel vnguine, quod eſt pinguedo, qua cibi obſonati, palato redduntur gratiores. Hinc Horat. lib. 1. epiſt. 14.

*Fornix tibi, & vncta popina*
*Incutiunt Vrbis deſiderium.*

*VIXISSE* per henallagem temporis dictum pro Viuere, quod eſt, ducere vitam, ſeu eſſe in viuis, quod accidit quamdiu anima non eſt à corpore ſeiuncta. Sic Cicero de ſenectute: *Nemo eſt tam ſenex, qui ſe annum non putet poſſe viuere*. Sæpe viuere eſt lætam ducere vitam. Sic Plaut. Mil glor. Actu 4. ſcena 8.

*Conſerui, conſeruæque omnes, benè valete, & viuite.*

Et Martial. lib. 1. epigr. 71.

*Non eſt, crede mihi, ſapientis dicere, Viuam,*
*Sera nimis eſt uita craſtina, uiue hodie.*

Et Catullus carm. 15.

*Viuamus mea Leſbia, atque amemus.*

Viuere etiam ſumitur pro operari, nam operatio eſt vitæ indicium, ſiquidē anima vitam tribuens, eſt etiam operandi principium. Vnde quum dicunt: *Viuere uiuentibus eſt eſſe*, per tò Viuere, operari ſapientiores intelligunt. Et ita hic: *Vixiſſe uncta patella*, eſt conſtituiſſe finem vl-

vltimum in opipare obſonando, idque non ſemel aut bis, ſed, vt hic dicitur, ſemper, & omni die.

*PATELLA* eſt à patulo, ſiue à patẽdo, vel à πάτανη, ſicut catinus eſt à κάτανος. A πατάνη autem immediate venit patina, quæ quoad vſum eo differt à lancibus, quod his fructus, carnes aſſæ, & ſimilia menſæ inferebantur, patinis autem iurulenta condiebantur: ideoque operculum habebant, ſicut & patella, vnde eſt illa prouerbialis locutio: *Dignum patella operculum*: Patella ergo eſt per diminutionem à patina, nam inde fit patinula, & patinella, indeque per ſyncopen, patella. Et his cibi ad ignem parabantur, vt ſupra ſat. 3. uerſu 26.

*Cultrixque foci ſecura patella.*

Hinc ergo uult aſſiduè unctam, ideſt cibos iurulentos in ea lautè opiparéque obſonatos, hinc egregiè conditos.

*ASSIDVO*, ideſt iugi, perpetuo, ſiue frequẽti, ut interpretabamur ad illud ſat. 3. uerſ. 1.

*Nempe hoc aſſiduè.*

Aſſiduus enim iuxta Feſtum eſt, qui in re quã frequẽter agit, quaſi conſediſſe uidetur. Et ita videtur dictum à ſedendo, ideoque ſcribi deberet cum D adſiduus, ut à reſidẽdo reſiduus, & à deſidẽdo, deſiduus. Et ita dicimus. Vnumquemque in re propria eſſe adſiduum, occupárique adſiduè in proprijs. Alij aſſiduum deriuant ab aſſibus, quaſi locupletem, & multorum aſſium poſſeſſorem, uel ab aſſe dando, uel qui ſuis aſſibus, ideſt ſuo ære militabat, quaſi qui aſſem duit, ideſt dat. Sic Cicero in Topica: *Notatio, quum ex ui uerbi argumentũ*

*ali-*

*aliquid elicitur, hoc modo: Quum lex Ælia Sentia aſſiduo uindicem aſſiduū eſſe iubeat, locupletem iubet locupleti, is eſt aſſiduus, ut ait Ælius, appellatus ab ære dando.* Aſſidui originationis ab aſſibus, hanc reddunt cauſam: Quum Seruius Tullius populum in claſſes diſtribuiſſet, iuſſiſſetque, ut tributum quiſq; inferret iuxta modum ſuarum facultatum, ditiores qui aſſes dabant, aſſidui dicti ſunt: Et quia ſoli publicis aderant negocijs, & frequẽtes, hinc qui frequentes ſunt, aſſidui ab aſſibus dicti. Originationis uero à ſedendo, talis redditur cauſa. Nam qui non indigent labore manuum uictum ſibi parare, molliuſcule uiuentes, domi ſedent, ſuis incubantes diuitijs, ipſiſque adſident, quod negatur pauperibus. Cutis ergo curata ſole aſſiduo, eſt diu, & longo tempore ſoli expoſita.

*CVTICVLA* eſt diminutiuum a cute. Cutis autem eſt pellis, ſeu coirum, ſic dicta a σκύτος ideſt pellis, abſecto S, ut in alijs accidit A cute ſunt compoſita Recutitum, intercus, & alia. Et eſt diminutiuum cuticula, ut nunc, poſita ad deſignandam huius adoleſcentis mollitiẽ, & effœminationem. Inter corporis uoluptates numerabatur cutis curatio, hinc Horat. lib. 1. epiſt. 2.

*In cute curanda plus æquo operata iuuentus,*
*Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, &*
*Ad ſtrepitum cytharæ ceſſantem ducere curā.*

Et idem Horat. lib. 1. epiſt. 4.

*Me pinguem, & nitidū bene curata cute viſes,*
*Quum ridere uoles, Epicuri de grege porcum.*

Curabatur autem cutis per unctionem, ſimpli-

plicis quidem olei a tenuioribus, a ditioribus uero etiam pretioſis unguentis: & hanc unctionem (quo olei,ſiue unguenti uis,ad interiora penetraret) ſequebatur apricatio ad ſolem, uel ad ignem, quam dicebant inſolationem,& corporis,uel cutis curationem:ſed potius cutis, quia corporis curationis nomine, ſibi intelligebant ſumptionem.Sic Celſus lib. 1. cap.3.ait: [ Communia omnibus ſunt, poſt fatigationem cibum ſumpturis, ubi paullum ambulauerunt;ſi balneum non eſt,calido loco, uel in ſole,uel ad ignem ungi, atque ſudare: ſi eſt, ante omnia in tepidario reſidere, deinde, ubi paullum conquieuerunt, intrare,& deſcēdere in ſolium,tum multo oleo ungi,leniterq: perfricari,iterum in ſolium deſcendere; poſt hæc os aqua calida fouere, deinde frigidam: balneum his feruens, idoneum non eſt. Ergo ſi nimium alicui fatigato pene febris eſt, huic abundè eſt, loco tepido demittere ſe inguinibus tenus in aquam calidam, cui parum olei adiectum ſit; deinde totum quidem corpus, maximè tamen eas partes, quæ in aqua fuerunt, leniter perfricare ex oleo,cui uinum, & paullum contriti ſalis ſit adiectum.] Et eodem cap.ſubdit: Ei qui perfrixit,opus eſt balneo primum inuoluto ſedere, donec inſudet, tum ungi, deinde lauari,cibum modicum, deinde potiones meracas, aſſumere. ] Et ibid. cap. 2. ait: Quem interdiu uel domeſtica, uel ciuilia officia tenuerunt,huic tempus aliquod ſeruandum curationi corporis ſui eſt:prima autem eius curatiò, exercitatio eſt, quæ ſemper antecedere cibum debet, in eo, qui minus

laborauit,& benè concoxit,amplior:in eo,qui fatigatus eſt, & minus concoxit, remiſſior. Commodè uero exercent, clara lectio, arma, pila,curſus,ambulatio: atque hęc non utique plana commodior eſt, ſiquidem melior aſcenſus quoque, & deſcenſus cum quadam uarietate corpus mouent, niſi tamen id perquam imbecillum eſt. Melior autem eſt ſub diuo, quam in porticu: Melior (ſi caput patitur) in ſole, quam in umbra: melior in umbra, quam parietes,aut uiridaria efficiunt,quam quæ tecto ſubeſt:Melior recta,quam flexuoſa. Exercitationis autem, plerumque finis eſſe debet ſudor,aut certè laſſitudo,quæ citra fatigationem ſit, idque ipſum modo minus, modo magis faciendum eſt: Ac ne his quidem athletarum exemplo, uel certa eſſe lex, uel immodicus eſſe labor debet. Exercitationem rectè ſequitur modo unctio,uel in ſole,uel ad ignẽ, modo balneum, ſed in conclaui, quam maximè, & alto, & lucido, & ſpatioſo. ] Sic ergo cutem curabant unctione,& inſolatione, ideſt unguenti in cute, ſiccatione. Hinc Iuuenalis in fine ſatyræ II.

*Noſtra bibat uernum contracta cuticula ſolẽ*
*Effugiatque togam. Iam nunc in balnea ſalua*
*Fronte licet vadas, quamquam ſolida hora ſuperſit*
*Ad ſextam,facere hoc non poſsis quinq; diebus*
*Continuis, quia ſunt talis quoq; tædia vitæ*
*Magna: voluptates commendat rarior vſus.*

In his ergo corporeis uoluptatibus, & cura cutis, ultimum ponebat finem luxurioſus hic adoleſcens,ut qui eorum foret unus, de quibus

bus dixit Apoſtolus Philip. 3. *Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem, et flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.* Verum puto in his verbis eſſe ſenecdochen. Licet enim Nero multum in his luxuriæ peccauerit ſpeciebus, reſpectu tamen aliorum, videri poterat hoc leue, vel nullum peccatum. Sed Perſius, ne deprehenderetur in Neronem dicere, prudenter maiora illa, & Principis propria, ſilentio tegit, contentus communia recenſere.

*EXPECTA. Haud aliter reſpondeat hæc anus. I nunc.* Omnes ferè legunt *Expecta.* Sed pauci malunt *En ſpecta*, quaſi dixiſſet: Videſne deliram hanc vetulam? Hæc ſi de propoſita quæſtione rogetur, non reſpondebit deterius, quam tu reſpondiſti, vt rubore perfundi debeas, te, tam alta natum fortuna, populi agentem Rectorem, nil melius ſentire de ſummo bono, quam anus delira. Sed nulla ſubeſt cauſa recedendi à communi lectione, quam ſenſus eſt idem, & eadem ſyllabarum quantitas, & inſuper habetur moratæ orationis ſchema, quum videatur dixiſſe: Tu quidem tantus vir, diuitijs nobilitate, & magiſtratu præpollens, inſipientiæ conuinceris, conſtituens vltimum finem in voluptatibus corporis, Quid enim deterius ſapere poſſet abiectiſſimus calo, vel lixa? Et vt quæ dico vera eſſe noueris, ſciſcitare de propoſita quæſtione, aliquē de infima plebis, & ruſticorum fęce, immo expecta, roga tranſeuntem hanc anum olitricem, & quum

iſtam

iſtam nihil deterius reſpondentem audieris, erubeſcere debebis. Quod autem to, expecta, ad moratam pertineat orationem, colligitur nedum ex illo Iuuen. ſat. 10. verſu 248.

*Felix nimirum, qui tot per ſecula mortem*
*Diſtulit, atq; ſuos iam dextera cōputat annos*
*Quique nouū toties muſtum bibit. Oro parūper*
*Attendas* (hoc eſt expecta) *quantum de legibus ipſe queratur*
*Fatorum*.

Sed etiam ex illo Senecæ, dicentis 5. de beneficijs cap. 12. *Videor tibi, iam illud, quod in principio dixeram, mentitus? Dicis me abeſſe ab eo, qui operę pretium facit: immo totam operam bona fide perdere? Expecta, etiam hoc verius dices, ſimul ac te ad has latebras perduxero, à quibus, quum euaſeris, nihil amplius aſſecutus eris, quam vt eas difficultates effugeris, in quas licuit non deſcendere*. Annus autem ſecundæ coniugationis, & generis maſculini, primam producit, & dicitur ab am, & circum, deſignatque figuram orbicularem, indeque annulus, ſiue anulus (antiqui enim iuxta Quintil. l. 1. c. 7. conſonantes non geminabant) & anni tam ſolares, quā lunares: quia in ſe redeunt ad inſtar anuli ab am, & circū ſunt. Et ſumitur paſſim pro podice, nempe ab illius orbiculari figura. Quidā ab eadē ethymologia, nempe ab am, & circū deriuant vocē anus pro vetula, quia ſenilia corpora, plurimum à capite ad pedes incuruantur: ſed huic deriuationi adhærere non poſſum, quia anus pro vetula, primam corripit, & eſt coniugationis quartæ, & fœminei generis. Dico ergo anum pro vetula, dici ab *α* pri-

priuatiuo, & voce νοῦς nempe ſenſus, quaſi ſit ſine ſenſu, & propterea dicitur delira. Sic Cicero 1. Tuſculan. *Soleo ſæpe mirari nonnullorum inſolentiam philoſophorum, qui naturę cognitionem admirantur, eiuſq; inuentori & principi gratias agunt, eumque venerantur vt Deum; liberatos enim ſe per eum dicunt grauiſſimis dominis, terrore ſempiterno, & diurno, ac nocturno metu. Quo terrore? Quo metu? Quæ eſt anus tam delira, quæ timeat iſta, quę vos videlicet, ſi phyſica non didiciſſetis, timeretis:*

Acherontia templa alta, Orci pallida
Leti obnubila, obſita tenebris loca.

Et de Diuinat. lib. 2. *An tu cenſes vllam anum tam deliram futuram fuiſſe, vt ſomnijs crederet, niſi iſta caſu, nonnumquam temere fortè concurrerent?* Fœminæ namque plerumque imbecillioris ſunt intellectus, & quum ad ſenectutem venerunt, parum illud quod habuerant, amittunt, fiuntque deliræ. Hinc ad Neronis confuſionem hic dicitur, anum olitricem non poſſe deterius ſentire de vltimi finis conſtitutione, quam ipſe. Additur vero *I nunc*, quaſi diceret: Iam expoſui, quod dicere volebam, & ob quod te moratus fueram, dicendo, Expecta: ideo nunc pergere potes quo lubet.

*DINOMACHES ego ſum. Suffla. Sum candidus. Eſto, Dum ne deterius ſapiat pannucea Baucis, Quum benè diſcincto cantauerit ocyma vernæ. Dinomaches ego ſum*, ideſt ſum filius Dinomaches. Vt enim refert Plutarchus in Alcibiade: Dinomache Thraciæ Regis, ex Aiace deſcendentis, filia, Cliniæ nupſit, ex quo Alcibiadem concepit, & peperit. Meminit autem

Dinomaches potius, quam Cliniæ, quia illa proximius Reges attingens, maiorem transfūdere videbatur in prolem nobilitatem: Et vt tacitè Neronem deſignaret, qui, ex parte Domitij patris, nullum ferè cenſebatur habere ſplendorem: nobiliſſimus tamen erat ex parte matris Agrippinæ, quæ Auguſti proneptis, Tiberij neptis, Germanici filia, Caligulæ ſoror, Claudio ſecundò nupta, ex tot partibus eos attingebat, qui Romano, ideſt Orbis terrarum potiti fuerant imperio. Cuius Agrippinę matris merito, immo artibus, & ingenio, Nero à Claudio (etiam in Britannici legitimi, & naturalis filij præiudicium) adoptatus, ad imperium ſibi viam muniuerat: Itaque Nero gloriabatur dicens: Dinomaches, ideſt Agrippinæ ſum filius.

*SVFFLARE* eſt afflare ex parte inferiori, vt faciunt, qui follibus, vel buccis ventum in prunas emittendo, flammam excitant. Sic Plinius, loquens de nobilitate operum ex ære, lib. 34. cap. 8. ait: *Buthyreus Lycius Myronis diſcipulus fuit, qui fecit, dignum præceptore puerum, ſufflantem languidos ignes: & Argonautas*. Nonnumquam ſufflare eſt inſuſurrare, ſiue clam, & ſecretè ad aures loqui. Sic Plautus Caſina Actu 3. ſcena 3.

*Arceſſiui, ut iuſſeras:*
*Verum hic ſodalis tuus amicus optùmus,*
*Neſcio quid ſe ſufflauit vxori ſuæ:*
*Negauit poſſe, quando arceſſo, mittere.*

Inflare dixit Horat. 2. ſerm. ſat. 5.

*Importunus amat laudari, donec ohe iam*
*Ad cælum manibus ſublatis dixerit, vrge &*

*Cre-*

*Creſcentem, tumidis infla ſermonibus vtrem.*
Sæpe ſufflare eſt intumeſcere, ſiue extendere, vt pelles, & buccæ, flatu tumeſcunt, & extenduntur. Sic Plautus Sticho Actu 5. ſc. 4.

*Age tibicen quando bibiſti, refer ad labia tibias* (*beſtia.*
*Suffla celeriter tibi buccas, quaſi proſerpens*

Indeque metaphoricè, quia ſic intumeſcentes, maiores quam ſint, videntur, ſufflati, & inflati dicuntur vani, & glorioſi, maiores aſſumentes ſpiritus, vt erat ille, de quo dictum ſat. 3. verſu 27.

*An deceat pulmonem rumpere ventis*
*Stemmate quod Thuſco, ramum milleſime ducis, &c.*

Et ita nunc ſumitur pro gloriari de diuitijs, potentia, & generis claritate.

*SVM CANDIDVS.* Ait glorioſus adoleſcés Alcibiades, ſiue Nero, indignans ſe, in ſenſu, & ſapientia, deliræ anui parem exiſtimatum. Candidum autem eſt, ſplendida, ac nitenti albedine decoratum. Non enim aſſentior Iſidoro dicenti 10. Originum, Candidus quaſi candor datus: ſtudio enim accedit cãdor, nam album natura, candidum cura fit: Quum ſciam multa abſque ſtudio, natura candida eſſe, vt nix, calx, adamas, olor, & alia multa. Nec placet, quod alij candere deriuant à χαίνειν, ideſt hiare, quia candida viſum diſſipant. Potius deriuabitur à χαίω vro, ſicut candentia à χαέντα, quum tam vocis, quam ſignificationis magna ſit affinitas: candere enim, etiam ignitum eſſe ſignificat. Quum ergo candor ſit inter colores puriſſimus, nullam alterius admit-

rens mixtionem ſe fucantem, aut inquinantẽ, hinc metaphoricè candidum poni conſuenit pro puro, nulla ex parte deturpato, tam in corporibus,& rebus exterioribus, quam in moribus,& iudicijs. Sic Horatius lib.1. epiſt. 4.inquit:

*Albi, noſtrorum ſermonum candidè iudex.*

Albius enim, per doctrinam purgatum habẽs intellectum ab ignorantia,& per dicẽdi libertatem,linguam ab adulandi ſtudio,rectum de alterius operibus poterat ferre iudicium. Quod vero adoleſcens iſte candidum ſe eſſe dicat, eſt quia vel gloriabatur de forma, & ſpecioſitate, iuxta illud ſatyræ 3.verſu 100.

*Candida vicini ſubriſit molle puella.*

Vel de diuitijs, & generis nobilitate: quorum nihil erat in paupere illa anicula, cui fuerat comparatus, ideoque bilem indignationemque incurrerat ex contemptu.

*ESTO*,verbum eſt concedentis, ſed amariſſimæ conceſſionis, quaſi diceretur: ſis qualis tu vis,nobilis,diues, & ſpecioſus, dum anus hæc paupercula,in vltimi finis conſtitutione, non ſit te inferior, nec tu illam præcedas. Sic infra verſu 44.

*Vt manis,da verba,& decipe neruos,ſi potes.*

Concedit ergo illum eſſe nobiliſſimum,vtpotè ex Thraciæ Regum per Dinomachen,vel Auguſtorum per Agrippinam, filium; eſſe etiam diuitem, & corporis formoſitate præſtantem: ſed nihilominus delıram illam anum, nec hilum eſſe illi ſapientia inferiorem,nec peius illo ſentire de re,quam noſſe maximè intererat ideſt de ſummi boni conſtitutione. Et hæc

amara cõceſſio plurimam adfert confuſionem, & erubeſcentiam.

*DETERIVS*, comparatiuum, à poſitiuo deter, cuius ſuperlatiuo deterrimus, vſus Plautus Moſtell. Actu 3. ſcena 1.

*Quid tute homo, hominum omnium deterrume,*
*Veniſti huc oſtentatum?*

Deter autem eſt à verbo detero, quod eſt, vſu conſumo, vel imminuo. Sic Columella lib. 1. c. 6. *Area, ſi competit ita conſtituenda eſt, vt vel à domino, vel certè à procuratore deſpici poſſit: eaque optima eſt ſilice conſtrata, quod et celeriter frumenta deteruntur, non cedente ſolo pulſibus vngularum, tribularumque, et eadem euentilata mundiora ſunt, lapilliſque carent, & glebulis, quas per trituram, fere terrena remittit area.* Quia vero, quod vſu conſumitur, & imminuitur, ſæpe vileſcit, ſeu peioris euadit conditionis, inde deterere, eſt vileſcere, malum ſeu vile, & nullius pretij fieri. Sic Horat. lib. 1. Carminum ode 6.

*pudor,*
*Imbelliſque lyræ Muſa potens vetat*
*Laudes egregij Cæſaris, & tuas*
*Culpa deterere ingeni.*

Indeque comparatiuum deterius pro peiori, ſeu viliori ponitur, Terent. Heautontumor. Actu 3. ſcena 1.

*Nam deteriores omnes ſumus licentia,*

ideſt peiores, & in malum proniores. Vnde quod dictum eſt, hanc anum non ſapere deterius, quam tu, ſignificat illam non habere peiorem, nec minus ſapientem, quam tu, de vltimo fine, opinionem; & conſequenter nec tu

prę illa imperio,& regendis populis aptior inueniris, etiam ſi ambitioſorum morem ſequutus,imperium inuadere fueris auſus.De huic ſimilibus dixit Nazianzenus orat. in laudem Baſilij : *Quum nec medici , nec pictoris nomen quiſquam obtineat , niſi prius morborum naturas expenderit,aut multos colores miſcuerit, variaſque formas penicillo expreſſerit : Antiſtes contra facilè inuenitur,non elaboratus,ſed recẽs quantum ad dignitatem , ſimul ſatus , ac prouectus,quemadmodũ gigantes poetæ finxerunt.Vno die ſanctos fingimus ; eoſque ſapientes,& eruditos eſſe iubemus, qui nihil didicerunt,nec ad ſacerdotium quidquam ante contulerunt, præterquam velle. Atq; ſiquidem inferiori ſede acquieſcit, humiliſque ſtat, qui ſublimem promeretur, atque & multum diuq;in diuinorum ſermonum meditatione verſatus eſt,& multum diuque carni leges ſanxit, ad ſpiritui obediendum;hic contra faſtuoſe ſedet,atque aduerſus meliores ſupercilium attollit, nec thronis intremiſcit,nec aſpectu cohorreſcit,quum moderatum hominẽ,cupiditatibuſque imperantem, inferiori loco ſtantem intuetur : verum ſimul cum imperio,& dignitate, ſuperiorem quoque ſeſe exiſtimat,praue vtiq; ſentiens, atque à potentia,& autoritate dementatus .*

PANNVCEA,ideſt pannoſa,dicta à pannis, induta veſte vili ,ſeu panno craſſo, & pluries emendato , vel pluribus pannis etiam coloris diuerſi . Martialis vſus hac voce ſenſu metaphorico,& turpi,ait lib.11. epig.46.

*Truditur et digitis pannucea mentula laſſis ,*
*Nec leuat extinctum ſollicitata caput .*

BAV-

*BAVCIS* fuit anus quædam paupercula, Philemonis vxor. Et quum ambo Iouem, atq; Mercurium hoſpitio ſuſcepiſſent, hilariterque ex ſua paupertate illis miniſtraſſent, tantę hoſpitalitatis gratia, præmia à Numinibus ſuſceperunt, eorum decorati ſacerdotio, alijſque vt narrat Ouid. 8. Metamorp.

*Mille domos adierunt, locum, requiemque petentes,*
*Mille domos clauſere ſeræ: tamen vna recepit.*
*Parua quidem, ſtipulis, & cāna tecta paluſtri,*
*Sed pia Baucis anus, pariliq; ætate Philemon*
*Illa ſunt annis iuncti iuuenilibus, illa*
*Conſenuere caſa, paupertatemq; ferendo*
*Effecere leuem, nec iniqua mente ferendam.*
*Nec refert, dominos illic, famuloſne requiras:*
*Tota domus duo ſunt, ijdemq; parētq; iubentq;.*
*Ergo ubi Cęlicolæ paruos tetigere Penates,*
*Summiſſoque humiles intrarunt vertice poſtes*
*Membra ſenex, poſito iuſſit releuare ſedili,*
*Quò ſuperiniecit textum rude ſedula Baucis:*
*Inde foco tepidum cinerem dimouit, & ignes*
*Suſcitat heſternos, folijſque & cortice ſicco*
*Nutrit, & ad flammas anima perducit anili, &c.*

Cum alijs, quæ ibi ſequuntur. Sed nulla nos congrua ratio cogit, vt de hac Baucide locum iſtum intelligamus, niſi vt ſicut illa paupercula, & anus erat, eius nomine veniat quæcumque pauper, & anus, & maximè quæ in foro olitorio, vel per vrbem, alta & ſonora voce, hortenſes, incantando, herbas diſtraheret. Talis enim erat vetula, de qua nunc loquitur.

*BENE* aduerbium ab adiectiuo Bonus, &

aliquando eſt idem, ac commodè, vt quum dicimus aliquem benè habitare, quia commodam, ſpacioſam, latam, vel ſalubrem habet habitationem. Aliquando eſt proſpere, ſiue feliciter, vt quum dicimus aliquem benè negociũ expedijſſe, quia illud ad optatum perduxit finem. Aliquando eſt valde, ſic Cic. 2. de Orat. parũ à fine: *Habetis ſermonẽ benè lõgum, hominis, vtinam non impudentis; illud quidem certè non nimis verecundi, qui quidem cum te Catule, tum etiam L. Craſſo audiente, de dicendi ratione tam multa dixerim*. Nam benè longum dixit, pro valde prolixum. Et hoc modo nunc ſumitur, conſtruique poteſt tam cum diſcinɫo, vt ſit ſenſus: Baucis pannucea, poſtquam cantauerit ocyma vernæ benè diſcinɫo, non ſapiet minus, quam tu. Et ita verna benè diſcinɫus intelligitur negligẽtiſſimus circa domus œconomiam, & prouiſionem rerum neceſſariarum pro alenda familia, vtqui non ea de foro aduexerit, ſed expeɫauerit, dum anus olitrix ea adferret. Quam cum, cantauerit, vt ſit ſenſus: Baucis pannucea, non videtur minus ſapere, quam tu, etiam poſtquam bene cantauerit ocyma, vernæ diſcinɫo.

*DISCINCTVS* eſt à verbo diſcingo, compoſito ex dis, & cingo. Cingo autem eſt circumago, vel circundo à Græco ζωννύω ideſt circumdo, nam Zonam Græci ζῶνον appellãt. A cingo etiam fit cinɫum, & cingulum, teſte Varrone 4. L.L. dicente: Cinɫum, & cingulum à cingendo, alterum viris, alterum mulieribus attributum. Et inde cinɫiculus, ſeu cinɫulus proprius adoleſcentum, vt innuit

nuit Plautus Bacchid. Actu 3. verſu 3.

*de hippodromo, & palæſtra vbi reueniſſes domũ*
*Cinctículo præcinctus, in ſella apud magiſtrum*
*aſſideres.*

Erat autem cinctus, veſtis, corpus infra pectus comprehendens, ſimilis ſubligaculo. Et inde antiqui Romani dicti cinctuti: cinctuti enim pugnabant, quia non habebant pectoris munimentum. A cinctu etiam eſt cognomen Iunonis Cinxiæ, natum ex eo, quod ſponſus nouæ nuptæ cingulum ſolueret. A cingo fiunt compoſita, Accingo, Præcingo, Succingo, & Diſcingo: & nomina ex participijs Accinctus, Præcinctus, Succinctus, & Diſcinctus, quorum tria priora ſignificant ſtrenuos, ſolertes, induſtrios, & in opus paratos: homines enim, vt rebus agendis forent promptiores, ſuccingebantur. Vnde Tobiæ 5. legimus, Tobiam iuniorem *egreſſum inueniſſe iuuenem ſplendidum ſtantem, præcinctum, & quaſi paratum ad ambulandum.* Sic Horat. 2. ſerm. ſat. 6. ait:

*Ergo vbi purpurea porrectum in veſte locauit*
*Agreſtem, veluti ſuccinctus curſitat hoſpes,*
*Continuatque dapes, necnon vernaliter ipſis*
*Fungitur officijs, prælambẽs omne, quod affert.*

Diſcinctus vero eſt deſes, mollis, iners, negligẽs, piger, & otioſus, talis enim, diſcinctis, ideſt demiſſis vtitur tunicis, operationem impediẽtibus. Sic Horatius Epodo ode 1.

*Satis ſuperq; me benignitas tua*
*Ditauit: haud parauero,*
*Quod aut auarus, vt Chremes, terra premã,*
*Diſcinctus, aut perdam vt nepos.*

Et Seneca epiſt. 114. *Quomodo Mæcenas vixerit,*

*notius eſt, quam vt narrari nunc debeat: quomodo ambulauerit: quam delicatus fuerit, quam cupierit videri, quam vitia ſua latere noluerit, Quid ergo? Non oratio ſua æque ſoluta, quam ipſe diſcinctus?* Et Ouid. 1. de Arte:

*Inſtitor ad dominam veniet diſcinctus emacē.*

Et idem 1. Amorum eleg 9.

*Ipſe ego ſegnis eram diſcinctaq; in ocia natus.*

Et hoc modo nunc, verna denominatur diſcinctus, ideſt negligens, nec attendens ad commoda familiæ, ſibi procuranda comiſſa.

*CANTARE*, frequentatiuum à cano, eſt voce modulari, vt faciunt muſicæ profeſſores, & multæ aues. Verbum ad multa trāsfertur, vnde ſumitur pro quidpiam tali vocis tono proferre, vt facilè poſſit audiri: Sic Martialis in Spectacul.s epigr. 6.

*Nec ſe miretur Cęſar longæua vetuſtas,*
*Quidquid fama canit, donat arena tibi.*

Sæpe cantare eſt incantare, ideſt vel ſolis verbis, vel verbis, & rebus aliquibus, ſuperſtitioſè moliri aliquid ſupra naturam. Sic Virg. in Pharmaceut. Eclog 8.

*Frigidus in pratis cantādo rumpitur anguis.*

Vbi Seruius: *Cantando, dum incantatur, nam gerundiuus modus, ab omni verbo ſimiliter procreatur: vnde modo, cantando, paſſiue ait: quum ſupra,* Ecloga 3, *ab actiuo dixerit*

An mihi cantando victus non redderet ille?

*Et* Eclog. 2. verſu 31.

*Mecum vna in ſiluis imitabere Pana cantādo.*

Hinc quidam cantauerit intelligunt dictum in hac ſignificatione, quaſi foret, ingerendo in vernam imprecationes, & probra, vt fit quum

ocyma plantatur. Sed præſtat accipere eo cantauerit, alta & intelligibili voce proclamauerit, more preconis, manifeſtando ſic, quæ vendenda offerebantur.

*OCYMVM* putatur dictum ab odoris acrimonia, quaſi ſit à Græco ὄζειν, quę Æthymologia fauet ſcribentibus ozyma per z, vt inuenitur in ſcriptis medicorum, ex Arabico in Latinũ ante renatas litteras, translatis. Verum nec Græcorum lexici, neque Latini probatiores, hanc admittunt æthymologiam: numquã enim ſcribunt per z, ſed ſemper per x, ſiue c. Eſt tamen aliqua differentia inter ipſos, nam quidam ſcribunt per ypſilon, & dicunt eo nomine ſignificari herbam odoratiſſimam, quam Græci, Latini, & etiam Itali, baſilicon, quaſi herbarum reginam, appellant. Alij ſcribunt per iota, & eo nomine ſignificari volunt herbarum farraginem, nedum ad hominum, ſed etiam ad pecorum paſtum ſatarum. De qua Varro R.R. lib. 1. cap. 31. ait: *Omne pabulum, primum, ocymum, farraginem, viciam, nouiſſimè fœnum ſecari. Ocymum dictum à Græco verbo ὠκὺς, quod valet cito, ſimiliter quoque ocymum in horto, hoc amplius dictum ocymum, quod citat aluũ bubus, & ideo ijs datur, vt purgentur; id genus pabuli ſũt ſegetes virides ſectæ antequam gerant ſiliquas.* Superſtitioſa gentilitas, vt citius, & abundantius proueniret, credidit ſerendum eſſe cum probris, & maledictis, vt & de cimino dixiſſe fertur Theophraſtus hic verbis: Peculiare eſt, quod de de eo memorant, ferunt namque imprecationibus, & maledictis opus eſſe, ſi, qui ſerunt, il-

lud, copioſum, pulchrumque prouenire volũt. Sic etiam Plinius lib. 19. cap. 7. *Nihil ocymo fœcundius; cum maledictis, & probris ſerendum præcipiunt, vt lætius proueniat, ſato pauitur terra. Et cuminum, qui ſerunt, precantur ne exeat.* Inducitur ego anus pannucea cantans ocyma, diciturque ea non melius ſapere nobilem adoleſcentem, quod eſt ſatis contumelioſè dictum. Quid enim turpius, quam virum nobilem, more anicularum, vel inhoneſtarum mulierum, in foro conuiciari, vel maledicta ingerere: conuiciatrix autem innuitur hæc anus, nam ocyma cantabat, ocymum autem cum maledictis ſerendum erat. Explodimus autem opinionem ſcribentium per iotam: nam vt ex Vrrone, farrago ocymum dicta, ab ὠκύς deriuatur, & ita ſemper per ypſilon ſcribi debet, quo nomine ſignificatur tam farrago, quam baſilicus, & per ſenecdochen quæcumque harba hortenſis, quam olitrices circumferentes incantare ſolent, excitantes ſeruos adhuc dormitantes, ad earum emptionem, quarum pro familiæ vſu, aut ſuſtentatione indigerent.

*VERNA* à vere dictus, nam vere nati, vernæ dicebantur: tam quum Deo vouebant, quidquid vere naſceretur (quod dicebatur Ver ſacrum, iuxta Nonium dicentem: Vernas veteres appellabant, eos qui Vere ſacro fuerant nati, & hoc nomen habebatur vitabile, & maledictum: quam qui vtcumque Vere nati fuiſſent, ſic Feſtus: Vernæ, qui in villis Vere nati, quod tempus, duce natura, fœturæ eſt. Deterior eſt autem vernæ,

quan

quam ſerui conditio: nam ſeruus eſt manucaptus, vel precio emptus, vel dono acquiſitus: verna vero, qui ex ſerua, domi, apud nos natus, vt ab ipſo ortu natiuitatis, & natura ſit ſeruus. Indeque indignatio Romanorum apud Valeriũ Maximum lib. 3. c. 4. §. 3 quod eis iniurius fuiſſet Tarquinius Priſcus, dando Vrbi Regem vernam, nempe Seruium Tullium, ex captiua ortum. Sic Plautus Amphitr. Actu 1. ſcena 1.

*hic verna, qui natus eſt queritur*
*Sum vero verna verbo.*

Sic Iuuen. ſat. 1. verſu 26.

*Quum pars Niliacæ plebis, quum verna Canopi*
*Criſpinus.*

A verna in eadem ſignificatione eſt vernaculus, quo nomine ſæpe ſacræ vtæ litteræ. Sic Geneſ. 14. *Quum audiſſet Abram captum Loth fratrem ſuum, numerauit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem, & octo.* Et Geneſ. 17. *Infans octo dierum circumcidetur in uobis, omne maſculinum in generationibus ueſtris, tam uernaculus, quam emptitius.* Et Leuitici 22. *Quem ſacerdos emerit, & qui uernaculus domus eius fuerit, hi comedent ex eis.* Et Hierem. 2. *Numquid ſeruus eſt Iſrael, aut uernaculus.* Et Ambroſ. Epiſt. lib. 3. epiſt. 19. *Minus uile putatur ſeruire libero; geminatur autem ſeruitus, ubi ſeruitur uernaculis.* Sed extenditur nomen ad eos, qui ex ſerua domi quocumque anni tempore naſcuntur: & ad ea quæ nobiſcum, vel nobis domi ſunt nata. Hinc Varro 4. L. L. *Aquatilium uocabula animalium partim ſunt uernacula, partim*

*peregrina*. Et idem 3. R.R. cap.20. *Volucres quum partim aduenę ſint, ut hirundines, & grues: partim uernaculę, ut gallinæ, ac columbæ*. Sic Columel. lib.8. cap 2. *Huius uillatici generis non ſpernendus eſt redditus, ſi adhibeatur educandi ſcientia, quam plerique Græcorum, & pręcipuè celebrauere Delsaci. Sed & ij, quoniam procera corpora, & animos ad prælia pertinaces requirebant, pręcipuè Tanagricum genus, & Rhodium probabant, nec minus Chalcidicum, & Medicum (quod ab imperito uulgo, litera mutata Melicum appellatur) nobis noſtrum uernaculum maximè placet*. Verna igitur eſt ſeruus, vel ancilla domi nata. Sic Plaut. Mil. glor. Actu 3. ſcena 1.

*Quid? nutrici non miſſurus quicquam, quæ uernas alit?*

Et Tibull. lib.2. eleg.1.

*Turbaque uernarum ſaturi bona ſigna coloni*

*Ludet, & ex uirgis extruet ante caſas.*

Et quia vernæ, vt domi nati, & educati, confidentius agere ſolent, quam alij ſerui, negligentia, & oſcitantia in eos irrepit, vt oportuerit aniculam hanc cum excitare ad emendum.

## PARAPHRASIS TEXTVS PRIMI SATYRÆ QVARTÆ.

PVta Socratem illum philoſophorum moralium anteſignanum, quem cicutæ potu necauerunt Athenienſes, hæc Alcibiadi dicere. Tu Reip. captas adminiſtrares moderarique habenas, nec conſideras te illi, deſtitutum præſidijs, ſine quibus res tanta tractari nullatenus poteſt Reſponde ergo, ô alumne Magni Periclis inclyti Athenienſium ducis, credisne prudentiam, arteſque imperatorias poſſe in Ephœbos venire? Falleris ſic putando: ſed fac poſſe, teque optimè callere, quæ in concione apud populum ſint dicenda, quæue tacenda, poterisne tu, nondum prudentiæ, & probitatis apud populum opinionem nactus, ipſum furentem, diuinaque omnia & humana commiſcentē, conculcantemque, compeſcere, ipſique manus nutu ſilentium imponere? Sed fac id etiam te poſſe, populumque, reuerentia tuorum natalium, velle te audire, quid ipſi dices? Fortè, Puto id non eſt iuſtum, hoc malum, iſtud melius. Ergo nouiſti ponderare iuſtum, illudque ab iniuſto ſecernere, etiam in fluctuantibus iudicij lancibus, quando videlicet, ex iniuſti, & vitiorum, ad iuſtum, & virtutes, vicinia, periculum eſt ne vnum pro alio recipiatur. Poteriſque diſcernere rectum, latens inter obliqua, quum ratio paſſionibus, & affectibus eſt deprauata? Eſtne in te fortitudo tanta, vt abſque reſpe-

ctu

ſtu ad propriam vtilitatem, vitium damnes in vitioſo, virtutemque etiam in hoſte afficias præmio? Quod ſi talia non vales, nec in te has agnoſcis virtutes, fruſtra gloriaris de externis, corporis formoſitate, diuitijs, vel generis claritate, quæ nihil ad artes benè Rempub. gerendi, debereſque deſinere ab adulando populo, quum potius quam Rempub. adminiſtrare, deberes per elleborum humores purgare, principem animæ portionem infeſtantes, & ita te ab inſania liberare. Et vt cognoſcas te mente parum eſſe ſana, dic obſecro, in quo bonorum genere vltimum humanarum actionum finem conſtituiſti? Et quum Alcibiades reſpondiſſet. In lautè, & opiparè veſci, balneiſque, & vnguentis oblinìri, hoc eſt, in corporis voluptatibus: ſubdit Socrates: Sed hęc anus, quæ ab omnibus audit, fatua, inſana, & delira, de eadem interrogata quæſtione, peius quam tu, non reſpondebit, indeque conuinceris te, nil minus, quam illa eſſe delirum, & inſanum, elleboroque indigere. Ad hæc indignatione commotus, & excandeſcens Alcibiades: Me ne inquit, inſanum appellas, qui ſim pulchritudine, diuitijsq; florens, & per Dinomachen mattem ex Regio Thracum ſanguine cretus. Tunc Socrates: Gloriare, vt mauis, nam etiam ſi his omnibus, & ſimilibus alijs multis ad corpus, & externæ fortunæ bona pertinentibus, præditus proberis, inſanus nihilominus iudicari debes, quum de bonis

men-

mentis, & ſapientiæ nihil poſſideas præſtantius anicula illa olitrice, hortenſes herbas vernis incantante, quæ ab omnibus delira iudicatur, & audit.

*Finis Paraphraſis Textus primi Satyræ quartæ.*

# SATYRÆ QVARTÆ TEXTVS SECVNDVS.

*Vt nemo in ſeſe tentat deſcendere, nemo,*
*Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo*
*Quæſieris: Noſtin Vectidi prædia? Cuius?*
*Diues arat Curibus quantum non miluus oberret.*
*Hunc ais? Hunc. Dijs iratis, genioq; ſiniſtro,*
*Qui quandoq; iugum pertuſa ad compita figit,*
*Seriolę veteris metuens deradere limum*
*Ingemit, Hoc benè ſit, tunicatum cum ſale mordens*
*Cæpe, & farratam pueris plaudentibus, ollam*
*Pannoſam fęcem morientis ſorbet aceti.*
*At ſi vnctus ceſſes, & figas in cute ſolem:*
*Eſt prope te ignotus, cubito qui tãgat, & acre*
*Deſpuat in mores, penemque, arcanaq; lumbi*
*Runcantem, populo marcẽtes pandere uuluas.*
*Tu quum maxillis balanatum gauſape pectas,*
*Inguinibus quare detonſus curculio extat?*
*Quinque paleſtritę licet hæc plantaria uellant*
*Eliſaſque nates labefactent forcipe adunco,*
*Non tamen iſta filix ullo manſueſcit aratro.*
*Cædimus, inque uicem præbemus crura ſagittis.*
*Viuitur hoc pacto, ſic nouimus. Ilia ſubter*
*Cæcum uulnus habes, ſed lato baltheus auro*
*Protegit. Vt mauis, da uerba, & decipe neruos*

*Si*

*Si potes. Egregium quum me uicinia dicat,*
*Non credam? Viſo ſi palles improbe nummo,*
*Si facis in penem, quidquid tibi uenit amarum,*
*Si puteal multa cautus uibice flagellas,*
*Nequicquam populo bibulas donaueris aures.*
*Reſpue quod non es, tollat ſua munera cerdo*
*Tecum habita, ut noris, quam ſit tibi curta ſuppellex.*

# COMMENTARIVM TEXTVS SECVNDI SATYRÆ QVARTÆ.

Reprehenderat Socrates Alcibiadem, vel Perſius Neronem, impudentiæ, quod neque prima moralis, politicæque callens ſcientiæ principia, felicitatemque conſtituens in vita voluptuoſa, Remp. gubernare vellet. Sed quia plerique credunt idem eſſe cuſtodiſſe innocentiam, & peccare, ita vt ab alio neſciatur; & Nero Imperij initio, licet infamibus libidinis, prodigalitatis, & iniuſtitię criminibus fœdaſſet ſeipſum, quia tamen iſta credebat domus parietibus clauſa, & populo eſſe occulta, ea nedum iterabat, ſed in dies augebat. Inde vt iſte eum ad meliorem reuocaret frugem, docet eſſe impoſſibile latere eum, qui peccat, maximè ſi ſit Princeps, in quem ſubditorum oculi ſunt aſſiduè conuerſi, vt ex Cicerone diximus initio huius Satyræ. Principes enim ſunt veluti Ciuitates ſupra montem poſitę, & ideo omnibus conſpicuæ: vel ſicut faces in altum eleuatæ, ad ſe adſtantium trahentes oculos, vt vana latebrarum

ſit ſpes: Si namque priuatorum vitia, viciniæ & conciuibus diu incomperta eſſe nõ poſſunt, quin transluceant, & de eis aliqui loquantur. Vnde Horat. 1. ſerm. ſat. 3.

*Mænius abſentem Nouium, quum carperet, heus tu*
*Quidã ait, ignoras te? An ut ignotũ dare nobis*
*Verba putas? Egomet mi ignoſco, Mænius inquit.*
*Stultus, & improbus hic amor eſt, dignuſque notari,*
*Quum tua peruideas oculis mala lippus inunctis,*
*Quur in amicorum uitia tam cernis acutum,*
*Quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius? An tibi*
*Euenit, inquirant uitia ut tua, rurſus et illi.*

Sic Martial. lib. 7. epigr. 10.

*Pædicatur Eros, fellat Linus, Ole quid ad te?*
*De cute quid faciat ille, uel ille ſua.*
*Cẽtenis futuit Matho millibus Ole quid ad te?*
*Non tu propterea, ſed Matho pauper erit.*
*In lucem cœnat Sertorius. Ole quid ad te?*
*Quum liceat tota ſtertere nocte tibi.*
*Septingena Tito debet Lupus. Ole quid ad te?*
*Aſſem ne dederis, crediderisue Lupo.*
*Illud diſſimulas ad te, quod pertinet Ole,*
*Quodq; magis curæ conuenit eſſe tuæ.*
*Pro togula debes: hoc ad te pertinet Ole*
*Quadrantem nemo iam tibi credet: & hoc*
*Vxor mœcha tibi eſt: hoc ad te pertinet Ole:*
*Poſcit iãm dotem filia grandis: & hoc*
*Dicere quindecies poterã, quod pertinet ad te.*
*Sed quid agas ad me pertinet, Ole, nihil.*

Quomodo ergo ignota remanebunt delicta

Principum, in quos cuncti reſpiciunt? nam eſto quilibet ſit negligens examinator criminum propriorum, Argo tamen eſt oculatior in rimādis alienis. Nec id mirum, nam quemadmodū oculis corporeis os, oculoſq; noſtros directè minimè videmus, benè vero quācūq; minimam maculā, ſiue defectum in alienis, ſic oculis mentis ad propria cæcutientes errata, in alienis ſcrutandis plus æquo ſolertes ſumus. Inde ſapientiſſimum habitum eſt Delphico oraculo dignum illud Solonis, ſiue Chilonis præceptum, quod his verbis refert Auſonius in ſeptem Sapientibus:

*Delphis Solonem ſcripto fama eſt Atticum*
*γνῶθι σεαυτὸν, quod Latinum eſt: Noſce te;*
*Multi hoc Laconis eſſe Chilonis putant.*

Et quum tanta ſit hominis vigilantia in perſcrutandis proximorum, & Principum vitijs, merito eſcandeſcit poeta, quod nemo oculos ad ſeipſum noſcendum deflectat. Refert deinde quemdam interrogantē proximū, num Vectidij nouiſſet agros: illum vero ſtatim Vectidij ſordes, etiam in immenſis diuitijs exaggerantem. Subditque poeta, quod ſi quiſpiam auaritiæ effugerit labem, non inde immunis erit à linguarum maledicarum aculeis, immo alterius reus agetur vitij. Ait ergo: *Vt nemo in ſeſe tentat deſcendere nemo*. Nemo autem eſt quaſi non homo, vel nec vnus homo, nam ſemper de homine dicitur. Sic Terent. Eunuch. Actu 3. ſcena 1.

*Nam quis hic eſt? Nemo eſt. Num quis hinc me*
*ſequitur? nemo homo eſt.*

Et ibi Actu 4. ſcena 5.

age-

*ageſis*

*Egon formidoloſus? nemo eſt hominum, qui vi-uat minus.*

Et eſt hic ſchema] Epanelepſis, ſiue Epinadiploſis, dum vox nemo ponitur in principio,& fine ſententiæ. Sic eſt in illo Virgilij Eclog.7. verſu 4.

*Ambo florentes ætate* Arcades *ambo*,

quod facit ad exprimendam indignationem ꝗ indignum enim eſt,quod nec vnus homo velit ſeipſum cognoſcere.

*IN ſeſe tentat deſcendere nemo*. Hæc dicit cum nauſeāti indignatione aduerſus illos, qui quum vndique vitijs ſcateant, ea videre in ſe nolunt, in alijs vero etiam minima conſiderant, & ſcrutantur. Nam deſcendere in ſeſe, eſt ſeipſum cognoſcere: & fortè alludit ad puteum Democriti, in quo verum is latere dicebat, vt cecinit Ioannes Ouuen Epigrammatū ad D.Mariam Neuille lib.1.epig.18 dicens:

*Merſum in neſcio quo, verum latitare profūdo*
*Democritus nemo, quod reperiret, ait.*

Longè autem difficilior eſt inueſtigatio ſuijpſius, quam cuiuſcumque abditiſſimę veritatis naturalis, paſſionibus, & philautia tenebras offundentibus: ei tamen eruendæ, & perſcrutandis vitijs in conſcientiæ penetralibus latentibus, pauci inuigilant, licet hæc ſuijpſius cognitio vtiliſſima ſit,& radix totius humanę felicitatis, vnde, vt diximus, merito Oraculo adſcriptum eſt dictum Solonis, ſiue Chilonis, cuius meminit Auſonius in Chilone,Ludo ſeptem Sapientum:

*Commendo noſtrum* γνῶθι σεαυτὸν *noſce te*,

*Quod*

*Quod in columna iam tenetur Delphica*
*Labor moleſtus iſte, fructi eſt optimi ,*
*Quid ferre poſſis, quidue non, dignoſcere,*
*Noctu, diuque quæ geras, quæ geſſeris*
*Ad vſque puncti tenuis inſtar, quærere*
*Officia cuncta, pudor, honor, conſtantia*
*In hæc, & illa ſpreta, nobis gloria .*

Hanc ergo inueſtigationem eorum , quæ in latebris cordis abſconduntur, deſcenſionem in ſeſe dixit, vt Seneca quæſt. Natural. lib. 6. cap. 5. dixit : *Magni animi res fuit, rerum naturæ latebras dimouere , nec contentum exterioris eius conſpectu, introſpicere , & in Deorum ſecreta deſcendere .* Sicut è contra à ſe recedere ille dicitur , qui ad ea non attendit , quæ ſuæ ſunt curæ demandata.

*SED præcedenti ſpectatur mantica tergo.* Aliqui legunt, *præcedentis* , quæ lectio ſi foret ab alijs recepta , nobis quoque placeret , vtpotè planiorem reddens horum verborum ſenſum, nimirum vnumquemque intendere ſcrutandis præcedentium , vel aliorum vitijs , quæ illi poſt terga, ſed coram oculos noſtros deferunt. Sed quia paſſim lectio reijcitur, nec nōs à vulgata recedimus, ne autores detorquere, emendatione, vel deprauatione, ad noſtrum ſenſum velimus .

*MANTICA* ſumitur aliquando pro mantili, ſeu manticula, vel linteo ad manus tergendas : vnde Feſtus ait : Manticularia dicuntur ea, quæ frequenter in vſu habentur , & quaſi manu tractantur: frequens enim antiquis vſus mantiliorum , vnde hæc trahitur ſimilitudo . Aliquando vero mantica eſt baltheus , ſiue

zona, quæ erat ad inſtar peræ. Hinc idem Feſtus: Manticularum vſus, pauperibus, in nummis recondēdis, etiam noſtro ſeculo fuit. An autem nomen à manibus veniat, quia ſemper foret ad manus, maximè viatorum, viaticum in ipſis geſtantium, vel ſit nomen proprium, aliorum eſto iudicium. Nunc de mantica in hac ſignificatione eſt ſermo. Finxit autem Æſopus, quemque mortalium duas, vitiorum plenas habere manticas, alteram ante pectus dependentem, in qua aliorum: alteram poſt tergum reiectam, in qua propria geſtaret peccata: indeque fieri, vt aliorum errata, ſemper ob oculos verſentur, propria vero illico obliuione deleantur. Sic Terent. Heautont. Actu 3. ſcena 1.

*Dij voſtram fidem*
*Itan comparatam eſſe hominum naturā omniū*
*Aliena, vt melius videant, & dijudicent,*
*Quam ſua? An eo fit, quia in re noſtra, aut gaudio*
*Sumus præpediti nimio, aut ægritudine.*

Et Catull. carm. 22.

*Omnes fallimur, neque eſt quiſquam*
*Quem non in aliqua re videre Suffenum*
*Poſſit, Suus cuiq; adtributus eſt error,*
*Sed non videmus manticę, quod in tergo eſt.*

Eamdem ſententiam, vt eſt in vitis Patrum Orientalium, autore Ruffino lib. 3. §. 136, & autore Græco incerto lib. 5. libello 9. §. 9 facto docuit Abbas Pior is namque dum in quadam Patrum Congregatione audiret eos loquentes de abſentis crimine, illumque culpabilem, & pœna dignum iudicātes: è Con-

gregatione tacitus exiens, ex arena (quæ multa erat in via) manticàm impleuit, qua ſuum onerauit dorſum, aſſumptoque eiuſdem arenę pugillo, ad ſuum locum reuerſus, reſedit, tacituſque arenam, quam pugno, ſeu vola manus tenebat, verſabat, & contemplabatur. Interrogatus autem quid hoc eſſet, quidue ſignificaret, reſpondit, arenam eſſe; & illam quam manu geſtabat, ſignificare proximorum peccata, pauca ſanè, & quæ ſibi minimè eſſent onerosa; ſed quia iugiter ob oculos verſabantur, ſe de illis ſemper loqui, & cogitare: quam vero in mantica, propria indicare delicta, quorum multitudine, & grauitate, etiam incuruaretur: ſed quia reiecta poſt tergum, ab oculis erant remota, de eis numquam ſe loqui, nec cogitare. Ex quo congregari illi ædificati, cognouerunt ſe erraſſe, non vero Piorem. Et de hac mantica nunc intelligit, alludens ad illas AEſopicas.

*TERGVM* ſecundæ, & Tergus tertiæ coniugationis, differunt, nam tergum eſt dorſum hominis. Virg. 2. AEn. verſu 57.

*Ecce manus iuuenem interea poſt terga reuinctum*

*Paſtores magno ad Regem clamore trahebant.*

Et Ouid. 1. Metamorph.

*Oſſaque poſt tergum magnæ iactate parentis.*

Et infra eodem lib. 1.

*Magna parens, terra eſt, lapides in corpore terræ*

*Oſſa reor dici, iacere hos poſt terga iubemur.*

Sed non eſſe perpetuum hoc diſcrimen, didicimus ex illo Virg. 1. AEneid. verſu 371.

*Mer-*

*Mercatique ſolum, facti de nomine Byrſam*
*Taurino quantum poſſent circumdare tergo.*

Et illo Iuuen. ſat. 1. verſu 5.

*ſummi plena iam margine libri*
*Scriptus & in tergo, nec dum finitus Oreſtes.*

Eſt ergo tergus propriè corium, ſiue pellis illa craſſior, qua dorſum, ſiue tergum tegitur. Sic Virg. 1. AEneid. verſu 214.

*Illi ſe prædæ accingunt, dapibuſque futuris*
*Tergora diripiunt coſtis, & viſcera nudant.*

Tam autem tergus, quam tergum, factum videtur à terendo, vt & verbum tergo, quod enim tergitur, tergendo atteritur, & conſumitur. Vel eſt à ταῤῥω, ſiue ab AEolico τέρσω, ideſt ſicco, nam dies ſerenos, ſiccoſque, ſeu non pluuios, terſos dicimus. Vnde Feſtus Terſum diem, pro ſereno dictum ab antiquis, Verrius ait. Alij tergum deriuant, à tego, indeque tegus, quam tergus dicere malunt, & ita antiquorum reſtituunt teſtimonia. Sed non videtur recedendum à lectione communi: immo quum, concedentibus aduerſarijs, à tergore dicatur terginum, non vero teginum, nempe lorum ex crudo corio factum, quo tergus cæditur, cuius meminit Plautus Pſeudolo Actu 1. ſcena 2.

*Numquam edepol veſtrum durius tergũ erit,*
*quam terginum hoc meum.*

Et vt ex Lucilio refertur: *Solui, dum ſaluo tergo, & tergino licet.* Nempe loro, & corio, ſeu cute dorſi, vtrumque enim vapulando, verberandoque atteritur. Alij tergum deriuant à tergo verbo, quod ea corporis pars, vt tergatur, alienis egeat oculis, manibuſque. Vnde-

cumque ſit, nomine tergi præcedentis, Cornutus intelligit pectus, in quo aliorum vitia geſtamus, & cernimus, in mantica ſcilicet inde dependente. Putarem tergum poſitum per hypallagen coniugationis, pro tergore: tergus autem eſt mantica ex tergore, ſiue coiro facta, quamuis ex alia materia fieri poſſit. Vnde interuenit hic duplex ſenecdoche, vna materiæ pro materiato, tergi pro mantica: alia ſpeciei pro genere, tergi pro mantica facta, ſiue ex pelle, ſiue ex ſpartho, ſiue ex alia materia. Sed quia expreſſit etiam manticam, fruſtra intelligitur tergi nomine, vnde videtur rectè Cornutum, tergi præcedentis nomine, intellexiſſe pectus. Dicit ergo nullum attendere ad vitia propria, ſed omnes occupari in rimandis aliorum erratis, pendentibus ante pectus.

*QVAESIERIS Noſtin Vectidi prędia? Cuius? diues arat. Curibus quantum nō miluus oberret.* Quia ad probandū exempla ſūt verbis efficaciora, exemplo nunc demonſtrat, hominum ad detrahendum procliuitatem, qui ſtatim ac ſe offert occaſio loquendi de abſente, vulgant illíus vitia, ſilentio virtutes tegentes, vel ſiniſtra interpretatione eas deterentes. Qnod obſeruat etiam Zeno Veronenſis Epiſcopus ſerm. de liuore, & inuidia, dicens: *Notitiam viri, non ex bonis geſtis, dictiſque, ſed ex minus probabilibus fieri uolūt.* Ideo docebat Epictetus, Cuilibet duas ineſſe anſas, quibus apprehendi, tractarique poſſet: bonam vnam, alteram malam: hac vti vulgus, illa ſapientes. Sicut autem ex eiſdem herbis, vel floribus, apes,

apes paſcuntur,& araneæ:apes tamen ex illis, dulcẽ tantũ,& ſalutarẽ trahũt humorẽ,noxiũ vero,& amarũ aſpernãtur:cõtra,araneę,etiã ſi ante apes eoſdem attingant flores,nonniſi venenum ex illis ſugunt, mel,& quidquid in eis eſt dulce,omittentes. Sic ſapientes,non vident in proximis, niſi bona, quamuis, quia nemo mundus à ſorde, & quia: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*. 1.Io: 1. non deſint in illis,quæ poſſint iure accuſari: iniqui vero,ad inſtar aranearum, non niſi vitia obſeruant,immo ſiniſtra interpretatione peruertunt omnia,vt ſibi proportionatam inueniant malitiam. Quum enim vnumquodque recipiatur ad modum recipientis, apud bonos candida ſunt omnia, tales enim ipſi ſunt, nec ſciunt alios niſi ex ſeipſis iudicare. Contra apud peruerſos, cuncta ſunt pulla, ipſi namq; tenebrarum ſunt filij. Hinc merito damnatus fuit, qui volumen compilarat erratorum,cuiuſdam autoris, nec vllam illius notauerat virtutem, vt ex aceruo tritici, lolia tantum ſeligeret,et ea ſibi haberet ad fruẽdũ,vel pretio diſtrahendum,id quod minimè fieri oportuit. Noſtin autem dictum per Apocopen pro noſti ne,& per ſyncopen pro nouiſti.

*VECTIDIOS*, ſiue Ventidios plurimos legi. Appianus de rebus Parthicis, narrat ab Antonio miſſum Ventidium aduerſus Parthos, illoque adhuc Athenis hibernante,nunciatos primos proſperos huius ſucceſſus, qui etiam triumpho dignus habitus fuit: Iuuenalis etiã ſatyra 11.verſu 17. ait:

*Ergo haud difficile eſt perituram accerſere ſummam* Lan-

*Lancibus oppoſitis, vel matris imagine fracta*
*Et quadringentis nummis condire guloſum*
*Fictile: ſic veniunt ad miſcellanea ludi.*
*Refert ergo quis hæc eadē paret: in Rutilio nā*
*Luxuria eſt, in Ventidio laudabile nomen*
*Sumit, & à cenſu famam trahit.*

Sed quum iſte Perſianus deſcribatur ſordidus, diuerſus eſt ab illo Iuuenalis, qui eo tantum non eſt dictus nepos, quia cenſus habebat pares immodicis gulæ ſumptibus. Alterius, vel eiuſdem cum illo Appiani, fit mentio apud Ciceronem lib. 10. epiſt. 18. *Mihi ſi contigiſſet, vt prior occurrerem Antonio, non mehercule hora conſtitiſſet, tantum ego, & mihi confido, & ſic perculſas illius copias, Ventidijque mulionis caſtra deſpicio.* Alterum refert Tacitus 12. Ann. cap. 11. dicens: *Interim Felix (is erat Pallantis, Claudij Liberti frater) intempeſtiuis remedijs delicta accendebat, æmulo ad deterrima Ventidio Cumano, cui pars prouinciæ habebatur ita diuiſis, vt huic Galilæorum natio, Felici Samaritæ parerent.* Sed quiſquis hic fuerit, prædiorum certè diues, & per ſenecdochen ſumitur pro quocumque prædiorum diuite, ſed auaritia parco, & ſordido.

*PRAEDIVM* quidam deriuāt à præſtando, quod eo, pignori dato, fidem præſtaret. Alij putant dictum quaſi præuidium, quod inter omnia bona maximè peruideatur, ſeu appareat. Alij à præda, quod agros bello captos, & prædæ nomine poſſeſſos, prædia appellarent. Alij, eo quod ſint bona, quibus quaſi prædibus, poſſit ſe quis obligare, vt ſit à prædibus: prædes autem ſunt ſponſores pecuniæ

pro

pro alio in lite ciuili: ad differentiam vadum, qui erant ſponſores in lite capitali, vt tradit Auſonius dicens Idillio 16.

*Quis ſubit in pœnam capitali iudicio? Vas.*
*Quis quum lis fuerit nummaria, quis dabitur? Præs.*

Sed vndecumque ſit nominis origo, quoad rem, ſicut ager eſt locus cultus in poſſeſſione ruſtica: aruus vero, eſt in eadem poſſeſſione ruſtica locus ſementi præparatus, ita hæc omnia prædij nomine intelliguntur. Immo licet pomaria, piſcinæ, viuaria, prata, oliueta, horti, vineæ, ſiue habentia, ſiue non, villas, ſeu ædificia, in agris exiſtentia, fundi dicantur, quum ſunt tamen in Vrbibus non ita: ſed vbicumq; ſint, prædia appellantur, fundus enim eſt poſſeſſio ruſtica, prædium vero tam ruſtica, quã vrbana: Vectidius ergo latiſſima habebat huiuſmodi prædia.

*CVRES* non dicitur, niſi in numero multitudinis, vt Venetiæ, Syracuſæ, Athenæ, Thebæ &c. ea fuit clariſſima Vrbs Sabina, vbi regnauerat T. Tatius, qui, raptarum interuentu, inita pace cum Romulo, Regnum Romæ etiam tenuit, Et ex eadem ad Romæ regnandum accerſitus fuit Numa Pompilius ſecundus Rex Romanorum. Tantæ gloriæ Vrbis pene nihil ſupereſt, nec aliud cernitur, quam exiguum oppidum paucarum caſarum, Corſium appellatum. In huius Vrbis diſtrictu, latiſſimos poſſidebat agros Vectidius, tam amplos, vt nec miluus ſuo diurno volatu, eos circumuolare ſufficeret: qua prouerbiali, & hyperbolica locutione, vſi etiam Iuu. ſat. 9. v. 53.

*Dic paſſer, cui tot montes, tot prędia ſeruas*
*Appula. tot miluos intra tua paſcua laſſos?*

Et Petronius, Trimalchionis diuitias exaggerans, ait: *Ipſe Trimalchio fundos habet, quam milui volant.*

*MILVVS* auis omnium rapaciſſima, & voraciſſima, quæ merito rapacitatis, Cœlum obtinuit, iuxta Ouidium dicentem 3. Faſt.

*Stella Licaoniam vergit decliuis ad Arcton:*
*Miluius, hęc illa nocte videnda venit.*
*Quid dederit volucri, ſi uis cognoſcere, Cælum:*
*Saturnus regnis à Ioue pulſus erat*
*Concitat iratus ualidos Titanas in arma*
*Quæque fuit fatis debita, tentat opem*
*Matre ſatus terra, monſtrum mirabile taurus*
*Parte ſui ſerpens poſteriore fuit,*
*Hunc triplici muro, lucis incluſerat atris*
*Parcarum monitu, Styx uiolenta trium*
*Viſcera, qui tauri flammis adolenda dediſſet*
*Sors erat æternos uincere poſſe Deos.*
*Immolat hūc Briareus facta ex adamãte ſecuri*
*Et iam iam flammis exta daturus erat.*
*Iuppiter alitibus rapere imperat, attulit illi*
*Miluius, & meritis uenit in aſtra ſuis.*

Sed alij volunt translatum in Cœlum, quod Ioui annulum elapſum & amiſſum, retuliſſet. Quamuis tamen miluus rapax, nihil tamen eſculentorum rapere dicebatur, ex ferculis funebribus, neq; ex ara Iouis Olympici. Eius voracitatem deſignat Plautus Menech. Actu 1. ſcena 3.

*Iube nobis tribus apud te prandiū accurarier,*
*Atq; aliquid ſcitamentorum de foro obſonarier*
*Glandionidā, ſuillā, laridum, pernonidem, aut*
*Sin-*

*Sinciput, aut polimenta porcina, aut aliquid ad eum modum*

*Madida, quæ mihi appoſita, menſam miluinam ſuggerant.*

Vt etiam Cicero ad Q. fratrem lib. 1. epiſt. 2. ait; *Quid vero ad C. Fabium neſcio quem (nam eam quoque epiſtolam T. Catienus circumgeſtat) renunciari tibi Licinium plagiarium cum ſuo pullo miluino, tributa exigere.* Sed licet miluus ſit adeo rapax, homines tamen illi raro inſidiantur. Vnde Terent. Phormione A. 2. ſc. 1.

*non rete accipitri tenditur, neq; miluio,*

*Qui malè faciunt nobis; illis qui nil faciunt, tenditur.*

Miluium appellatum dicunt per onomatopoiam, & ſoni imitationem: alij à molli volatu, nam quamuis ſit ex aquilarum genere, longê ab aquila, & ab alijs quibuſdam in altitudine, & pernicitate volatus, ſuperatur.

*OBERRARE* ex præpoſitione ob, & verbo errare, eſt errare ambiendo circum circa: & transfertur ad quoſcumque errores ſæpius repetitos. Sic Horat. ad Piſones:

*Citharœdus*

*Ridetur, qui ſemper chorda oberrat eadem.*

Nam tali repetitione faſtidium generat. Propterea Plinius l. b. 17. cap. 19 ait: *Vbicumque circumfodiendi arbores ratio, in circuitu pedes in orbem ternos, neque id in pratis, quando amore ſolis, humoriſque in ſumma tellure oberrant.* Sed hic oberrare eſt circumuolare, vt non ſit ſermo de repetitione rei vtcumque, neque de errore propriè dicto, ſed de volatu in orbem, & in circuitu.

*HVNC ais? Hunc: Dijs iratis, Genioq; ſiniſtro. Qui quandoque iugum pertuſa ad compita figit, ſeriolæ ueteris metuens deradere limum, ingemit, hoc bene ſit, tunicatum cum ſale mordens cæpe, et farratā pueris plaudentibus ollā, pannoſam fæcem morientis ſorbet aceti.* Dijs iratis, Genioque ſiniſtro factum dicitur, quod infauſtè, & infœliciter accidit. Omnibus enim nationibus in confeſſo fuit, nihil proſperè poſſe procedere, niſi annuentibus, & fauentibus Dijs, adeout ſi quid fieret ijs refragrantibus, id infœliciter cadere neceſſe foret. Quod vero hic dicitur, iuxta communem intelligentiam eſt, Vectidium dici natum Dij iratis, nam reſpondens interroganti, num Vectidium nouiſſet, ait: nū de illo Vectidio quęris, qui tot latos in Sabina poſſidet fundos, vt nec miluus diurno volatu eos poſſit circumambire, quiue videtur natus Dijs iratis, Genioque naturæ autore, aduerſante. Quæ interpretatio bona eſt: ſed & aliter dici poterit, vt reſpondens dicat, Quæriſne de illo Vectidio, cui Dij Geniuſque iraſcantur, nam immenſos poſſidens agros, per auaritiam Deos, Geniumque defraudat. Nam quum auaritia ſit Dijs, hominibuſque inuiſa, reſpondens, aduertens Vectidium eſſe ſordidum, illi imprecatur Deorum iram, & Genij auerſionem, Quam pœnam mox dicet luere illum, cibi & potus vilitate. De Genio autem plura diximus ad illa verba ſatyræ 2. verſu 4. *Funde merum Genio*; nempe dici à geno, ideſt gigno, eo enim nomine intelligebant Deum naturæ autorem, vel animam humanam, quæ cum homine genitur, ſiue

creatur: vnde Genius erat præſes elementorum, ex quibus vniuerſa genuntur. Et hinc factum, vt qui voluptatibus, corporique curando indulgerent, genialiter viuere, & Genio ſacrificare dicerentur: qui vero ſordidè, & illiberaliter ſibi obſonabant, cum Genio belligerare. Et talis erat hic Vectidius, qui propterea Genium habebat ſiniſtrum, ſiue inimicum.

*QVANDOQ;* eſt aliquando, ſeu tempore incerto, & indeterminato, ſiue præterito, ſiue futuro. Putatur dictum per ſyncopen pro quandocumque, & pro eo tempore, quo aratra ad compita ſuſpenduntur. Vel per paragogen, pro quando, & eſt idem ſenſus. Sed poteſt intelligi abſque figura, vt tempore aliquo incerto, Vectidius ſeruos, & operarios quieſcere iuſſos à labore, tali acceperit conuiuio.

*IVGVM.* Qui volunt hic deſcripta feſta compitalitia, iugum interpretantur propriè pro ligneo illo inſtrumento, quo boues iunguntur, dictum à ζύγος mutata z in i, vt à iugo eſt iugare, à quo deinde iungere. Qui vero credunt hic deſcribi aruationem, ſeu terræ, ad ſementem aptationem, iugi nomen accipiunt per ſenecdochen pro aratro, quo agricolæ ad dilatandos Vectidij agros, aliquid de vicinorum agris, immo & de publicis vijs, deradebant.

*PERTVSA* dicta à verbo pertundo, ideſt diu & frequenter tundo, vel percutio. Sic Lucret. lib. 4. verſu 1280. & vltimo.

*Nonne vides etiam guttas in ſaxa cadentes*
*Humoris, longo in ſpatio pertundere ſaxa.*

Sic Plaut. Pſeud. Actu 1. ſcena 2.

*I puere pre, ne quiſquam pertundat crumenā cautio eſt.*

Inde ſupinum pertuſum apud Plaut. Pſeudol. Actu 1. ſcena 3.

*In pertuſum ingeri mus dicta dolium.*

Et Aggei prophetæ cap. 1. *Qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum*. Vbi pertundere eſt terebrare, per metonymiam cauſæ, nam quod diu tunditur inſtrumento penetrante, tandem terebratur. Sed quod tunditur malleis, aut inſtrumentis contundentibus, potius duratur, & denſatur. Et ita nunc ſumitur, nam viæ frequenter tranſeuntium pedibus calcatę (vt ſunt in triuijs) magis ſolidantur, & hæ dicuntur pertuſæ.

*COMPITA*, vt in veteribus gloſſis legimus, ſunt loca in quatriuijs, quaſi turres, vbi, finita agricultura, ruſtici ſacrificia celebrabant; merito pertuſa, nā per omnes quatuor partes patebant. Compita etiā ſunt loca in vrbe, & viæ publicæ, ac diuerticula aliquorum confinium, vbi ædiculę conſecrantur, patentes. In his ab agricolis ponebantur iuga fracta, indicantia opus emeritum, & elaboratum. Compita ergo erant capita viarum, in triuijs, vel quadriuijs, ſic dicta, quod ſimul à pluribus peterentur. Sic Virg. 2. Georg verſu 380.

*Non aliā ob culpā Baccho caper omnibus aris*
*Cæditur, & ueteres ineunt proſcenia ludi,*
*Præmiaq; ingentes pagos, & compita circum*
*Theſeidæ poſuere.*

Et Ouidius 1 Faſtorum:

*Ora uides Hecates in tres uertentia partes*
*Seruet ut in ternas compita ſecta uias.*

Et

Et Cicer. orat. contra Rullum in Senatu: *Nequiſſimi homines, conſumptis patrimonijs, faciũt vt in atrijs auctionarijs potius, quam in triuijs, aut in compitis auctionentur.* Quid autem intelligat poeta nomine compitorum pertuſorũ, difficile viſum fuit huius loci expoſitoribus. Putant aliqui figere iugum ad compita pertuſa, eſſe fieri eorum dedicationẽ: moris enim fuit, iuga & alia agricolationis inſtrumenta iam detrita, & vſu conſumpta, in ruralium Deorum honorem ſuſpendere. Sed nuſquam inuenitur fuiſſe conſecrata ſola inſtrumenta vſu conſumpta: ſollemne tantum fuit, quarũcumque artium profeſſoribus, qui ſenuiſſent, vel artem mutare vellent, exercitæ artis inſtrumenta, etiam recentia, ſuſpendere in honorem Dei, Præſidis talis artis. Sic Horat. lib. 1. epiſt. 1.

*Vehianius, armis*
*Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro*
*Ne populum extrema toties exoret arena.*

Nam gladiatores emeriti, arma ad Herculis poſtes figebant, quia hic erat Præſes artis athleticæ, Sic & alij profeſſores, ſuis tutelaribus arma figebant. Alij ſupponentes hic ſignificari ceſſationem ab opere, putant innui feſta Compitalitia, quæ, ex inſtitutione Seruij Tullij, ab agricolis, facta ſemente, omni lætitiæ ſignificatione, in honorem Larium, & Deorum Ruralium celebrabantur. Sed non video quare in his feſtis iuga debuerint ſuſpendi ad compita, potius quam in ædibus, quæque inſtrumenta ſuis in locis. Propterea Caſaubonus vult, Perſium reſpexiſſe ad aliquem Com-

pi-

pitalitiorum ritum, cuius ignoratione, obſcurus nobis ſit locus iſte. Mihi videtur obſcuritatem irrepſiſſe, eo quod omnes tò figit, exponunt pro ſuſpendit, quum tamen ſuſpendere eo verbo importetur tantum metaphoricè, & hic ſumendum eſt propriè, quomodo aliud ſignificat, vt nunc dicam.

*FIGERE*, eſt intromittere, & terebrando, vel forando aliquid alicubi firmare, vel plantare. Sic Virg. 4. Georg. verſu 1 4.

*Ipſe labore manum duro terat, ipſe feraces*
*Figat humo plantas.*

Et quia quæ parietibus, poſtibus, vel trabibus ſuſpenduntur, ferreis clauibus, ne facile decidant, firmantur, & affiguntur, inde multoties figere dictum eſt pro ſuſpendere. Quamuis ergo figere poſitum hic, ab alijs paſſim ſumatur pro ſuſpendere, ſatius mihi viſum, id accipere pro affigere, vt ſit ſenſus: Tantam eſſe Vectidij auaritiam, vt nedum nihil ex ſuis agris omitteret incultum, quin vſque ad extremum limitem ſeméti præpararet, ſed ex vicinorum fundi, & publicis vijs deraderet aliquid, figendo aratrum ad illarum terminos. Quæ interpretatio nedum proprietatem ſeruat verbi figit, ſed congruit ſordidis Vectidij moribus, qui tenacitatis merito, quando, re bene geſta, cultis imméſis eius agris, &, per ſummũ nefas, detrita aliqua parte vicinorum, & ex ſacra, ac publica via, in quę aratrũ fixerat, ſuis iũxerat, in qua occaſione reliqui agrorum poſſeſſores, ſuis ſeruis, & operarijs, ad eos reddendos alacriores, opiparum ſolẽt apparare conuiuium, ipſe ſuis non niſi far apponit, & cæpas, & vini

loco

loco, fęculentum præbet acetum. Homo ergo tantæ auaritiæ credi potuit iuſſiſſe, vel conniuiſſe ſuis operarijs, vt quid deraderent ex proximorum fundis, & publicis vijs, & compitis, figendo in eis aratra, ad aliquid ex illis terendum, & aggregandum ſuis prædijs, quo magis creſcerent, & dilatarentur.

*SERIOLA* eſt diminutiuum à ſeria, hęc autem vt diximus ſat. 2. verſu 11, eſt vas vinarium fictile, & oblõgum, quod plenum muſto, picatumque ſeruabatur; vnde Colum. lib. 12. cap. 18. *Dolia quoque, & feriæ, cęteraque vaſa, ante quadrageſimum vindemiæ diem picanda ſunt, atq; aliter ea, quæ demerſa ſunt humi, aliter quæ ſunt ſupra terram. Nam ea, quę demerſa ſunt, ferreis lampadibus ardẽtibus calefiunt, quã picem in fundum deſtillauit, ſublata lampade, rutabulo ligneo, & ferrea curuata radula dicitur, quod deſtillauit, aut quod in lateribus hæſit, deinde penicillo detergitur, & feruentiſſima pice infuſa, nouo alio rutabulo, et ſcopula picatur, &c.* Picabatur ergo vndique ſeria, ne ex ea vinum diſtillando efflueret. Sed quando erat inde hauriendum, deradebatur pix, & hanc picis amotionem nũc dicit limi deraſionem. Quãuis enim deradere propriè ſit radendo auferre, quomodo deraduntur pili ex genis, quum nouacula ex cutis radice auferũtur: pix etiam vel limus deradi dici potuit, ablata penitus ex orificij radice.

*LIMVS* adiectiuè eſt res obliqua, vel tortuoſa: & hinc veſtis ab vmbilico ad pedes, qua tegebãtur pudẽda, dicta ſubſtãtiuè limus, quia limã, ſeu flexuoſã purpurã, in extrema ſui par

re adiunctam habebat. De tali veſte Virg. 12. Æn. verſu 116.

*Cāpum ad certamē magnæ ſub mœnibus Vrbis*
*Dimenſi Rutuli viri, Teucriq; parabant*
*In medioque focos, & Dijs communibus aras*
*Gramineas, alij fontemq; ignemque ferebant*
*Velati limo, & verbena tempora cincti.*

Verum hic etſi ſubſtantiuè, non tamen pro veſte, ſed pro cœno, ſiue luto molli, aquis deferri ſolito, ſumitur, vt apud Virgilium in Pharmaceutria, ſeu Ecloga 8. verſu 80.

*Limus vt hic dureſcit, & hæc vt cera liqueſcit*
*Vno eodemque igni, ſic noſtro Daphnis amore.*

Sic Horat. 2. ſerm. ſat. 4.

*puer vnctis*
*Tractauit calicē manibus, dum furta liguris,*
*Siue grauis veteri cratera limus adhæſit.*

Dixit autem limum veterem, innuens vini vetuſtatem, nondum reſignato vaſe, ex quo illud fuerat repoſitum. Priſci enim vina ad multos ſeruabant annos. Hinc Martial. lib. 13. ep. 168.

*De Sinueſſanis venerunt Maſſica prælis*
*Condita quo, quæris, Conſule? Nullus erat.*

Et eodem lib. epig. 117.

*De Spoletinis, quę ſunt carioſa lagenis*
*Malueris, quam ſi muſta Falerna bibas.*

Veterem ergo limum dixit metalepticè intelligens vetus, ideoque optimum vinum, quod Vectidius habebat, ſed ab auaritia detinebatur ne illud conuiuis apponeret, immo ne ipſe ex eo biberet. Et per ſenecdochē, limi nomine picem intellexit, qua dolia limabantur, vt ex Columella vidimus.

INGEMIT, intus, vehementer, & ex animo ge-

gemit. At gemere eſt, ex animi anguſtia n- fletus, & ſuſpiria prorumpere. Sic Martial. lib. 9. epig 94.

*Quę mala ſint Domini, quæ ſerui commoda, neſcis.*

*Condyle, qui ſeruum te gemis eſſe diu.*

Ingemere ergo eſt ex nimis viſceribus gemere, vt faciunt, qui maximam fletus, ſuſpiriorum, lacrymarum, & gemituum cauſam habere ſe credunt. Virgil. Ecloga 5. verſu 27.

*Daphni tuum Pœnos etiam ingemuiſſe leones*

*Interitum, monteſque feri, ſiluęq; loquuntur.*

Talem doloris, & gemituum cauſam habere ſe putabat Vectidius, quando, etiam re bene geſta, vinum vetus in potu præbere debebat agricolis.

*HOC bene ſit.* Locutio iſta exponi poteſt aſſertiuè, & ominatiuè: eaque ſignificatur fauſtè proſperèque quid eventurum. Græci dicunt καλῶς ἔςω alij; Dij benè vertant. Exponendo ergo ominatiuè, ſenſus erit, quod Vectidius quaſi in illo conuiuio ingentes feciſſet ſumptus, ſibi, ſuiſq; diuitijs ominatur, ne talibus ſumptibus abligurirentur. At exponendo aſſertiuè, ſenſus erit, vt Vectidius ſuos hortetur conuiuas, vt velint talibus epulis, & potu eſſe contenti, illiſque credere ſe lautè exceptos. Et ſi Vectidius in tali occaſione his vtebatur epulis, innuitur, cum alijs diebus canino vſum cibo, pane ſcilicet tantum, & aqua. Hac phraſi aſſertiuè vſus Horat. dicens 2. ſerm. ſat. 2.

*puer hunc paruus Ophellum,*

*Integris opibus noui, non lautius vſum,*

*Quam*

*Quam nunc acciſis videas, metato in agello*
*Cum pecore, & gnatis, fortem mercede colonũ:*
*Non ego, narrantem, temere edi luce profeſta*
*Quidquam præter olus, fumoſæ cũ pede pernæ.*
*At mihi, ſeu longum poſt tẽpus veneras hoſpes,*
*Siue operum vacuo gratus cõuiua per imbrem*
*Vicinus*, bene erat, *non piſcibus vrbe petitis,*
*Sed pullo, atq; hœdo: tum penſilis vua ſecũdas*
*Et nux ornabat menſas, cum duplici ficu.*

Et Ouid. 4. Faſt.

*Poſt modo glans nata eſt*, bene erat *iam glande reperta,*
*Duraq; magnificas quercus habebat opes.*

*COEPE* dictum tunicatum, quia multis tam tenuibus ad inſtar membranularum, & cartilaginum, quam groſſioribus ambitur tunicis, inuicem ita diſpoſitis, vt vna aliam complectatur, & comprimat, mediante ſemper tenui inter craſſiores: immo duę mediant cartilagines, quarum vna adhæret parti concauæ, altera conuexæ craſſioris: quę ſe habent ad inſtar Cœleſtium ſphærarum in hoc, quod vna aliam amplectitur. Sic lib. 8. loquitur Io: Sariſbarieñſis. Hic cæpa tunicatior, denſatis pellibus, & epitogijs, clamydi penulam ſuper ducit, & quaſi conglobatus in orbem rotulari quàm incedere magis idoneus videtur: Eſt autem cœpe generis neutri, ſed inuenitur cœpa fœminei, dicta à capite, cuius formam refert. Cœparum laudabiliora ſunt, quæ magnitudine excedunt, vt quæ Pompeijs, ſiue Stabijs, & Beneuento in Italia, aut Aſcalone in Siria, vel Paleſtina proueniebant, teſte Columella, qui etiam lib. 10. verſu 23. cœpam dicit lacrymo-

ſam,

ſam, ſiquidem oculorum pupillas vehementer comprimens, ex eis lacrymas elicit. Hinc Palladius de RR. in menſe Februario, titulo 24. ait: *Hoc menſe lactuca ſeritur, vt poſſit Aprili menſe transferri: item carduus ſeritur, & naſturtium, & coriandrum, & papauer ſicut menſe Nouembri, & allium, & vlpicum. Nūc ſatureia ſeritur pingui agro, non ſtercorato, ſed aprico, vel melius mari proximo, & cum cepullis mixta ſeminatur. Hoc etiam menſe cepullas ſeris, ſed conſtat eas Vere, & Autumno eſſe ſeminandas. Si ſemē eius ſeueris, in caput creſcit, & minus reddit in ſemine; ſi capitulum ponas, ipſum marceſcit, & multum ſemen educit. Terram cæpe deſiderant pinguem, vehementer ſubactam, irriguam, ſtercoratam. Ibi areas faciemus, omnibus herbis, & radice purgatas. Seremus placido, & ſereno die, maximè auſtro, vel euro flantibus. Si minuente luna ſerantur, tenues & acriores proueniunt: ſi creſcente, robuſtæ & ſaporis humecti. Rarius ſunt ponendæ: runcandæ, ac ſarculandæ ſunt ſæpius. Si capita voluerimus his eſſe maiora, folia omnia debemus auferre, & ſic ſuccus ad inferiora cogetur.* His, vt porris Ægyptij venerationem, quaſi Numinibus exhibebant, vnde illos irridens Iuuenalis cecinit ſat. 15. verſu 9.

*Porrum, & cæpas, nefas violare, ac frangere morſu,*
*O ſanctas gentes quibus hęc naſcūtur in hortis Numina!*

Contra fas ergo Ægyptiorum, Vectidius cæpe momordit, quum ita ſacrilege illorum Numina violauerit. Sed quum ipſe Romanus, vel Sabinus foret, talia Ægyptiorum portenta ſo-

forte pro Numinibus non habebat, ideoque ſacrilegio non ſe contaminabat, illa tractans irreligiosè. Nihilominus ſorditiei non effugit notam, quod in tantis diuitijs gladium non haberet ad cœpe diuidendum, ſed oportuerit illud mordicus apprehendere. Niſi to mordés cum cœpe, non cum Vectidio malis conſtruere: nam cœpe dicitur mordens, quia acrimonia, & quaſi mordacitate lacrymas ex oculis comedentis excutere valet.

*FARRATA* olla per metonymiam continẽtis indicat far in ea pręparatum, quo veſcebantur, non olla. Farre autem veſci diebus feſtis, extremæ erat paupertatis; vt hoc indicio notetur ſumma Vectidij auaritia, qui opulentiſſimus, ſuis operarijs tales apponebat cibos, illique lęti, plaudenteſque eis veſcebantur, quaſi numquam tam lautè excepti fuiſſent. Niſi mauis hunc puerorum plauſum natum, non tam ex conuiuio, quam ob emenſum culturæ laborem, immodicum certè, ſi Vectidio probari debuit. Sed prior ſenſus congruit ſordidis Vectidij moribus.

*PVERIS plaudentibus*. Puer aliquando dicitur ex ætate, ideſt à primo ad tertium ſeptẽnium. Sic Virg. Eclog. 2. verſu 17.

*O formoſe puer, nimium ne crede colori.*

Aliquando pro ſexu oppoſito puellari ſumitur. Sic Ouid. 9. Metam.

*Cultus erat pueri, facies quam ſiue puellæ,*
*Siue dares viro, fieret formoſus vterq;*

Et ibidem infra;

*namque*
*Fœmina nuper eras, puer es, date munera tẽplis.*

Et

Et deinde:

*Vota puer ſoluit, quæ fæmina uouerat Iphis.*

Aliquando ſumitur pro ſeruo, vt Marcrpor, Lucipor, ideſt puer, vel ſeruus Publij, vel Quinti, nam ſerui dominorum gentiles erant, eorumque cognominibus noſcebantur. Sic in Euangelio, puer centurionis, illius ſeruus intelligitur. Et ita ſumitur hic, nam pueri plaudentes, ſunt ſerui geſtientes præ lętitia Plaudere namque eſt lętari re benè geſta, lætitiamque oſtendere ſtrepitum manibus, pedibuſque faciendo, vt fiebat in fine comędiarum, illumque exigentes legimus antiquos Comœdos Plautum, atque Terentium.

*PANNOSAM fæcem morientis ſorbet aceti.* Expoſuerat eſculenta à Vectidio ſuis operarijs appoſita, de quibus etiam in ſollemnitate abſolutæ agrorum culturæ, veſcebatur, quando, loco mullorum, rhomborum, turdorum, & pauonum, far tantum, & cœpas apponebat: Nunc vero potum narrat, illis, & ſibi propinatum, non enim Falernum, Cęcubum, aut Setinum, vel aliud ſimile, centeno repoſitum Conſule, ſed, quamuis promptam haberet veteris vini ſeriam, ei tamen parcens, morientis aceti pannoſam ſorbet, & propinat fæcem, vt ille de quo inquit Horat. 2. ſerm. ſat. 3.

*potius folijs parcus veſcatur amaris*
*Si poſitis intus Chij, ueteriſque Falerni*
*Mille cadis (nihil eſt, tercētum millibus) acre*
*Potet acetum.*

Qui Horatius etiam infra eadem ſat. ait:

*Pauper Opimius argenti poſiti intus, & auri,*
*Qui Veientanum feſtis potare diebus*

Cam.

*Dic paſſer, cui tot montes, tot prędia ſeruas*
*Appula. tot miluos intra tua paſcua laſſos?*

Et Petronius, Trimalchionis diuitias exaggerans, ait: *Ipſe Trimalchio fundos habet, quam milui volant.*

*MILVVS* auis omnium rapaciſſima, & voraciſſima, quæ merito rapacitatis, Cœlum obtinuit, iuxta Ouidium dicentem 3. Faſt.

*Stella Licaoniam vergit decliuis ad Arctos:*
*Miluius, hęc illa nocte vidẽnda venit.*
*Quid dederit volucri, ſi uis cognoſcere, Cœlum:*
*Saturnus regnis à Ioue pulſus erat*
*Concitat iratus ualidos Titanas in arma*
*Quæque fuit fatis debita, tentat opem*
*Matre ſatus terra, monſtrum mirabile taurus*
*Parte ſui ſerpens poſteriore fuit,*
*Hunc triplici muro, lucis incluſerat atris*
*Parcarum monitu, Styx uiolenta trium*
*Viſcera, qui tauri flammis adolenda dediſſet*
*Sors erat æternos uincere poſſe Deos.*
*Immolat hũc Briareus facta ex adamãte ſecuri*
*Et iam iam flammis exta daturus erat.*
*Iuppiter alitibus rapere imperat, attulit illi*
*Miluius, & meritis uenit in aſtra ſuis.*

Sed alij volunt translatum in Cœlum, quod Ioui annulum elapſum & amiſſum, retuliſſet. Quamuis tamen miluus rapax, nihil tamen eſculentorum rapere dicebatur, ex ferculis funebribus, neq; ex ara Iouis Olympici. Eius voracitatem deſignat Plautus Menech. Actu 1. ſcena 3.

*Iube nobis tribus apud te prandiũ accurarier,*
*Atq; aliquid ſcitamentorum de foro obſonarier*
*Glandionidã, ſuillã, laridum, pernonidem, aut*

*Sinciput, aut polimenta porcina, aut aliquid ad eum modum*
*Madida, quæ mihi appoſita, menſam miluinam ſuggerant.*

Vt etiam Cicero ad Q. fratrem lib. 1. epiſt. 2. ait; *Quid uero ad C. Fabium neſcio quem (nam eam quoque epiſtolam T. Catienus circumgeſtat) renunciari tibi Licinium plagiarium cum ſuo pullo miluino, tributa exigere.* Sed licet miluus ſit adeo rapax, homines tamen illi raro inſidiantur. Vnde Terent. Phormione A. 2. ſc. 2.

*non rete accipitri tenditur, neq; miluio,*
*Qui malè faciunt nobis; illis qui nil faciunt, tenditur.*

Miluium appellatum dicunt per onomatopoiam, & ſoni imitationem: alij à molli volatu, nam quamuis ſit ex aquilarum genere, longè ab aquila, & ab alijs quibuſdam in altitudine, & pernicitate volatus, ſuperatur.

*OBERRARE* ex præpoſitione ob, & verbo errare, eſt errare ambiendo circum circa: & transfertur ad quoſcumque errores ſæpius repetitos. Sic Horat. ad Piſones:

*Citharædus*
*Ridetur, qui ſemper chorda oberrat eadem.*

Nam tali repetitione faſtidium generat. Propterea Plinius lib. 17. cap. 19 ait: *Vbicumque circumfodiendi arbores ratio, in circuitu pedes in orbem ternos, neque id in pratis, quando amore ſolis, humoriſque in ſumma tellure oberrant.* Sed hic oberrare eſt circumuolare, vt non ſit ſermo de repetitione rei vtcumque, neque de errore propriè dicto, ſed de volatu in orbem, & in circuitu.

*HVNC ais? Hunc: Dijs iratis, Genioq; ſiniſtro. Qui quandoque iugum pertuſa ad compita figit, ſeriolæ veteris metuens deradere limum, ingemit, hoc bene ſit, tunicatum cum ſale mordens cæpe, et farratā pueris plaudentibus ollā, pannoſam fæcem morientis ſorbet aceti.* Dijs iratis, Genioque ſiniſtro factum dicitur, quod infauſtè, & infœliciter accidit. Omnibus enim nationibus in confeſſo fuit, nihil proſperè poſſe procedere, niſi annuentibus, & fauentibus Dijs, adeout ſi quid fieret ijs refragrantibus, id infœliciter cadere neceſſe foret. Quod vero hic dicitur, iuxta communem intelligentiam eſt, Vectidium dici natum Dij iratis, nam reſpondens interroganti, num Vectidium nouiſſet, ait: nū de illo Vectidio queris, qui tot latos in Sabina poſſidet fundos, vt nec miluus diurno volatu eos poſſit circumambire, quiuè videtur natus Dijs iratis, Genioque naturæ autore, aduerſante. Quæ interpretatio bona eſt: ſed & aliter dici poterit, vt reſpondens dicat, Quæriſne de illo Vectidio, cui Dij Geniuſque iraſcantur, nam immenſos poſſidens agros, per auaritiam Deos, Geniumque defraudat. Nam quum auaritia ſit Dijs, hominibuſque inuiſa, reſpondens, aduertens Vectidium eſſe ſordidum, illi imprecatur Deorum iram, & Genij auerſionem, Quam pœnam mox dicet luere illum, cibi & potus vilitate. De Genio autem plura diximus ad illa verba ſatyræ 2. verſu 4. *Funde merum Genio*; nempe dici à geno, ideſt gigno, eo enim nomine intelligebant Deum naturæ autorem, vel animam humanam, quæ cum homine genitur, ſiue

crea-

creatur: vnde Genius erat præſes elementorum, ex quibus vniuerſa genuntur. Et hinc factum, vt qui voluptatibus, corporique curando indulgerent, genialiter viuere, & Genio ſacrificare dicerentur: qui vero ſordidè, & illiberaliter ſibi obſonabant, cum Genio belligerare. Et talis erat hic Vectidius, qui propterea Genium habebat ſiniſtrum, ſiue inimicum.

*QVANDOQ;* eſt aliquando, ſeu tempore incerto, & indeterminato, ſiue præterito, ſiue futuro. Putatur dictum per ſyncopen pro quandocumque, & pro eo tempore, quo aratra ad compita ſuſpenduntur. Vel per paragogen, pro quando, & eſt idem ſenſus. Sed poteſt intelligi abſque figura, vt tempore aliquo incerto, Vectidius ſeruos, & operarios quieſcere iuſſos à labore, tali acceperit conuiuio.

*IVGVM.* Qui volunt hic deſcripta feſta compitalitia, iugum interpretantur propriè pro ligneo illo inſtrumento, quo boues iunguntur, dictum à ζυγος mutata z in i, vt à iugo eſt iugare, à quo deinde iungere. Qui vero credunt hic deſcribi aruationem, ſeu terræ, ad ſementem aptationem, iugi nomen accipiunt per ſenecdochen pro aratro, quo agricolæ ad dilatandos Vectidij agros, aliquid de vicinorum agris, immo & de publicis vijs, deradebant.

*PERTVSA* dicta à verbo pertundo, ideſt diu & frequenter tundo, vel percutio. Sic Lucret. lib. 4. verſu 1280. & vltimo,

*Nonne uides etiam guttas in ſaxa cadentes*
*Humoris, longo in ſpatio pertundere ſaxa,*

Sic Plaut. Pſeud. Actu 1. ſcena 2.

*I puere pre, ne quiſquam pertundat crumenã cautio eſt.*

Inde ſupinum pertuſum apud Plaut. Pſeudol. Actu 1. ſcena 3.

*In pertuſum ingerimus dicta dolium.*

Et Aggęi prophetæ cap. 1. *Qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum*. Vbi pertundere eſt terebrare, per metonymiam cauſæ, nam quod diu tunditur inſtrumento penetrante, tandem terebratur. Sed quod tunditur malleis, aut inſtrumentis contundentibus, potius duratur, & denſatur. Et ita nunc ſumitur, nam viæ frequenter tranſeuntium pedibus calcatę (vt ſunt in triuijs) magis ſolidantur, & hæ dicuntur pertuſæ.

*COMPITA*, vt in veteribus gloſſis legimus, ſunt loca in quatriuijs, quaſi turres, vbi, finita agricultura, ruſtici ſacrificia celebrabant: merito pertuſa, nã per omnes quatuor partes patebant. Compita etiã ſunt loca in vrbe, & viæ publicæ, ac diuerticula aliquorum confinium, vbi ædiculę conſecrantur, patentes. In his ab agricolis ponebantur iuga fracta, indicantia opus emeritum, & elaboratum. Compita ergo erant capita viarum, in triuijs, vel quadriuijs, ſic dicta, quod ſimul à pluribus peterentur. Sic Virg. 2. Georg verſu 380.

*Non aliã ob culpã Baccho caper omnibus aris*
*Cæditur, & ueteres ineunt proſcenia ludi,*
*Præmiaq; ingentes pagos, & compita circum*
*Theſeidæ poſuere.*

Et Ouidius 1 Faſtorum:

*Ora uides Hecates in tres uertentia partes*
*Seruet ut in ternas compita ſecta uias.*

Et

Et Cicer. orat. contra Rullum in Senatu: *Nequiſſimi homines, conſumptis patrimonijs, faciũt vt in atrijs auctionarijs potius, quam in triuijs, aut in compitis auctionentur.* Quid autem intelligat poeta nomine compitorum pertuſorũ, difficile viſum fuit huius loci expoſitoribus. Putant aliqui figere iugum ad compita pertuſa, eſſe fieri eorum dedicationẽ: moris enim fuit, iuga & alia agricolationis inſtrumenta iam detrita, & vſu conſumpta, in ruralium Deorum honorem ſuſpendere. Sed nuſquam inuenitur fuiſſe conſecrata ſola inſtrumenta vſu conſumpta: ſollemne tantum fuit, quarũcumque artium profeſſoribus, qui ſenuiſſent, vel artem mutare vellent, exercitæ artis inſtrumenta, etiam recentia, ſuſpendere in honorem Dei, Præſidis talis artis. Sic Horat. lib. 1. epiſt. 1.

*Vebianius, armis*
*Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro*
*Ne populum extrema toties exoret arena.*

Nam gladiatores emeriti, arma ad Herculis poſtes figebant, quia hic erat Præſes artis athleticæ. Sic & alij profeſſores, ſuis tutelaribus arma figebant. Alij ſupponentes hic ſignificari ceſſationem ab opere, putant innui feſta Compitalitia, quæ, ex inſtitutione Seruij Tullij, ab agricolis, facta ſemente, omni lætitię ſignificatione, in honorem Larium, & Deorum Ruralium celebrabantur. Sed non video quare in his feſtis iuga debuerint ſuſpendi ad compita, potius quam in ædibus, quæque inſtrumenta ſuis in locis. Propterea Caſaubonus vult, Perſium reſpexiſſe ad aliquem Com-

pitalitiorum ritum, cuius ignoratione, obſcurus nobis ſit locus iſte. Mihi videtur obſcuritatem irrepſiſſe, eo quod omnes tò figit, exponunt pro ſuſpendit, quum tamen ſuſpendere eo verbo importetur tantum metaphoricè, & hic ſumendum eſt propriè, quomodo aliud ſignificat, vt nunc dicam.

*FIGERE*, eſt intromittere, & terebrando, vel forando aliquid alicubi firmare, vel plantare. Sic Virg. 4. Georg. verſu 14.

*Ipſe labore manum duro terat, ipſe feraces*
*Figat humo plantas.*

Et quia quæ parietibus, poſtibus, vel trabibus ſuſpenduntur, ferreis clauibus, ne facile decidant, firmantur, & affiguntur, inde multoties figere dictum eſt pro ſuſpendere. Quamuis ergo figere poſitum hic, ab alijs paſſim ſumatur pro ſuſpendere, ſatius mihi viſum, id accipere pro affigere, vt ſit ſenſus: Tantam eſſe Vectidij auaritiam, vt nedum nihil ex ſuis agris omitteret incultum, quin vſque ad extremum limitem ſeméti præpararet, ſed ex vicinorum fundis, & publicis vijs deraderet aliquid, figendo aratrum ad illarum terminos. Quæ interpretatio nedum proprietatem ſeruat verbi figit, ſed congruit ſordidis Vectidij moribus, qui tenacitatis merito, quando, re bene geſta, cultis imméſis eius agris, &, per ſummũ nefas, detrita aliqua parte vicinorum, & ex ſacra, ac publica via, in quę aratrũ fixerat, ſuis iũxerat, in qua occaſione reliqui agrorum poſſeſſores, ſuis ſeruis, & operarijs, ad eos reddendos alacriores, opiparum ſolēt apparare conuiuium, ipſe ſuis non niſi far apponit, & cæpas, & vini

loco

loco, fęculentum præbet acetum. Homo ergo tantæ auaritiæ credi potuit iuſſiſſe, vel conniuiſſe ſuis operarijs, vt quid deraderent ex proximorum fundis, & publicis vijs, & compitis, figendo in eis aratra, ad aliquid ex illis terendum, & aggregandum ſuis prædijs, quo magis creſcerent, & dilatarentur.

*SERIOLA* eſt diminutiuum à ſeria, hęc autem vt diximus ſat. 2. verſu 11, eſt vas vinarium fictile, & oblõgum, quod plenum muſto, picatumque ſeruabatur; vnde Colum. lib. 12. cap. 18. *Dolia quoque, & feriæ, cęteraque vaſa, ante quadrageſimum vindemiæ diem picanda ſunt, atq; aliter ea, quæ demerſa ſunt humi, aliter quæ ſunt ſupra terram. Nam ea, quę demerſa ſunt, ferreis lampadibus ardẽtibus caleſiunt, quã picem in fundum deſtillauit, ſublata lampade, rutabulo ligneo, & ferrea curuáta radula ducitur, quod deſtillauit, aut quod in lateribus hæſit, deinde penicillo detergitur, & ferventiſſima pice infuſa, nouo alio rutabulo, et ſcopula picatur, &c.* Picabatur ergo vndique ſeria, ne ex ea vinum diſtillando efflueret. Sed quando erat inde hauriendum, deradebatur pix, & hanc picis amotionem nũc dicit limi deraſionem. Quamuis enim deradere propriè ſit radendo auferre, quomodo deraduntur pili ex genis, quum nouacula ex cutis radice auferũtur: pix etiam vel limus deradi dici potuit, ablata penitus ex orificij radice.

*LIMVS* adiectiuè eſt res obliqua, vel tortuoſa: & hinc veſtis ab vmbilico ad pedes, qua tegebãtur pudẽda, dicta ſubſtãtiuè limus, quia limã, ſeu flexuoſã purpurã, in extrema ſui par

re adiunctam habebat. De tali veſte Virg. 12. Æn. verſu 116.

*Cāpum ad certamē magnæ ſub mœnibus Vrbis*
*Dimenſi Rutuli viri, Teucriq; parabant*
*In medioque focos, & Dijs communibus aras*
*Gramineas, alij fontemq; ignemque ferebant*
*Velati limo, & verbena tempora cincti.*

Verum hic etſi ſubſtantiuè, non tamen pro veſte, ſed pro cœno, ſiue luto molli, aquis deferri ſolito, ſumitur, vt apud Virgilium in pharmaceutria, ſeu Ecloga 8. verſu 80.

*Limus vt hic dureſcit, & hæc vt cera liqueſcit*
*Vno eodemque igni, ſic noſtro Daphnis amore.*

Sic Horat. 2. ſerm. ſat. 4.

*puer vnctis*
*Tractauit calicē manibus, dum furta liguris,*
*Sine grauis veteri cratera limus adhæſit.*

Dixit autem limum veterem, innuens vini ve tuſtatem, nondum reſignato vaſe, ex quo illud fuerat repoſitum. Priſci enim vina ad multos ſeruabant annos. Hinc Martial. lib. 13. ep. 168.

*De Sinueſſanis venerunt Maſſica prælis*
*Condita quo, quæris, Conſule? Nullus erat.*

Et eodem lib. epig. 117.

*De Spoletinis, quę ſunt carioſa lagenis*
*Malueris, quam ſi muſta Falerna bibas.*

Veterem ergo limum dixit metalepticè intelligens vetus, ideoque optimum vinum, quod Vectidius habebat, ſed ab auaritia detinebatur ne illud conuiuis apponeret, immo ne ipſe ex eo biberet. Et per ſenecdochē, limi nomine picem intellexit, qua dolia limabantur, vt ex Columella vidimus.

*INGEMIT*, intus, vehementer, & ex animo ge-

gemit. At gemere eſt, ex animi anguſtia n
fletus, & ſuſpiria prorumpere. Sic Martial.
lib. 9. epig 94.

*Quę mala ſint Domini, quæ ſerui commoda*
*neſcis.*
*Condyle, qui ſeruum te gemis eſſe diu.*

Ingemere ergo eſt ex intimis visceribus gemere, vt faciunt, qui maximam fletus, ſuſpiriorum, lacrymarum, & gemituum cauſam habere ſe credunt. Virgil. Ecloga 5. verſu 27.

*Daphni tuum Pœnos etiam ingemuiſſe leones*
*Interitum, monteſque feri, ſiluęq; loquuntur.*

Talem doloris, & gemituum cauſam habe
ſe putabat Vectidius, quando, etiam re bene
geſta, vinum vetus in potu præbere debebat
agricolis.

*HOC bene ſit.* Locutio iſta exponi poteſt aſſertiuè, & ominatiuè: eaque ſignificatur fauſtè
proſperèque quid euenturum. Græci dicunt
*καλῶς ἔςω* alij; Dij benè vertant. Exponendo ergo ominatiuè, ſenſus erit, quod Vectidius quaſi in illo conuiuio ingentes feciſſet ſumptus, ſibi, ſuiſq; diuitijs ominatur, ne talibus ſumptibus abligurirentur. At exponendo aſſertiuè, ſenſus erit, vt Vectidius ſuos hortetur conuiuas, vt velint talibus epulis, & potu eſſe contenti, illiſque credere ſe lautè exceptos. Et ſi Vectidius in tali occaſione his vtebatur epulis, innuitur, cum alijs diebus canino vſum cibo, pane ſcilicet tantum, & aqua. Hac phraſi aſſertiuè vſus Horat. dicens 2. ſerm. ſat. 2.

*puer hunc paruus Ophellum,*
*Integris opibus noui, non lautius vſum,*
*Quam*

*Quam nunc acciſis videas, metato in agello*
*Cum pecore, & gnatis, fortem mercede colonũ:*
*Non ego, narrantem, temere edi luce profeſta*
*Quidquam præter olus, fumoſæ cũ pede pernæ.*
*At mihi, ſeu longum poſt tẽpus veneras hoſpes,*
*Siue operum vacuo gratus cõuiua per imbrem*
*Vicinus*, bene erat, *non piſcibus vrbe petitis,*
*Sed pullo, atq; hœdo: tum penſilis vua ſecũdas*
*Et nux ornabat menſas, cum duplici ficu.*

Et Ouid. 4. Faſt.

*Poſt modo glans nata eſt*, bene erat *iam glan-de reperta,*
*Duraq; magnificas quercus habebat opes.*

**COEPE** dictum tunicatum, quia multis tam tenuibus ad inſtar membranularum, & cartilaginum, quam groſſioribus ambitur tunicis, inuicem ita diſpoſitis, vt vna aliam complectatur, & comprimat, mediante ſemper tenui inter craſſiores: immo duę mediant cartilagines, quarum vna adhæret parti concauæ, altera conuexæ craſſioris: quę ſe habent ad inſtar Cœleſtium ſphærarum in hoc, quod vna aliam amplectitur. Sic lib. 8. loquitur Io: Sariſbariẽſis. Hic cæpa tunicatior, denſatis pellibus, & epitogijs, clamydi penulam ſuper ducit, & quaſi conglobatus in orbem rotulari quàm incedere magis idoneus videtur: Eſt autem cœpe generis neutri, ſed inuenitur cœpa fœminei, dicta à capite, cuius formam refert. Cœparum laudabiliora ſunt, quæ magnitudine excedunt, vt quæ Pompeijs, ſiue Stabijs, & Beneuento in Italia, aut Aſcalone in Siria, vel Paleſtina proueniebant, teſte Columella, qui etiam lib. 10. verſu 23. cœpam dicit lacrymo-

ſam,

ſam, ſiquidem oculorum pupillas vehementer comprimens, ex eis lacrymas elicit. Hinc Palladius de RR. in menſe Februario, titulo 24. ait; *Hoc menſe lactuca ſeritur, vt poſſit Aprili menſe transferri: item carduus ſeritur, & naſturtium, & coriandrum, & papauer ſicut menſe Nouembri, & allium, & vlpicum. Nūc ſatureia ſeritur pingui agro, non ſtercorato, ſed aprico, vel melius mari proximo, & cum cepullis mixta ſeminatur. Hoc etiam menſe cepullas ſeris, ſed conſtat eas Vere, & Autumno eſſe ſeminandas. Si ſemē eius ſeueris, in caput creſcit, & minus reddit in ſemine; ſi capitulum ponas, ipſum marceſcit, & multum ſemen educit. Terram cæpe deſiderant pinguem, vehementer ſubactam, irriguam, ſtercoratam. Ibi areas faciemus, omnibus herbis, & radice purgatas. Seremus placido, & ſereno die, maximè auſtro, vel euro flantibus. Si minuente luna ſerantur, tenues & acriores proueniunt: ſi creſcente, robuſtæ & ſaporis humecti. Rarius ſunt ponendæ: runcandæ, ac ſarculandæ ſunt ſepius. Si capita voluerimus his eſſe maiora, folia omnia debemus auferre, & ſic ſuccus ad inferiora cogetur.* His, vt porris Ægyptij venerationem, quaſi Numinibus exhibebant, vnde illos irridens Iuuenalis cecinit ſat. 15. verſu 9.

*Porrum, & cæpas, nefas violare, ac frangere morſu,*
*O ſanctas gentes quibus hæc naſcūtur in hortis Numina!*

Contra fas ergo Ægyptiorum, Vectidius cœpe momordit, quum ita ſacrilege illorum Numina violauerit. Sed quum ipſe Romanus, vel Sabinus foret, talia Ægyptiorum portenta

ſo-

forte pro Numinibus non habebat, ideoque ſacrilegio non ſe contaminabat, illa tractans irreligioſe. Nihilominus ſorditiei non effugit notam, quod in tantis diuitijs gladium non haberet ad cœpe diuidendum, ſed oportuerit illud mordicus apprehendere. Niſi to mordés cum cœpe, non cum Vectidio malis conſtruere: nam cœpe dicitur mordens, quia acrimonia, & quaſi mordacitate lacrymas ex oculis comedentis excutere valet.

*FARRATA* olla per metonymiam continẽtis indicat far in ea pręparatum, quo veſcebantur, non olla. Farre autem veſci diebus feſtis, extremæ erat paupertatis: vt hoc indicio notetur ſumma Vectidij auaritia, qui opulentiſſimus, ſuis operarijs tales apponebat cibos, illique lęti, plaudenteſque eis veſcebantur, quaſi numquam tam lautè excepti fuiſſent. Niſi mauis hunc puerorum plauſum natum, non tam ex conuiuio, quam ob emenſum culturæ laborem, immodicum certè, ſi Vectidio probari debuit. Sed prior ſenſus congruit ſordidis Vectidij moribus.

*PVERIS plaudentibus*. Puer aliquando dicitur ex ætate, ideſt à primo ad tertium ſeptẽnium. Sic Virg. Eclog. 2. verſu 17.

*O formoſe puer, nimium ne crede colori.*

Aliquando pro ſexu oppoſito puellari ſumitur. Sic Ouid. 9. Metam.

*Cultus erat pueri, facies quam ſiue puellæ,*
*Siue dares viro, fieret formoſus vterq;*

Et ibidem infra;

*namque*
*Fœmina nuper eras, puer es, date munera tẽplis.*

Et

Et deinde:

*Vota puer ſoluit, quæ fœmina uouerat Iphis.*

Aliquando ſumitur pro ſeruo, vt Marcrpor, Lucipor, ideſt puer, vel ſeruus Publij, vel Quinti, nam ſerui dominorum gentiles erant, eorumque cognominibus noſcebantur. Sic in Euangelio, puer centurionis, illius ſeruus intelligitur. Et ita ſumitur hic, nam pueri plaudentes, ſunt ſerui geſtientes præ lętitia Plaudere namque eſt lętari re benè geſta, lætitiamque oſtendere ſtrepitum manibus, pedibuſque faciendo, vt fiebat in fine comędiarum, illumque exigentes legimus antiquos Comœdos Plautum, atque Terentium.

*PANNOSAM fæcem morientis ſorbet aceti.* Expoſuerat eſculenta à Vectidio ſuis operarijs appoſita, de quibus etiam in ſollemnitate abſolutæ agrorum culturæ, veſcebatur, quando, loco mullorum, rhomborum, turdorum, & pauonum, far tantum, & cœpas apponebat: Nunc vero potum narrat, illis, & ſibi propinatum, non enim Falernum, Cęcubum, aut Setinum, vel aliud ſimile, centeno repoſitum Conſule, ſed, quamuis promptam haberet veteris vini ſeriam, ei tamen parcens, morientis aceti pannoſam ſorbet, & propinat fœcem, vt ille de quo inquit Horat. 2. ſerm. ſat. 3.

*potius folijs parcus veſcatur amaris.*
*Si poſitis intus Chij, ueteriſque Falerni*
*Mille cadis (nihil eſt, tercêtum millibus) acre*
*Potet acetum.*

Qui Horatius etiam infra eadem ſat. ait:

*Pauper Opimius argenti poſiti intus, & auri,*
*Qui Veientanum feſtis potare diebus*

Cam-

*Campana ſolitus trulla, uappamq; profeſtis*
*Quōdam lethargo grādi eſt oppreſſus, ut hæres*
*Iam circum loculos & claues, lætus ouanſque*
*Curreret, Hunc medicus multum celer, atque fidelis*
*Excitat, hoc pacto: menſam poni iubet, atque*
*Effundi ſaccos nummorum, accedere plures*
*Ad numerandum. Hominem ſic erigit, addit & illud*
*Ni tu cuſtodis, aui-dus iam hæc auferet heres.*
*Men vino? Vt uiuas igitur uigila. Hoc age, quod uis.*

Sed Perſio parum viſum dicere, auarum exhibuiſſe Veientanum, vel vappeſcens vinum, aut etiam purum acetum, vnde Vectidium inducit propinantem fœcem pannoſam aceti mocientis: ſentiens in vini, & maximè aceti deficientis ſuperficie, inueniri fœcem, floccis quibuſdam obductam, ijs ſimilibus, quibus panni decorantur, qui etiam, pannus, & flores vini, vel aceti dicuntur: & quando manāt vna cum vino, ſiue aceto, indicio ſunt, vas illud breui ſiccandum, deficiente vino. Fex autem nomen eſt commune cuicumque excremento: ſed vini excrementum proprio nomine dicitur Flox, vnde Gellius lib. 11. cap. 7. ait: *Romæ nobis præſentibus, uetus celebratuſque homo in cauſis, ſed repentina, & quaſi tumultuaria doctrina præditus, quum apud præfectum Vrbis uerba faceret, & dicere uellet, inopi quemdam, miſeroque uictu uiuere, & furfureum panem eſitare, uinūque eructum & fœtidū potare: Hic inquit eques Ro. apludem edit, & flocces bibit. Aſpexerunt omnes, qui aderant alius alium, primo triſtiores,*

*tur-*

*turbato, & requirente uultu, quidnam illud utriuſq; uerbi foret: poſt, deinde quaſi neſcio quid Thuſce, aut Gallice dixiſſet, uniuerſi riſerunt. Legerat autem ille apludam ueteres ruſticos frumenti ſurfurem dixiſſe: idque à Plauto in Comœdia (ſi ea Plauti eſt) Aſtraba inſcripta eſt, poſitum eſſe: item floces audierat priſca uoce ſignificare uini fæcem è uinaceis expreſſam, ſicuti fraces ex oleis.* Sed ratione ſubſtantiui, cui adiungitur, limitatur nunc ad vini, ſiue aceti vltimam craſſioremque portionem, quam appellat fęcem pannoſam, ob tunicam, quæ inuenitur in eius ſuperficie, cauſatam ex vapore inde reſoluto. Quod vero acetum dicatur moriens, eſt quia proximum defectui, nam eſt hic metaphora. Innuitur etiam Vectidium ex eodem aceto minus abundanter prop naſſe, vas enim ex quo illud hauriebat, vt pannoſum, erat proximè ſiccandum, quæ erat extrema auaritia.

*AT ſi unctus ceſſes, & figas in cute ſolem, eſt prope te ignotus, cubito qui tangat, & acre deſpuat in mores, penemque arcanaque lambi runcantem, populo marcentes pandere uuluas.* Dixerat maledicorum linguis obnoxios ſordidos, vt Vectidium, nunc vult detrahentium vituperationes, nec luxurioſos poſſe vitare. Vnctus ergo ceſſare ille intelligitur, qui otio, aut quieti vacat, vt fit in inſolatione. Nam aliqui ſtomacho laborantes, vngebantur, &, quo vis vnguenti ad interiora penetraret, ante prandium, & poſt exercitationem, ad ſolem, vel ad ignem apricabantur. Idque dicebant figere ſolem in cute, ideſt ſolis virtutem, na n meto-

nymicè cauſa ponitur pro effectu. Hæc autem inſolatio bona erat, quum fieret ex medicorũ præſcripto, cauſa ſanitatis. Vnde Plinius ait de quodam Spurinna. lib.3.epiſt.1. *Vbi hora balinei nunciata eſt (eſt autem hyeme nona, æſtate octaua) in ſole, ſi caret uento, ambulat nudus, deinde mouetur pila uehementer, et diu, nam hoc quoque exercitationis genere pugnat cum ſenectute. lotus accubat, et paulſper cibum differt.* Ad quem etiam morem fortè reſpexit Cicero ad Atticum l.12.epiſt.6. dicens: *Longa oratio eſt, et tu occupatus es, in eo fortaſſe aliquo negotio, et pro iſto aſſo ſole, quo tu abuſus eſt in noſtro pratulo, à te nitidum ſolem, unctumq; repetemus.* Vbi ſolem aſſum intelligit inſolationem, quã non præceſſit vnctio, nam ſic corpus aſſari videbatur: pro ſole vero vncto eã intelligit inſolationem, quam vnctio præceſſit, quæ ſolis, ſiue ignis virtute, & calore penetrans ad partes interiores, eas fouet. Verum præter iſtam inſolationem irreprehenſibilem, eſt alia hominum laſciuorum, qui nudantes corpora, partes, etiam pudendas exponebant dropaciſtis, vt volſellis, ptilathris, aut ſimilibus inſtrumentis, pilos ex eis vellerent, & eradicarent. Figere ergo ſolem in cute, eſt hanc ſoli exponere, non curſim, ſed cum aliqua mora. Sic Seneca de breuitate vitæ cap.13. *Perſequi ſingulos longum eſt, quorum aut latrunculi, aut pila, aut excoquendi in ſole corporis cura, conſumpſere vitam.*

*EST prope te ignotus. Ignotus* actiuè ponitur pro eo, qui neſcit, ſeu caret rei ſcientia. Sic Cicero ad Luceium lib.5.epiſt.12. *Illi artifices*

cor-

*corporis ſimulachra ignotis nota faciebant*. Sed frequẽtius ſumitur paſſiuè pro eo, quod ignoratur. Sic Virg. 3. Æneid. verſu 590.

*Quum ſubito è ſiluis macie confecta ſuprema*
*Ignoti noua forma viri, miſerandaque cultu*
*Procedit*.

Sic etiam Ouid. 3. Metamorph.

*Cadmus agit grates, peregrinæq; oſcula terræ*
*Figit, & ignotos montes, agroſq; ſalutat.*

Et ibidem:

*Dumq; ibi perluitur ſolita Titania lympha,*
*Ecce nepos Cadmi, dilata parte laborum*
*Per nemus ignotum, non certis paſſibus errãs*
*Peruenit in lucum, ſic illum fata ferebant.*

Et hoc modo nunc paſſiuè ſumitur ignotum, pro eo, qui adeſſe neſciebatur.

*CVBITVS* quandoque ſumitur pro quadam menſura rei continuæ, & eſt triplex, communis, regius, & geometricus: primus ſex conſtat palmis, ſeu digitis vigintiquatuor: ſecundus tribus digitis eſt eo maior: tertius vero ſex valet cõmunes; ideo Origenes, quo arca Noetica foret capax tot volucrum, reptilium, & quadrupedum, præter octo homines, & inſuper eorumdem alimẽtorum, excrementorumque, geometricis cubitis eam metiebatur, quod alijs paſſim neceſſarium non videtur. Sed nũc non eſt ſermo de cubito in hac ſignificatione, ſed potius vt eſt brachij curuatura in acumen deſinens, qua parte cubare ſolemus; ſiue vt eſt illud os brachij, cui innitimur, quod ab ima manu extenditur ad brachij curuaturam. Et vt ait Iſidorus Originum lib. 11. cap. 1. Cubitus dictus eſt, quod ad cibos ſumendos in ipſo

cubamus. Sic accepit Plautus Sticho Actu 2. ſcena 2. dicens:

*Age vt placet, curre, vt lubet, caue quemquam*
*floccifeceris*
*Cubitis depulta de via.*

Et Virg. 4. Æn. verſu 690.

*Ter ſeſe attollens, cubitoque innixa, leuauit,*
*Ter reuoluta toro eſt.*

Et Ouidius 12. Metamorph.

*Vltor adeſt Phereus, ſaxumq; è monte reuulſit*
*Mittere conatur, mittentem ſtipite querno*
*Occupat Ægides, cubitique ingentia fregit*
*Oſſa.*

Cubito autem alium tangere, eſt illius latus, inflexo brachio ferire, & ita illum admonere, vt aduertat quidpiam obſcęnè factum. Sic Horat. 2. ſerm. ſat. 5.

*Nonne vides? aliquis cubito ſtantem prope tangens*
*Inquiet, vt patiens, vt amicis aptus, vt acer*

Vbi Horatius idem vult, quod nunc Perſius, nempe, te clunē pubemq; depilante, ignotus, quem adeſſe tu neſciebas, alium cubito tangere, illum excitare ad cernēdam tuam obſcęnitatem. Et eſt hic ſenecdoche ſpeciei, nam nomine vnius mollitiei, quamcumque intelligit: quaſi dicat. Si turpiter viuas, non deerit ignotus, de quo non cogitaueras, qui tuam exagitet turpitudinem, & de tua obloquatur vita.

*Acre* adiectiuum putatur dictum ab *ἀκὶς*, acies, ſiue acumen, & ita ait Cic. 3. de Oratore: Acris acies in naturis hominum, & ingenijs: & ſic dicitur de aceto, iuxta illud Horatij 2. ſerm.

ſerm. ſat.3. *Acre potet acetum.* Sic Celſus l.4. cap.4. *Aſclepiades multarum rerum, quas ipſi ſecuti ſumus, autor bonus, acetum ait, quam acerrimum eſſe ſorbendum.* Sed alij deriuant ab ἄκρον extremum, & ſic perfectionem deſignat, aut vehementiam, vnde dicimus animaduerſionẽ acrem, ideſt vehementẽ, præter comitatem: inimicum acrem, ideſt attentum ad maleſaciẽdum &c. Et ſic acre deſpuere in mores, erit ſæue, & crudeliter, & vehementer in eos excandeſcere, eos reprehendendo.

*DESPVAT* in mores. Deſpuere eſt oris excrementa, ſpuendo deorſum iacere, ſeu talem excretionis actum fingere, ſimulare, aut imitari, vt deſpuere acriter in mores, ſit, cenſoria virgula aliorum ſeuerè mores notare, illos reprehendendo, illoſque conuicij, ac maledictis dignos iudicando. Quum enim alios iudicans ſupponatur eſſe in cathedra, & loco ſuperiori, congerens in illum probra, oris quaſi excrementa in illum iacit, & ſic deſpuit. Crimina autem, quæ iſte obijcere inducitur, de ſe grauia ſunt, vt quod penem læuigaret, depilaretq; clunem, quo ſe populo ſcortum præberet. Modeſtia certè abducebat animum ab horum expoſitione verborum, ſed ne deſim muneri commentatoris, puto, veniam apud lectores cordatos, merebor.

*PENEMQ*; Penis iuxta Feſtum à pendendo dicta, quod è poſteriori animalis parte penderet, propriè eſt cauda, vnde illa carnis ſuillæ pars, cui cauda adhærebat offa penita dicta Plauto Mil.glor. Actu 3.ſcena 1.

*Aufer hinc illam offam penitam.*

Sed metaphoricè ſumitur pro cauda ſalaci, quæ & peniculus: & hinc ex vocabuli ambiguitate iocus apud Plautum Menæch. Actu 2, ſcena 2.

*Quem tu paraſitū quæris, adoleſcēs? C. Tuum? Peniculum.*

M. *Eccum ego in vidulo ſaluum fero.*

Vbi vidulum dicit ſubligar ſcorteum, in quod eam corporis coniecerat partem. Hinc Cic. lib. 9. epiſt. 22. *Anum appellas aliquo nomine: quur non ſuo potius? ſi turpe eſt, ne alieno quidem: ſi non eſt, ſuo potius. Caudam antiqui penem vocabant, ex quo eſt, propter ſimilitudinem, peniculus; at hodie penis eſt in obſcænis. At vero Piſo ille frugi in annalibus ſuis queritur, adoleſcentes peni deditos eſſe. Quod tu in epiſtola appellas ſuo nomine, ille tectius penē: ſed tam multis factum eſt tam obſcænum, quam id verbum, quo tu vſus es.* Sic Auguſtinus de principijs Dialecticæ cap. 7. *Non offenditur aurium caſtitas, quum apud Salluſtium audit Manu, ventre, pene, bona patria lacerauerat: offenderetur autem ſi obſcœna pars corporis, ſordido ac vulgari nomine appellaretur.* Sic Iuuenalis ſat. 6. verſu 335.

*omnes*
*Nouerunt Mauri, atq; Indi, quę pſaltria penē*
*Maiorem, quam ſint duo Cęſaris Anticatones*
*Illuc, teſticuli ſibi conſcius vnde fugit mus.*
*Intulerit, vbi velari pictura iubetur,*
*Quæcumq; alterius ſexus imitata figuram eſt.*

Et de pene pro membro, & pudendo virili, nūc ſermo eſt.

*ARCANAQVE lumbi*, ideſt ſecretæ corporis

ris

ris partes: non quidem illæ, de quibus ſat. 1. verſu 20.

*Carmina lumbum intrant,*

& in priapedia epigr. 18.

*Ecquando Teletuſa circulatrix,*
*Quæ clunem tunica tegente nulla*
*Extis aptius, altiuſq; motis*
*Criſſabit tibi fluctuante lumbo.*

Nam in his, lumbus eſt libidinis ſedes, & corporis pars interior. At nunc eſt quidem pars exterior, ſed tamen modeſtiæ cauſa veſtibus tecta: & ideo arcana: nam arcanum iuxta Feſtum eſt ab arce, tutiſſima vrbis parte: vel à genere ſacrificij in arce fieri ſoliti ab auguribus, adeo remoti à vulgi notitia, vt nec litteris mandaretur, ſed celebraretur per ſucceſſorum memoriam. Vel eſt ab arca, in qua clauſa, tuta ſunt, cuius origo ab arcendo eſt. Res autē abſconditæ, latenteſque, ſunt magis tutæ, vnde arcana lumbi debent intelligi remota, & tuta ab iniuria, & obſcœnitate.

RVNCARE eſt ſpinas, tribulos, aliaſque noxias herbas ſecare, vel incidere. Sic Plinius lib. 18. cap. 21. *Siliginem, far, triticum, ſemen hordeum, occato, ſarrito, runcato, quibus dictum erit diebus: ſingulæ operæ, cuique generi in iugero ſufficient. Sarculatio induratam hyberno rigore ſoli triſtitiam, laxat temporibus vernis, nouoſque ſoles admittit; Qui ſarriet, caueat ne frumenti radices ſuffodiat. Triticum, hordeum, ſemen, fabam, bis ſarrire melius. Runcatio quum ſeges in articulo eſt, euulſis inutilibus herbis, frugum radicem vindicat, ſegetemque diſcernit à ceſpite. Leguminum cicer, eadem quæ far deſide-*

*rat. Faba runcari non geſtit, quoniam euincit herbas, lupinum runcatur tantum: milium, panicum, occatur, & ſarritur, non iteratur.* Sic Cato R.R. cap. 2. *Quum tempeſtates pluuiæque fuerint, videto quot dies, quæque operæ per imbrē fieri potuerint, dolia lauari, picari, villam purgari, frumenta transferri, ſtercus foras efferri, ſterquilinium fieri, ſemen purgari, funes veteres ſarciri, nouoſque fieri centones, cuculionesque familiam oportuiſſe ſibi ſarcire. Per ferias autem foſſas veteres tergeri, viam publicam muniri, vepres recidi, hortum fodiri, pratum purgari, virgas vinciri, ſpinas runcari, cremarique.* Hic autem runcare penē, & arcina lumbi, eſt has partes depilare, nam pili ſunt ad inſtar ſpinarum, & herbarum inutilium, & pro his metaphoricē ſunt poſiti.

*POPVLO marcentes pandere vuluas.* Verba iſta nequeunt exponi, niſi poſito pudore. Lector timens ſcandalum, aut offenſionem, tranſeat obſecro; & qui legerit, ignoſcat commentatorem agenti. Vuluam Iſidorus lib. 11. c. 1. dictam putat quaſi voluam, ſeu ianuam, quod ſemen recipiat, & ea fœtus egrediatur. Alij à voluēdo, quod ea fœtus inuoluatur: vt etiam vuluam dixerunt album boletorum inuolucrum, in oui ſpeciem erumpentium. Sic Plin. lib. 22. cap. 22. *Quorumdam ex his facilè noſcuntur venena, diluto rubore, rancido aſpectu, liuido intus colore, rimoſa ſtria, pallido per ambitum labro. Non ſunt hæc in quibuſdam, ſiccique & nitri ſimiles, veluti guttas in vertice albas, ex tunica ſua gerunt. Voluam enim terra ob hoc prius gignit, ipſum poſtea in volua, ceu in ouo*

*eſt luteum, nec tunicæ minor gratia in cibo infantis boleti.* Al js vulua eſt vtriculus ille, quo fœtus continetur. Sic Plinius lib. 11. cap 37. *Fœminis eadem omnia, præterquam ueſicę iunctus utriculus, unde dictus uterus, quod alio nomine locos appellant, hoc in reliquis animalibus, uuluam:* Vſus tamen inualuit, vt vocabulum iſtud extenderetur etiam ad mulieres, nec tãtum ad ſignificandum vterum inuoluens fœtum, ſed etiam muliebre pudendum, quod à Celſo lib. 7. cap. 29. dicitur: *os uuluæ*, vt etiam Prouerb. 30. ponitur vt ſecundum inſatiabile. Sed ab alijs iſtud os vuluæ, vulua ſimpliciter appellatur. Sic Iuuenal. ſat. 6. verſu 116.

*dormire uirum, quum ſenſerat uxor*
*Auſa palatino tegetem præferre cubili*
*Sumere nocturnos meretrix Auguſta cucullos*
*Linquebat, comite ancilla non amplius una,*
*Et nigrum flauo crinem abſcondente galero*
*Intrauit calidum ueteri centone lupanar,*
*Et cellã uacuam, atq; ſuã. Tũc nuda papillis,*
*Conſtitit auratis titulum mentita Liciſcę,*
*Oſtenditque tuum generoſè Britannice, uentrẽ*
*Excepit blanda intrantes, atque æra popoſcit:*
*Mox lenone ſuas iam dimittente puellas*
*Triſtis abit: ſed quod potuit tamẽ ultima cellã*
*Clauſit, adhuc ardens rigidę tentigine uuluæ,*
*Et laſſata uiris, necdum ſatiata receſſit.*

Qua etiam phraſi in eadem ſignificatione vſus M. Antonius Triumuir, qui loquens de inſatiabili Cleopatræ libidine, Q. Sereno ſic ſcribit: *In tantum enim, ut profeſſa eſt, in tentigine rigidæ uuluæ erat accenſa, quod à lupanari quidem, poſt perpeſſos centum, & ſex uirorum*

*concubitus, non ſatiata tamen receſſit.* Sed quum hic ſit ſermo de maſculo depilante partes pudendas, maſculi autem vuluam, vel illius os propriè non habeant, hæc vox accipienda eſt metaphoricè, pro eo membro, quod in maſculis, execrabiliter exercet officium pudēdi muliebris, quodue etiam cunnus appellatur à Martiale lib 11. epig. 43.

*Teque puta cunnos uxor habere duos.*

Quod vero hæc vulua, nempe anus, denominata ſit hic marcens, fortè ideo eſt, quia marcens idem eſt, ac langueſceas, vt vulua marcēs dicatur, quę vſui eſſe deſierit. Execrandus autem illarum partium abuſus, ad quem continuandum, mollis hic ſibi nates depilabat, tali muneri aptæ amplius non erant. Vnde quum pueri læues, ac glabri, in nobilium eſſent delicijs, hic iam grandior, & exoletus, à talibus ſpernebatur, nec ceuebat niſi apud plebeios, & populares, hinc iſte villos in maxillis habens, nates populo tātū, ſiue agaſonibus, vel baiulis exponere poterat, quia earū vſus lāguebat, & emarcuerat. Vel dictæ marcentes, quia ex partibus illis diffluebat ſperma prioris iam paſſi concubitus: ſperma autem in colore, ac denſitate, pus, ſiue marcidam refert putredinem.

*TV quum maxillis balanatum gauſape pectas, inguinibus quare detonſus curculio extat?* Hæc ex indignatione. Maxillæ autem ſi Priſtianum audiamus à malis diminutiuè dictæ: at ſi Ciceronem, malæ potius à maxillis, ſic enim ait Oratore ad Brutum: *Verba ſæpe contrahuntur, non uſus cauſa, ſed aurium: Quomodo enim*

*neſter Axilla à bala factus eſt, niſi fuga litteræ vaſtioris? quam litteram etiam è maxillis, è taxillis, & uexillo, & paxillo, conſuetudo elegans Latini ſermonis euellit*: Videtur autem quod maxilla ſit à μασσάω, ſeu μασσάομαι, mando, ſiue manduco. Quod ſi Priſcianum ſequaris, malæ erunt Græcè dictæ μᾶλα, vel μῆλα, de quibus Iulius Pollux lib. 2. cap. 4. §. 18. Malæ dictæ, quod floreant in ætatis vere. Et Iſidorus lib. 11. cap. 1. ait: Vocatę malæ, quod infra oculos promineant in rotunditatem, ſic enim malorum referunt ſpeciem. Iuxta quoſdam maxillæ à malis diuerſę, quod illæ ſint genarum partes interiores, quibus fixi ſunt dentes: hæ vero exteriores, quibus innaſcuntur pili. Sic Lucretius lib. 5. v. 887.

*Tum demum pueris æuo florente, iuuenta*
*Occipit, & molli ueſtit lanugine malas.*

Et Plin. lib. 11. cap. 37. *Extremum ambitum genæ ſuperioris antiqui cilium uocauere, unde & ſupercilia. Hoc, uulnere aliquo diductum, non coaleſcit, in paucis humani corporis membris. Infra oculos malę homini tantum, quas priſci genas uocabant, duodecim tabularum interdicto, radi a fœminis eas uetantes: pudoris hac ſedes, ibi maximè oſtenditur rubor*. Et ille apud Ciceronem 3. de Oratore:

*Impius hortatur me frater, ut meos malis miſer*
*Manderem natos.*

At hic maxillæ malæ ſunt, ideſt partes genarum exteriores, quæ pilis obducuntur, in quibus barba creſcit, villoſo in hoc catamito.

*BALANATVM*, ideſt balanino perfuſum oleo.

oleo. Balaninum vero,& balanatum,à balano ſunt,quod,teſte Dioſcoride eſt fructus arbuſculæ, tamarici ſimilis, è cuius cortice liquor exprimitur, quem vocant oleum balaninum, Plin. lib.12. cap. 21. myrobalanum quaſi díceres glandem vnguentariam appellat,dicens: *Myrobalanũ Troglodytis,& Thebaidi, & Arabiæ, quæ Iudæam ab Ægypto diſterminat, commune eſt, naſcens vnguẽto, vt ipſo nomine apparet, Quo itẽ indicatur & glandẽ eſſe arboris heliotropio ſimili folio. Fructus magnitudine auellanæ nucis. Ex his in Arabia naſcens, Syriaca appellatur,& eſt cãdida,contra,in Thebaide,nigra. Præfertur illa bonitate olei, quod exprimitur: ſed copia Thebaica. Inter hæc Traglodytica viliſſima eſt Sunt qui Æthyopicam ijs præferant glandem, nigram,ac pinguem,nucleoque gracili, ſed liquore, qui exprimitur, odoratiore, naſcentem in campeſtribus. Ægyptiam pinguiorem eſſe, & craſſiore cortice,rubentem, & quamuis in paluſtribus naſcatur,breuiorem ſicciorem que. E diuerſo Arabicam viridem,ac tenuiorem, &, quoniam ſit montuoſa, ſpiſſiorem. Longe autem optima n Petræam, nigro cortice,nucleo candido. Vnguentarij autem tantum cortices premunt medici nucleos tundunt, affuſa eis paulatim aqua calida.* Quidam putant balanum eſſe, quam nunc dicunt glandem myrepticam,Ital cè, *Noce moſcata*. Alij eſſe ſemen Ben, quod eſt ferè triangulare, quantitate infra auellanam,cortice graciliori,albido,atque villoſo,cum molli, ac croceo nucleo, quo vtuntur myreptici ad vnguenta, & odoratum oleum faciendum. Hoc tamen ſemen eſt expers omnis odoris, ideo

ideo, vt maximè ſimplex, quoſcumque ſeruat odores, nec vmquam corrumpitur: oleum autem balaninum erat ex ſe odoroſum. Sentit autem hic, indignum eſſe, eum pudendorum pilos euellere, cuius villoſæ maxillæ, balanino oleo erant perfuſæ: hoc enim eorum erat, qui quum ex ephœbis exceſſiſſent, non erant amplius, vt Ganimedes, apti catamitari.

*GAVSAPE* indeclinabile, & gauſapa primæ, gauſapum ſecundæ, & gauſapes tertiæ declinationis, eſt periſtroma, quo menſæ teguntur, vel ſtraguli genus, ex ſtramentis facti, vel ex lana, & maioribus villis, quo vtebantur in caſtris, & etiam, brumali tempore, in vrbibus, ad frigus arcendum. Sic Ouid. 2. de arte:

*Gauſape ſi ſumpſit, gauſapa ſumpta proba.*

At hic gauſape ſumitur metaphoricè, pro maioribus barbæ villis, ſeu pro barba prolixa, hiſpida, & hirſuta, gauſapis villos repreſentante.

*PECTAS* à Græco πέκω idem ſignificante, inſerto T. Et veſtem pexam eam eſſe dicunt, quam Græci μαλλωτὸν, ideſt villoſam appellant, quia, ob villorum eminētiam, pecti ſolebat. Verum villoſa à pexa diuerſa eſt, nam villoſum dicitur villos habens multos, & prolixos: pexa verò veſtis, in qua breuis eſt floccorum lanugo, cui opponitur veſtis deflocca-ta, ſiue decuris, ſeu cute priuata. Inde pexatus dicitur, pexis indutus veſtibus, nempe quarum flocci nōdum ſunt detriti. Hinc Martial. lib. 2. epig. 57.

*Pexatus pulchre, rides mea Zoile; trita*

*Sunt hæc trita quidem Zoile, ſed mea ſunt.*
Veſtis ergo pexa, tritæ opponitur. Pectebantur autem maiores lanarum villi, herinaceorū ſpinis: vnde Plinius lib. 8. cap. 37. *Ipſum animal non uerentur plerique dicere, vitæ hominum ſuperuacaneum eſſe, ſi non ſint illi aculei, fruſtra vellorum mollitie in pecude mortalibus data: hac cute expoliuntur veſtes*. Pectere autem eſt explicare, vel pangere, vt fit in capillis. Sic Horat. lib. 1. ode 15.

*Nequicquam Veneris præſidio ferox*
*Pectes cæſariem.*

Et Cic. orat. 2. in Catilinam: *Poſtremum genus eſt de Catilinæ delectu, immo vero de complexu eius, quos pexo capillo, nitidos, aut imberbes, aut benè barbatos videtis.* Sic Ouid. 1. de arte:

*Hanc matutinos pectens ancilla capillos*
*Incitet, & velo remigis addat opem.*

Vult ergo hunc, tam prolixam geſtare barbã, vt illam pectere poſſis dentato illo inſtrumento, quo capilli panguntur, & ita exceſſiſſe ex ephœbis, nec eſſe amplius commodum Veneri patiendæ.

*INGVINIBVS.* Inguen, quaſi ingen, ab antiquo ingeno, quia ibi ſunt partes genitales. Sunt autem inguina, concauæ illæ corporis partes, pubi vtrinque vicinæ, tumoribus, glãdulisque contra naturam obnoxiæ: de quibus & earum curatione Celſus lib. 7. cap. 20. Inguinum meminit Virg. Eclog. 6. v. 74.

*Quid loquar, aut Scyllam Niſi, aut quã fama ſecuta eſt*
*Candida ſuccinctã latrãtibus inguina mõſtris*
*Dulichias vexaſſe rates.*

Et per ſenecdochen ſæpe accipitur pro pudẽdis vtriuſq; ſexus. Sic Horat. 1. ſerm. ſat. 8.

*non fures dextra coercet*

*Obſcœnoque ruber porrectus ab inguine palus.*

Et Martial. lib. 7. epig. 34.

*Inguina ſuccinctus nigra tibi ſeruus aluta*

*Stat, quoties calidis tota foueris aquis.*

Hic inguina ſumuntur propriè pro partibus pubi vicinis, in quibus pili naſcũtur ſatis dẽſi, & ſiluoſi ab annis pubertatis, quos iſte, volens eſſe cinædus, depilabat, ſiue vellebat.

*DETONSVS* à verbo tondeo, addita præpoſitione De, non ſemper minuente ſignificationem, immo multoties augente, vt patet in verbis decanto, debacchor, debello, & alijs. Et ita detonſus erit probe, & diligenter tonſus. Tondere autem eſt incidere, vt fit pilis, herbis &c. Sic Plinius lib. 8. cap. 48. *Oues non vbique tondentur: durat quibuſdam in locis vellendi mos.* Significat etiam radere, vnde ſunt officinæ tonſoriæ, & nomina tonſorum, & tonſtricularum. Et ita Cicero ait 5. Tuſculan. *Ne tonſori collum committeret, tondere filias ſuas docuit; ita ſordido, ancillarique artificio, regiæ virgines, vt tonſtriculæ tondebant barbam, & capillum patris.* Sed quum hic addatur particula De, intentiua, aliquid aliud intendit, vt apud Mart. lib. 2. epig. 17.

*Tonſtrix, Suburræ faucibus ſedet primis,*

*Cruenta pendent, quo flagella tortorum*

*Argique lætum multus obſidet ſutor;*

*Sed iſta tonſtrix, Ammiane, non tondet:*

*Non tondet? inquis: Quid ergo facit? Radet.*

Radere ergo plus eſt, quam tondere, Et hoc

potuit nunc ſignificare, vel potius, hunc non totondiſſe,nec raſiſſe, ſed volſellis pilos radicitus extirpaſſe .

*CVRCVLIO.* Malunt aliqui per G, gurgulio ſcribere,quod ſit quaſi gulæ gurges. Sed etiam ſi ethymon admittamus,ſcriptionem tamen per C, retinemus,in quam dicimus G trāſiiſſe. Vnde Plautus periocham fabulę Curculio vocatæ, litteris, Curculio non Gurgulio exprimentibus,inchoauit. Eſt autem Curculio, de quo Simpoſius tale propoſuit ęnigma.

*Non bonus agricolis,nō frugibus vtilis hoſpes,*
*Non magnus forma, non recto nomine dictus,*
*Non gratus Cereri,nō paruam ſumo ſaginam.*

De eod. Virg. 1. Georg. verſu 184.

*Plurima terræ*
*Mōſtra ſeruat,populatq; ingentē farris aceruū Curculio.*

Sic Plautus Curculione Actu 4. ſcena 4.

*Vbi nunc Curculionem inueniam?*
Leno: *In tritico facillume,* (*rias.*
*Vel quingentos curculiones pro vno faxo repe-*

Curculio etiam eſt gula, ſeu fiſtula ſpiritalis, cuius operimentum eſt epiglottis, nempe illa pars colli, per quam ſpiritus attrahitur, & emittitur, quæ debet ſemper patere, vt ſpiritus à corde, & pulmone, liberum habeat exitum. Hæc formata eſt ad inſtar gutturis inſecti eiuſdem nominis, nempe Curculionis, quod lōgiſſimum eſt proportione reliqui corporis. Eius meminit Varro dicens RR. lib. 2. cap. 3. *Hircus, molliori pilo, & potiſſimum albo, ceruice, & collo breui, curculione longiore.* Et licet nec hoc modó nunc ſumatur, hinc tamen

ducta

ducta eſt metaphora, qua curculionis nomine intelligitur, vel penis, qui ſimilis eſt fiſtulæ ſpiritali, & etiam, data proportione, gutturi illius inſecti: vel neruus poſitus inter anteriorem, & poſteriorem pudendorum partem, peni continuatus & fiſtulæ ſpiritali ſimilis, circa quem in pubertate pili naſcuntur, quos iſte vellebat, vt partes forent glabræ.

*QVINQ. paleſtritæ licet hæc plantaria uellãt, Eliſaſque nates labefactent forcipe adunco, non tamen iſta filix ullo manſueſcit aratro.* Paleſtritæ dicti à palæſtra, in qua exercentur, ſicut paleſtricus ad eam pertinens, vel eius artis gnarus. Palaſtra autem, eſt vel luctantium certamen, vel habitus, motus, aut ſtatus, & locus luctæ: eſt enim à πάλα, lucta: vel à παλαίω luctor. Hinc Virg. 6. Æneid. v. 642.

*Pars in gramineis exercent membra paleſtris,*
*Contendunt ludo, & fulua luctantur arena.*

Vbi vides paleſtram dictam locum certaminis. Sed ſæpe ſumitur pro corporum exercitatione, inde palæſtritæ, qui exercebantur diſco, ſaltu, lucta, aut alio gymnicæ artis munere, maximè ad virium oſtentationem. Verum hic palæſtritæ metaphoricè ſumuntur, non pro viris fortibus, ſed pro manuum digitis, vellentibus pudendorum pilos.

*PLANTARIA* ſunt, vel plantarum loca, in quibus teneræ deponuntur plantæ, opportuno tempore alio transferendæ, ſeminaria etiam dicta à Plinio lib. 17. cap. 11. *Plantas ex ſeminaris transferre in aliud, priuſquam ſuo loco ponantur, operoſe præcipi arbitror, licet translatione folia latiora fieri ſpondeant.* Sed idem planta-

taria nominat lib. 15. cap. 1. *Nunc etiam in plantarijs ſerunt, translatarumque altero anno decerpuntur baccæ.* Et lib. 17. cap. 10. *Natura, & plantaria demonſtrauit multarum radicibus pullulante ſobole denſa, & pariente matre, quas enecet.* Vel pro ipſis plantis, quæ, ſiue ex ſemine, ſiue ex ſurculis ortæ, vna cum radicibus, & propria terra eis adhærente, transferuntur. Virg. 2. Georg. verſu 23.

*Hic plantas tenero abſcindẽs de corpore matrũ*
*Depoſuit ſulcis, hic ſtirpes obruit aruo,*
*Quadrifidaſque ſudes, & acuto robore vallos,*
*Siluarumq; aliæ preſſos propaginis arcus.*

Sed neutro modo hic. Vbi plantaria quidam eſſe dicunt vermiculos è pudendis ſcaturientes: ſed præſtat intelligi pilos natos circa pubem; ſic Auſonius epig. 128.

*Inguina, quid calido lauas tibi dropace, cauſa*
*eſt*
*Irritant volſas quia membra lupas,*
*Sed quod, & elixo plantaria podice vellis,*
*Et teris incluſas pumice clazomenas*
*Cauſa latet, bimarẽ niſi quod patientia morbũ*
*Appetit, & tergo fœmina, pube vir es.*

Vbi Perſij verba, & ſenſum expreſſa vides, & imitata ab Auſonio, & ſic ille eſt intelligendus.

VELLERE eſt radicitus extirpare, vt fit in plantis, alijſque penitus affixis. Sic Columel. lib. 11. cap. 3. *Primo anno, quum ita conſita ſunt, aſparagum, quem emiſerint, infringi oportet: nam ſi ab imo vellere volueris, adhuc teneris, inualidiſque radiculis, tota ſpongiola ſequetur; reliquis annis non erit decerpendus, ſed radi-*

*dicitus uellendus.* ſic Virg.3.Æneid.v.22.

*Forte fuit iuxta tumulus, quo cornea ſummo*
*Virgulta, et denſis haſtilibus horrida myrthus*
*Acceſſi, uiridemq; ab humo conuellere ſiluam*
*Conatus, ramis tegerem, ut frondentibus aras*
*Horrendum, & dictu uideo mirabile monſtrū*
*Nam quæ prima ſolo, ruptis radicibus arbos*
*Vellitur &c.*

Sic ergo vellere eſt extirpare, & à radicibus eruere. Et ita nunc ſumitur, nam pili vulſellæ radicitus è cute extrahuntur: immo vulſellæ, ab ipſo vellendi munere ſunt appellatæ.

*ELIXAS.* In quodam antiquo codice legi, Eliſas. Sed impreſſi ferè omnes habent elixas. Vtraque lectio poteſt ſuſtineri. Nam eliſa eſt à verbo elido, ideſt debilito, detero, occido, effringo. Vel eſt à liſis: ſeu venis maioribus gutturis, vt illud dicatur eliſum, quod ex earum conſtrictione mortuum fuerit. ſic Virgil. 8. Æneid. verſu 287.

*Hic iuuenum choros, ille ſenum, qui carmine laudes*
*Herculeas, & facta ferunt, ut prima nouercæ*
*Monſtra manu, geminoſque premens eliſerit angues.*

Et Plautus Rudente Actu 3. ſcena 2.

*Iube oculos elidere, itidem ut ſepijs faciunt coqui.*

Et Plinius lib. 11. cap. 37. *Medulla ex eodem uidetur eſſe, in iuuenta rubens, & ſenecta albeſcens; Non niſi cauis hæc oſſibus, nec cruribus iumentorum, aut canum: quare fracta non ferruminantur, quod defluente euenit medulla. Eſt autem pinguis ijs, quibus adeps, ſeuoſa cornigeris, ner-*

*noſa*

*uoſa, & in ſpina tantum dorſi, oſſa non habentibus, ut piſcium generi urſis nulla, leoni in fœminum, & brachiorum oſſibus paucis & exigua admodum, cæterum tanta duritia, ut ignis elidatur, uelut è ſilice.* Vnde nates eliſas intelligere poſſumus detritas, ſiue quaſſatas, vel debilitatas per pilorum ex ipſis euulſionem. Legẽdo vero elixas, intelliguntur lotæ, ſeu madefactæ: nam elixum eſt ab aquæ liquore, vel ab antiquo lix, ſiue lixa, nempe aqua: vnde Nonius ait: Elixum quod aqua mollitur, vel decoquitur, nam lixam aquam eſſe veteres dixerunt, vnde & lixæ dicti, qui militibus aquam ad caſtra, vel ad tentoria ferre ſolent, ex quo cibus elixus, aqua coctus, & cinis lixiuus, aqua percolatus. Sic ergo nates elixę erunt aqua madefactæ, & ita diſpoſitæ, vt ex ipſis pili volſellis extraherentur.

*LABEFACTARE* eſt debilitare, & inutile reddere, afficiendo ſiue dolore, ſiue immodica voluptate. Lucret. lib. 4. verſu 1105.

*Vſq; adeo cupide Veneris compagibus hærent*
*Mẽbra uoluptatis, dũ ui labefacta liqueſcunt.*

Eſt etiam reddere mobilem labantemque debilitare, ſiue labefactatio fiat tunſionibus, ſiue aliter. Hinc Terent. Adelphis Actu 2. ſc. 2.

*Etiam de ſorte nunc uenio in dubium, miſer,*
*Pudet nihil, omnes dentes labefecit mihi.*

Et ſic nunc ſumitur pro debilitare, quaſſare, doloreque afficere, nam partes ex quibus pili extrahuntur, quaſſantur &c.

*FORCIPE*. Tria inſtrumenta, nominibus, ſubſtantia, & vſu, parum diuerſa, recenſet Beda lib. de Ortographia, dicens: Forcipes ſe-

cundum ethymologiam, ſi à filo dicuntur, f, ponitur, vt forfices, quæ ſunt ſartorum: ſi à pilo per p, vt forpices, quæ ſunt tonſorum: ſi ab accipiendo, per c, eo quod foruum capiũt, quæ ſunt fabrorum: foruum enim dixerunt antiqui calidum, vnde & formoſus Sed ſi prior compoſiti (forceps) pars, eſt foruus, quur nõ & in forfex, & in forpex? Potius ergo in omnibus prima pars compoſiti eſt ferrum, e in o mutata, vt ab hemo, homo, ab elus, olus &c. & ita forceps erit ferricapis, ideſt ferrum, quo aliquid capimus: & forfex quaſi ferrifacis, ideſt ferrum, quo aliquid facimus: niſi malis eſſe ferri filex, ideſt ferrum fila ſecans: & forceps, ferrum ſecans pilos. Nec obſtat Seruius dicens ad illa verba Virgilij 8. AEn. v. 453.

*uerſantque tenaci forcipe maſſam.*

dicẽs: *Forfices, quibus incidimus, forcipes quibus aliquid foruũ tenemus, quaſi formicapis, nã foruũ eſt calidum, unde et formoſos dicimus, quibus calor ſanguinis ex rubore pulchritudinem creat.* Nam eadem, quæ Bedæ, dicimus Seruio. Forcipis meminit Ouid. 12. Metamorph.

*Arſerunt crines, & uulnere ſanguis inuſtus*
*Terribilem ſtridore ſonum dedit, ut dare ferrũ*
*Igne rubẽs, plerumq; ſolet, quod forcipe curua,*
*Quum faber eduxit, lacubus demittit, at illud*
*Stridet, & in tepida ſubmerſum ſibilat unda.*

Forficum vero meminit Celſus lib. 7. cap 12. dicens: *Dent hærens cum ſummo periculo euellitur, ac nonnumquam maxilla loco mouetur: idq; etiam maiore periculo in ſuperioribus dentibus fit, quia poteſt tempora, oculoſue concutere. Tum ſi fieri poteſt, manu, ſi minus, forfice, dens exci-*

*piep-*

*tiendus eſt, ac ſi exeſus eſt, ante id foramen, u ~ linamento, vel bene accomodato plumbo replendũ eſt, ne ſub forſice confringatur. Recta vero forſex ducenda eſt, ne inflexis radicibus, os carũ cui dẽs inhæret parte aliqua frangatur: neq; ideo nullum eius rei periculũ eſt, vtiq; in euidẽtibus breuibus qui ferè longiores radices habent, ſæpe enim forfex, quum dentẽ comprehẽdere non poſſit, aut fruſtra cõprehendat, os gengiuæ prehendit, et frãgit.* Sed nullo ex his modis forceps nunc intelligitur, quũ ei additũ fuerit epitheton, adunca, nõ ergo eſt forceps incidẽs. Sed capiens, ac tenẽs, vt volſella, de quo Celſus l.6. c.18. *Hæc citra cancrum ſunt, qui quã in reliquis partibus, tum in his quoq; vel præcipuè vlcera infeſtat. Incipit à nigritie, quæ, ſi cutẽ occupanit, protinus ſpecillũ ſubijciendum, eaq; incidenda eſt, deinde oræ volſella prehẽdendæ, tum quidquid corruptũ eſt, excidẽdum, ſic vt ex integro quoq; paullum demat, idq; adurendum.* Sic Martial. l.9. epig.28.

*Quum depilatos Chreſte, coleos portes,*
*Et vulturino mentulam, parem collo,*
*Et proſtitutis læuius caput culis,*
*Nec viuat vllus in tuo pilus crure,*
*Pingantq; ſeuæ cana labra volſellæ.*

Hæ igitur volſellæ, quibus pili è cute radicitur extrahũtur, per ſenecdochen vnius ſpeciei pro alia, nunc intelliguntur nomine forpicis.

*ADVNCA*, reflexa, curua, tortuoſa. Sic Cicero pro A. Cluentio: [ Strato ille medicus domi furtum fecit, & cædem eiuſmodi. Quum eſſet in ædibus armarium, in quo ſciret eſſe nummorum aliquantum, & auri, noctu duos conſeruos dormientes occidit, in piſcinamque de-

deiecit: ipſe armarij fundum exſecuit, & ſeſtertiorum, & auri quinque pondo abſtulit, vno ex ſeruis, puero non grandi, conſcio. Furto poſtridie cognito, omnis ſuſpicio in eos ſeruos, qui non comparebant, commouebatur: Quum exſectio illa fundi in armario animaduerteretur, quærebant homines quonam modo fieri potuiſſet: quidam ex ſeruis Saſſiæ, recordatus eſt, ſe nuper in auctione quadam vidiſſe in rebus minutis, aduncam, & omni ex parte dentium, & tortuoſam venire ſeculam, qua illud potuiſſe ita circūſecari videretur.] Et ita nunc, nam volſellę, ſiue forcipes aduncę ſunt, vt pilos tenere, & euellere poſſint.

*FILIX*, vel vt alij ſcribunt Felix, dicta per antiphraſim, quod aruis ſit minimè felix. Inde opera filicata, ideſt cęlata; vnde Cicero Paradoxo 1. *Quid Numa Pompilius? minuſne gratas Dijs immortalibus capedines, ac fictiles vinnulas fuiſſe, quam filicatas aliorum pateras arbitramur?* Sic idem ad Atticum lib. 6. epiſt. 5. *Sed heus tu, quid cogitas? In filicatis lancibus, & ſplendidiſſimis caniſtris, oluſculis nos ſoles paſcere? quid te in vaſis fictilibus appoſiturum putem?* Filix autem herba eſt campeſtris, caule, folio, fructu, & ſemine deſtituta, quæ per radices ſibi inuicem nexas propagatur, ideoque difficilem reddit arationem, quia multiplici, & erratico radicum implexu, aratra præpedit, & ſæpe ex agris euulſa, ſæpius eiſdem innaſcitur. Sic Virg. 2. Georg. verſu 189.

*Et filicem curuis inuiſam paſcit aratris.*

Hic tamen filicis nomine intelligitur non herba agreſtis & vrenda, vt loquitur Horat. 1. ſer. ſat. 3. Ne-

*Neglectis vrenda filix innaſcitur agris.*

Sed intelliguntur pili circa pubem, qui ad inſtar filicis, quantumcumque volſellis extrahantur, nō tamen poſſunt euinci, quin iterum renaſcantur.

*MANSVESCERE* à manſueto, hoc eſt manibus ſueto, vel quod etiam manibus ſe ſinat tractari. Sic Virg. 7. Æn verſu 483.

*Ceruus erat forma praſtanti. & cornibus ingēs*
*Tyrrhidę pueri, quem matris ab vbere raptum*
*Nutribant, Tyrrheuſq; pater, cui regia parent*
*Armenta, & late cuſtodia credita campi:*
*Aſſuetum imperijs, ſoror omnia Siluia cura*
*Mollibus intexens ornabat cornua ſertis,*
*Pectebatque ferum. puroque in fonte lauabat.*
*Ille manum patiens, menſęq; aſſuetus herili*
*Errabat ſiluis, rurſuſq; ad limina nota*
*Ipſe domum ſera quamuis ſe nocte ferebat.*

Manſueſcere igitur propriè dicitur de feris animalibus, quæ, cicurata ad manum accedunt. Eſto Virgil. de infernalibus dixerit 4. Georg. verſu 470.

*Neſciaq; humanis precibus manſueſcere corda*

Et de terr. 2. Georg. verſu 239.

*Ea nec manſueſcet arando.*

Verum filicem manſueſcere aratro, eſt deſinere, iterum germinare, & succreſcere. Sic enim videtur conſentire extirpationi ſuiſpſius ad cultoris voluntatem, & ita videtur manſuefactum. Hic tamen omnia dicta metaphoricè, vnde filicis nomine intelligūtur pili, quorum fruticatio fruſtra cohibetur volſellis, nam filix iſta non manſueſcit hoc, vel alio aratro, vt nouacula, aut ſimili.

CAEDIMVS, *inque uicem præbemus crura ſagittis*. Cædo non eſt à verbo cado, ſed ab antiquo caido, nam primam producit, & in præterito creſcente, etiam ſecundam, quod contra eſt in cado. Multa ſignificat, vt dicere, vel dare, & tunc non habet niſi ſecundam imperatiui perſonam. Sic Terent. Andr. Actu 4. ſcena 2.

*Quid facies? cædo*, nempe, dic.

Et ibi Actu 4. ſcena 5.

*Cædo cuium puerum hic appoſuiſti*: ideſt, dic.

Et Phormione Actu 4 ſcena 3.

*Cedo, quid poſtulat?*

Et ibidem Actu 4. ſcena 4.

*Cædo nunc porro Phormio*
*Dotem ſi accipiat, vxor ducenda eſt domum.*

Dare vero ſignificat apud Plautum Aulul. Actu 4. ſcena 6.

*Illum ex Siluani luco, quam abſtuleras, cædo,*
*I, refer,*

Et Curcul. Actu 1. ſcena 3.

*Auro contra cedo modeſtum amatorem à me aurum accipe.*
*Cædo mihi contra aurichalco.*

Aliquando eſt recedere, & dare locum, & tūc habet alia tempora, & perſonas, vt cædere iræ, bonis, iuri ſuo, & alia. Vt etiam quum ſignificat obſequi, vel non repugnare. Sic Virg. l. 2. AEneid. verſu 704.

*Cædo equidē nec gnate tibi comes ire recuſo.*

Vel quum metaphoricè eſt occidere, vel necare. Sic Virg. 2. AEneid. verſu 265.

*Inuadunt vrbem ſonno vinoq; ſepultam*
*Cæduntur vigiles, portiſq; patentibus omnes*

Ac.

*Accipiunt ſocios.*

Sed propriè eſt percutere, ferire, aut verberare Sic Terent. Andriæ Actu 1. ſcena 2.

*Verberibus cæſum te in piſtrinum*
*Daue dedam vſque ad necem.*

Nec tantum dicitur in homines, ſed etiam in inanimata. Et ita nunc ſumitur pro ferire, & percutere, & alludit ad morem gladiatorũ. Sed ab hac ſignificatione propria, cædendi verbum translatum eſt ad linguæ vulnera, de quibus ait, vnum alium ferire, de eo obloquẽdo, probraque in illum congerendo, ſeu illius famam deterendo, viciſſimque idem ab eo expectando.

*INQVE vicem* per Diacopin, ſeu Tmeſin, Latinè ſectionẽ, ſeu interciſionẽ, quũ vox per quidpiam interiectum diuiditur, vt in noſtris Inſtit. Orat. lib. 3. Tr 3. cap 4. vt in illo Calpurnij:

*Perfracte oblatam ſtultum eſt medi ſpernere cinam,*

ideſt ſpernere medicinam, & ita hic dictum: *Inque vicem*, pro inuicem: ſic ſeptemque triones, pro, & ſeptemtriones. Inuicem autem idem eſt, ac mutuo, ſeu viciſſim, ab in, & vicẽ, quaſi per vices, & ita eſt nunc accipiendum.

*CRVRA* dicta iuxta Iſidorum 11. Originũ cap. 1. quod ijs curramus: vel à κρυω, ferio, quia gradiendo, huc, & illuc feriant. Sunt partes corporis, à genibus ad imum pedem protenſæ. Crurum quodlibet duobus conſtat oſſibus, tibia, & ſura. Sic Celſus lib. 8. cap. 1. *Superiora in ſinus coxæ ſicut humeri, in ea oſſa, quæ ſcapularum ſunt, conijciuntur, tum infra in-*

*introrſus leniter tendunt, quo æqualius ſuperiora membra ſuſtineant. Atque in eo inferiora quoq; capita media ſinuantur, quo facilius excipi à cruribus poſſint. Qua commiſſura, oſſe paruo, molli, cartilaginoſo tegitur, patellam vocant: hæc ſuperinnatans, nec vlli oſſi inhęrens, ſed carni & neruis alligata, pauloq; magis ad femoris os tendens, inter omnes crurum flexus iuncturam tuetur. Ipſum autem crus eſt ex oſſibus duobus, etenim per omnia fen ur humero, crus vero brachio ſimile eſt, adeout habitus quoq; & decor alterius ex altero cognoſcatur, quod ab oſſibus incipiens etiam in carne reſpondet: Verum alterũ os ab exteriori parte ſupra poſitũ eſt, quod ipſum quoq; ſura rectè nominatur: id breuius, ſupraq; tenuius ad ipſos talos intumeſcit: alterum à priori parte poſitum, cui Tibię nomen eſt, longius, & in ſuperiori parte plenius, ſolum cum femoris inferiori capite committitur, ſicut cum humero cubitus.* Poſita ſunt autem hic crura, & ſagittæ per ſenecdochen vnius ſpeciei, & partis integralis pro alia; & alludit ad gladiatores, qui tali pugnabant lege: vt per vices ferire, & ſeſe expectare deberent, vt contra eorum leges foret: eorum vnum aduerſarium ſecundo ferire, vel in eum iterato ictum vibrare, ſed etiam ſi prior ictus in vanum cecidiſſet, redhoſtimẽtum à ſuo antagoniſta expectare tenebatur: non tamen prohibebatur aduerſarij ictum vitare, oppoſitione armorum, declinatione per ſaltum, & corporis agilitatem: & in hoc maximè conſiſtebat gladiatorię artis peritia. Et quum aduerſarius feriendi feciſſet periculum, licebat aduerſario eumdem tentare. Sed quia

non tantum crura ferienda prębebant, ſed etiã caput, pectus, immo quamlibet corporis partem, quam aduerſarius minus cuſtoditam vidiſſet. Nec vtebãtur tantum ſagitt s, ſed quolibet armorum genere, dummodo in quolibet gladiatorum pari, arma forent æqualia, & frequentius gladijs trãſigebant, ideo nom nando hic crura, & ſagittas, ſenecdochicè locutus eſt. Vſus etiam metaphora, nam intelligit de vulneribus maledicorum lingua illatis, & inflictis, non tam in crura, & femora, quam in famam, & mores. Sic & Horat. 2. ſer. ſat. 2.

*Cædimur, & totidem plagis conſumimus hoſtẽ.*

Et Ouidius 4. de Ponto elegia 7.

*Pugnat ad exemplum primi minor ordine pili*
*Multaq; fert miles vulnera, multa facit.*

*SAGITTA* quandoque eſt ſignum Cęleſte, de quo Plinius lib. 18. cap. 26. *Pridie nonas Ianuarij Cęſari Delphinus matutino exoritur, & poſtero die fidicu la, quo Ægypto Sagitta veſperi occidit.* Quandoque eſt pars extrema ſarmenti. Sic Columel. lib. 3. cap. 17. *Aßentior his autoribus, qui negauerunt eſſe idoneam frugibus ſuperiorem partem materiæ, ſolamq; eã, quæ eſt iuncta cum vetere ſarmento, probauerũt: Cęterum omnem ſagittam repudiauerunt: Sagittam ruſtici vocant nouiſſimam partem ſurculi. ſiue quia longius receſſit à matre, & quaſi micuit, atq; proſiluit; ſeu quia cacumine attenuata, prędicti teli ſpeciem gerit.* Sed communiter ſumitur pro quodam telo, quod iaculatur, ſeu arcu emittitur, de quo Virg. 12. Æneid. v. 318.

*Has inter voces, media inter talia verba*
*Ecce viro ſtridens alis allapſa ſagitta eſt.*

Et ibidem verſu 856.

*Non ſecus,ac neruo per nubẽ impulſa ſagitta.* Putat Iſidorus lib. 18 cap. 8. ſagittam dici à ſagaci, ſeu celeri ictu, quod ſentire debent, qui percutit, ſcribunt ſagictam. Alij deriuant à ſaga σάγμα, eliſo μ, & eſt inuolucrum, ſeu theca clypei. Alij à σάγης, ſeu omni armorum genere, ſed ſenecdochice attribuitur huic telo.

*VIVITVR hoc pacto, ſic nouimus. Ilia ſubter cæcum uulnus habes, ſed lato baltheus auro protegit. Vt mauis, da uerba, & decipe neruos ſi potes. Viuitur,* verbum imperſonale,ideſt vita degitur, ſeu perſeueratur, & manetur inter viuos, quę eſt vita naturalis conſurgens ex coniunctione animæ ad corpus: ſumitur etiã pro vita ciuili,ſiue geniali,& voluptuoſa,ſiue honeſta, & ſapienti, vnde dicuntur vitæ actiua,& contemplatiua, Stoica,& Epicuræa. Sic Plautus Perſa Actu 1.ſcena 1.

*Quid agitur?* T. *Viuitur.*

Sic Terent.Heautontum. Actu 1.ſcena 1.

*Neq; tu illum ſatis noueras,*

*Nec te ille,hoc vbi ſit,ibi non verè viuitur.*

Sic Horat.2.carm.ode 16.

*Viuitur paruo bene, cui paternum*

*Splendet in menſa tenui ſalinum.*

Et Ouid.1.Metamorph.

*Viuitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus.*

Ita hic ait,omnes ita viuere occupatos in peruestigandis aliorum moribus, abſque cura propriorum.

*HOC pacto.* Putant aliqui pactum eſſe à pace, & actu,quaſi pacis actus,nam qui paciſcũ-

tur,ex contrarijs animorum motibus,poſt va-
ria certamina, in vnam ſententiam conſentiē-
res veniunt. Vel à palmarum percuſſione,qui
enim ſe obligabant, in ſignum inuiolabilis fi-
de, ſuarum manuum palmas, inuicem percu-
tiebant. Sed neutro modo nunc ſumitur,quia
vtroque declinatur, at nunc eſt indeclinabile,
& ſignificat morem,ſiue modum. Sic Terent.
Andriæ Actu 1. ſcena 1.

*Eo pacto, & gnati vitam,& conſilium meum*
*Cognoſces.*

Et ita nunc ſumitur,vt Viuitur hoc pacto,idē
ſit,ac, degitur vita hoc modo, ſeu iuxta hunc
morem.

*ILIA* appellantur illæ imi ventris partes,
quæ ſunt inter pubem,& coxas,de quibus.Sic
Celſus lib. 4. cap. 1. *Vulua in virginibus ad-
modum exigua eſt, in mulieribus vero, niſi vbi
grauidæ ſunt, non multo maior, quam vt manu
comprehendatur. Ea recta, continuataque ceruice
( quem canalem vocant ) contra mediam aluū
orſa, inde paullum ad dexteriorem coxam conuer-
titur, deinde ſuper rectum inteſtinum progreſſa,
ilijs fæminæ latera ſua innectit: Ipſa autem ilia
inter coxam & pubem, imo ventre poſita ſunt, à
quibus, ac pube abdomen ſurſum verſus ad præ-
cordia peruenit ab exteriori parte euidenti cute,
ab interiori leui membrana incluſum, quæ omēto
iungitur.* Et Plinius lib. 11. cap. 37. *Infra aluū
eſt, à priore parte, veſica, quæ nulli oua gignen-
tium, præter teſtudinem, nulli niſi ſanguineum
pulmonem habenti nulli pedibus carenti: Inter eā
& aluū, arteriæ ad pubem tendētes, quæ ilia ap-
pellantur.* Hinc conſtat ilia propriè eſſe arte-

rias intra pubis cutem exiſtentes: ſed hic eorum nomine venit ipſa cutis, & partes corporis, ſecretæ tamen, quæ veſtibus, vel baltheo tegerentur. Et in his partibus vulnus habuiſſe dicitur is, de quo nunc loquitur, & illud abſcondere voluiſſe, quia de illo erubeſcebat: Quibus verbis alludit ad vulnera Neronis, de quibus ſic Sueton. Nerone cap. 26. *Petulantiam, libidinem, luxuriam, auaritiam, crudelitatem, ſenſim quidem primo, & occultè, velut iuuenili errore exercuit: ſed vt tunc quoq; dubiũ nemini foret, naturæ illa vitia non ætatis eſſe. Poſt crepuſculum ſtatim arrepto pileo, vel galero, popinas inibat, circumq; vicos vagabatur, ludibundus, nec ſine pernicie tamen, ſiquidem redeuntes à cœna verberare, ac repugnantes vulnerare, cloacíſque demergere aſſueuerat; tabernulas etiam effringere, & expilare, quintana domi conſtituta, vbi partæ, & ad licitationem diuidendę prædæ pretium aſſumeretur. Ac ſæpe in eiuſmodi rixis, oculorum, & vitæ periculum adijt, à quodam laticlauio, cuius vxorem attrectauerat, prope ad necem cæſus: quare numquam poſtea ſe publico illud horę, ſine tribunis comm:ſit procul, & occultè ſubſequentibus.* Et Tacit. lib. 13. Annal. §. 7. *Q. Voluſio P. Scipione Coſſ. otium foris, fœda domi laſciuia, qua Nero itinera vrbis, & lupanaria, & diuerticula, veſte ſeruili in diſſimulationem ſui compoſitus, pererrabat, comitantibus, qui raperent ad venditionem expoſita, & obuijs vulnera inferrent, aduerſus ignaros, adeo vt ipſe quoq; acciperet ictus, & ore præferret. Deinde vbi Cæſarem eſſe, qui graſſaretur pernotuit, augebanturq; iniuriæ aduerſus viros, fæ-*

*minaſq; inſignes, & quidam ſimili licentia, ſub nomine Neronis, multi, proprijs cum globis eadem exercebant, & in modum captiuitatis nox agebatur. Iulius quidam Montanus Senatorij Ordinis, ſed qui nondum honores capeſſiſſet, congreſſus fortè per tenebras cum Principe, quia vim tentantem acriter repulerat, deinde agnitũ, orauerat, quaſi exprobraſſet, mori adactus eſt. Nero autem metuentior in poſterum, milites ſibi, & pleroſque gladiatorum circumdedit, qui rixarum initia modica, & quaſi priuata, ſinerẽt: ſi à læſis validius ageretur, arma inſerebant*, Neuter autem dicit Neronem uulnus in ilijs accepiſſe: ſed iliorum nomine hic intelliguntur partes tectæ, ſecretæque, & vulnus fuiſſe ſecretum, de quo nullus loqui audebat, ne Principi exprobraret. Iliorum autem vulnera eſſe læthalia, innuit Statius 8. Thebaid. verſu 696. dicens:

*Ora Thoantis*
*Pectora Deilochi, Clonij latus, ilia torui*
*Perforat Hippotadæ.*

Et eodem lib 8. verſu 716.

*Ecce ſecat Zephyros, ingentem fraxinus, iram*
*Fortunamq; ferens, teli non eminet author*
*Aſtacides Menalippus erat: nec prodidit ipſe,*
*Et vellet latuiſſe manum, ſed gaudia turmæ*
*Monſtrabant trepidum, nam flexus in ilia Tydeus*
*Submiſſum latus, & clypei laxauerat orbem.*

*COECVS* actiuè eſt, qui videndi caret facultate ob organi læſionem. Sed vnde deriuetur cœci nomen, cœcum, & obſcurum eſt. Quidam deriuant à carendo, quod oculorum munere

careat; alij à capiendo, quod eis ſit captus: alij à Græco *καίω* vro, quod ignis, vel fumus, oculis, & viſui maximè noceat. Nulla ex his ſatisfacit, ſed meliorem non habeo. Paſſiuè autem eſt, qui vix, aut nullatenus oculis cordis, vel corporis poteſt videri. Sic Columel. lib. 1. cap. 5. *Sæpe contrahuntur cæci morbi, quorum cauſas ne medici quidem perſpicere queunt*. Sic Cicero orat. 16. id eſt 2. contra Rullum de lege agraria: *Datur eis primum, vt liceat eis vendere omnia, de quibus vendendis Senatus conſulta facta ſunt M. Tullio Cn. Cornelio Coſſ. aut poſtea: quur hoc tam eſt obſcurum, atq; cæcum?* Et Virg. 6. Æneid. verſu 28.

*Magnum Reginæ, ſed enim miſeratus amorem*
*Dædalus, ecce dolos tecti, ambageſq; reſoluit*
*Cæca regens filo veſtigia.*

Et idem Virg. 9. Æneid. verſu 148.

*Non armis mihi Vulcani, non mille carinis*
*Eſt opus in Teucros: addant ſe protinus omnes*
*Etruſci ſocios: tenebras, & inertia furta*
*Palladij, cæcis ſummæ cuſtodibus arcis,*
*Ne timeant, nec equi cæca condemur in aluo.*

Sic nunc paſſiuè dictum vulnus cæcum, quod ſedulo abſcōdebatur, quique eo affectus erat, illud diſſimulabat, ſed non quibat, quin ex ſignis, & virium defectu proderetur. Et ſic de vulneribus animorum, id eſt vitijs, ac peccatis quantumcumque ſecreto quis peccet, eius reſciuntur delicta, quia etiam virtutum opera, quum non procedunt ex earum habitibus, eneruia ſunt, & debilia: contra vitia, vegeta & fortia ex habitibus, & ita ſtatim ſe produnt. Sic Gellius lib. 12. cap. 11. ait: [ Philoſophum

nomine Peregrinum, cui poſtea cognomentum Proteus factum eſt, virum grauem, atque cõſtantem vidimus, quum Athenis eſſemus, diuerſantem in quodam tugurio extra vrbem. Quumq; ad eũ frequẽter ventitaremus, multa herclè dicere eum vtiliter, & honeſtè audiuimus, in quibus id fuit, quod præcipuum auditu meminimus: Virum quidem ſapientem, non peccaturum eſſe dicebat, etiam ſi peccaſſe eum, Dij atque homines ſaturi forent. Non enim pœnæ, aut infamiæ metu non eſſe peccandum cenſebat, ſed iuſti, honeſtique ſtudio, & officio. Si qui tamen non eſſent tali, vel ingenio, vel diſciplina præditi, vti ſe vi ſua, ac ſponte facilè à peccando tenerent, eos omnes tunc peccare procliuius exiſtimabat, quum latere poſſe id peccatum putarent, impunitatemque ex ea latebra ſperarent: at ſi ſciant, inquit, homines, nihil omnium rerum diutius poſſe cælari, ſuppreſſius, prudentiuſq; peccabitur. Propterea verſus iſtos Sophoclis prudentiſſimi poetarum in ore eſſe habendos dicebat *πρὸς ταῦτα κρύπτε μηδὲν ὡς ἅπανθ᾽ ὁρῶν καὶ πάντ᾽ ἀκούων πάντ᾽ ἀναπτύσσει χρόνος.* Nihil occultè quando cuncta tuens. Et cuncta audiens omnia reuelabit dies.] Et S. Abbas Nilus oratione 5. quæ eſt de Triſtitia ait: Triſtitiæ vis nihil in eum poteſt, qui domuit cupiditates: qui vero ſuccubuit voluptati, is triſtitiæ vincula non effugiet. Qui triſtatur aſſiduè, ſeque à perturbationibus liberum ſimulat, ſimilis eſt ægrotanti, qui valere ſe fingit: quemadmodum enim ex colore æger, ſic ille agnoſcitur ex triſtitia.

*BAL-*

*BALTHEVS*, & Baltheum in ſingulari, maſculini, & neutri generis, in plurali frequentius, vel tantum neutri, ſcribitur tam aſpirate, quaſi per θ, quam per ſimplex τ; crediturq; vox à Thuſcis accepta, ad ſignificandum gradum celſiorem, latioremque Circi, vel Amphiteatri, qui reliquos, vt minores, præcingat, vnde & præcinctio dictus. Et ſic accepit Tertull. de ſpectaculis cap. 3. dicens: *Apud ſpectacula, & in via ſtaturinias enim uocant cardines baltheorum per ambitum, & diſcrimina popularium per proclinum*. Sed paſſim baltei nomine intelligimus cingulum militare. Sic Virgil. 5. Æneid. verſu 311.

*Alter Amazoniā pharetram plenamq; ſagittis*
*Threicijs, lato, quam circum amplectitur auro*
*Balteus.*

Et idem Virg. 12. AEneid. verſu 940.

*Et iam iamq; magis cunctantē, flectere ſermo*
*Cæperat, infelix humero, quum apparuit alto*
*Balteus, & notis fulſerunt cingula bullis*
*Pallātis pueri, victum quem uulnere Turnus*
*Strauerat, atque humeris inimicum inſigne ferebat.*

Erant autem antiquorum baltea tam lata, vt eis pro peris etiam, & manticis vterentur, ad deferendas pecunias, & res neceſſarias, maximè in itineribus. Verum hic balthei nomine, per metalepſim, potentiam intelligit, & diuitias, quæ nedum vitiorum ſunt tegumenta, ſed hęc etiam incruſtant ſpecie virtutum, & pro virtutibus obtrudunt. Nam quum virtus moralis in vitiorum ſit medio, accidit plerūq; extremorum vnum pro ipſo accipi medio, vt

prodigalitas pro liberalitate, auaritia pro frugalitate, audacia pro fortitudine, ignauia pro cautela, & ſic de alijs: contra quam faciāt maledici, virtutem quantumlibet heroicam, vt vitium accipientes. Diuitiæ igitur, & potētia, vitiorum permutant colores, quia homines, ſpe præmiorum illecti à diuitibus, vel metu pœnarum deterriti à potentibus, qua vi, qua ſponte, credunt, vel credere ſimulant ipſa peccata eſſe virtutum opera, & laude digna. Adhibemus autem huic loco hanc vniuerſalem intelligentiam, interpretando moraliter vulnus Neronis, licet, vt ex Suetonio, & Tacito vidimus, fuerit etiam phyſicè vulneratus, & vulnus abſcondere conaretur, erat enim ignominioſum, ex cauſa, ſi detegeretur eum id accepiſſe vacans popinarum expilationi, vel graſſationi per Vrbis vias.

*PROTEGERE* propriè eſt tegendo defendere, & ita ſumitur, etiam ſi aliquando ſumatur pro ſimpliciter tegere, ſiue velare. Sic Oui, 2. Metamorph.

*Ecce uenit rutulis humeros protecta capillis*
*Filia Centauri.*

Nam protecta dixit, pro velata. Aliquando vero eſt ſimpliciter defendere. Sic Cicero pro P. Sylla: *Tu ornatus ærumnis, uenis ad eum lacerandum, quem interemiſti: ego iacentem, & ſpoliatum defendo, & protego.*

*VI manis*, Apocope, pro magis velis. Vſus & Cicero in Bruto de Claris Oratoribus: *Statuere non poſſes utrius te malles eſſe ſimiliorem.* Et infra: *Videtur mihi in ſecunda arte primus eſſe maluiſſe, quam in prima ſecundus: atq; haud ſcio an par principibus eſſe potuiſſet: ſed fortaſſe*

ma-

*maluit id, quod eſt adeptus.* Sic Plaut. Aſinar. Actu 5. ſcena 1.

*Nolo ego metui, amari mauolo.*

Sic ergo hic mauis idem eſt, ac ſi dictum fuiſſet magis vis: &, vt mauis, eſt conceſſio ad voluntatem audientis.

*DA uerba*, ideſt Decipe, & quum ſequatur Decipe neruos, interuenit pallogia, & exergaſia, per coniunctionem orationum idem ſignificantium, de quo ſchemate dictum In noſtris Inſtit. Orat. l. 3. Tr. 3. c. 1. Quid autem ſit dare verba, exponit Gellius l. 17. c. 2. dicens: *Cominius inquit, qua aſcenderat, deſcendit, atq; uerba Gallis dedit. Verba Cominium dediſſe Gallis dicit, qui nihil quicquam cuiquam dixerat, neq; enim eum Galli, qui Capitolium obſidebant aſcendentem, aut deſcendentem uiderant? ſed uerba dedit, haud ſecus poſuit, quam ſi tu dicas, latuit atq; obrepſit.* Sic Plautus Epidico Actu 5. ſcena 1.

*Periphanem emere lora uidi, aderat ibi una*
*Apœcides* (*ſciunt*
*Nunc homines me quæritare credo, ſenſerunt,*
*Sibi data eſſe uerba.*

Et idem Plautus Pſeud. Actu 4. ſ. 5. inquit:

*Conceptis herclè uerbis, ſatis certo ſcio*
*Ego periurare mauellem me millies,*
*Quam mihi illum uerba per deridiculū dare.*

Verba autem in hac loquendi formula, & phraſi, ſumuntur, vt opponuntur factis, vt his illa non correſpondeant: ideoque qui verbis tantum cum alio agit, facilè illum decipit, vtpotè expectantem facta per verba ſignificata, quæ numquam venient.

*DECIPE neruos ſi potes*. Diximus, hic eſſe exergaſiam, & repetitionem eiuſdem ſentẽtiæ ſub alijs verbis. Et quod additur, *ſi potes*, deſignat impoſſibile eſſe perſuadere neruis, illius rei executionem, à qua, per vulneris debilitationem impediuntur: perſuaſio enim ad rationem dirigitur, vt hoc, volũtati, obiectum proponat, & ſic moueat executiuas potentias: Voluntas autem nequit mouere membra phyſicè debilitata. Neruus autem propriè, eſt in corpore animalis primum ſenſus, ac motus inſtrumentum, è cerebro naſcens, & per ſpinalẽ progrediens, & decurrens medullam, toti corpori, mouendi, ſentiendique vim conferens. Plinius tamen non à cerebro, ſed à corde neruum naſci opinatur, ſic enim ait lib. 11. c. 37. *Nerui orſi à corde, bubuloq; etiam circumuoluti, ſimilem naturam, & cauſam habent, in omnibus lubricis applicati oſſibus, nodoſq; corporum, qui uocantur articuli, alibi interuentu, alibi ambitu, alibi tranſitu ligantes, hic teretes, illic lati, ut in unoquoq; poſcit figuratio. Neq; ij ſolidantur inciſi: mirumq; vulneratis ſummus dolor, præſectis, nullus. Sine neruis ſunt quędam animalia, ut piſces, arterijs enim conſtant. Sed neque eę molli piſcium generi. Vbi ſunt nerui, interiores conducunt membra, ſuperiores reuocant* Neruos carere Deos docuit Cicero 2. de Natura Deorum dicens: *Dictum eſt de uniuerſo mundo, dictum etiam eſt de ſideribus, ut iam propemodũ appareat multitudo nec ceſſantium Deorum, nec ea, quæ agunt, molientium cum labore operoſo, ac moleſto. Non enim uenis, & neruis, & oſſibus continentur, nec eſcis, nec potionibus veſcuntur, ut*

*aut*

*aut nimis acres, aut nimis concretos humores colligant, nec his corporibus ſunt, ut aut caſus, aut ictus extimeſcant, aut morbos metuant ex defatigatione membrorum.* Inde metaphoricè nerui ſumuntur pro robore, vigore, & viribus, tam corporis, quam, per metalepſim metaphoricã, etiam animi, qui agendi ſunt inſtrumenta. Sic Terent. Eunucho Actu 2. ſcena 3.

*digna res eſt, vbi tu neruos intendas tuos.*

ideſt in quam omnes tuos corporis, animique, & ingenij explices vires. Scio neruum nonnumquam ſumi pro chorda arcus, vel cytharæ. Hinc Cicero 5. Tuſculan. ait: *Honos alit artes, omneſque incenduntur ad ſtudia gloriæ, iacentq; ea ſemper, quæ apud quoſq; improbantur. Summam eruditionem Græci ſitam cenſebant in neruorum, vocumque cantibus: igitur Epaminondas princeps, meo iudicio, Græciæ, fidibus præclarè ceciniſſe dicitur, Themiſtocleſque aliquot ante annis, cùm in epulis recuſaſſet lyram, habitus eſt indoctior.* Sic Virg. 5. Æn. verſu 502.

*Primaq; per Cælum, neruo ſtridente, ſagitta*
*Hyrtacidæ iuuenis, volucres diuerberat auras,*
*Et venit, aduerſiq; infigitur arbore mali.*

Hic tamen ſumitur pro robore, & vigore corporis à neruis dependente, adeo vt viribus deſtitutum, dicamus eneruatum.

*EGREGIVM quũ me vicinia dicat, nõ credã?*

Ex his verbis colligimus, Perſium moraliter potius, quam phyſicè locutum de vulnere alliorum, ſcilicet de vulneribus, & morbis animi, quæ ſunt vitia, & peccata, vel paſſiones, & affectus iræ, odij, indignationis, cupiditatatis, & alia, morbi, & perturbationes Stoicis

ap-

appellatæ, & exiſtimatæ non cadere in ſapientem, quia qualibet eis debilitatur, ne virtutis opera valeat exercere. Interrogat ergo Alcibiades, ſiue Nero, num credere non debeat populo prædicanti ſe egregium. Quod argumentum tractat etiam Horat. lib. 1. epiſt. 16. dicens:

*Iactamus iampridem omnis te Roma beatum,*
*Sed uereor, ne cui de te pluſquam tibi credas*
*Neue putes alium ſapiente, bonoq; beatum*
*Neu ſi te populus ſanum, rectèq; valentem*
*Dictitet, occultam febrem ſub tempus edendi*
*Diſſimules, donec manibus tremor incidat vnctis.*
*Stultorũ incuruata: pudor malus vlcera celat.*

Sic Franciſcus Petrarcha de remedijs vtriuſq: fortunæ lib. 1. Dialogo 11. ait:

Gaudium. *Quiſquis ego ſum, opinio de me hominum bona eſt.*

Ratio. *Opinio rem non mutat.*

Gaud. *Bonum me, communis habet opinio.*

Rat. *Quid ſi malus tu, nonne opinio falſa eſt? Scientem certè falſo gaudere, dementia eſt.*

Gaud. *Opinione vulgari bonus dicor.*

Ratio. *Nihil eſt, quod non ſibi fingere poſſit opinio. Bonum autem, ſeu malum, quod in animis habitat, neq; diuerſis opinionibus, neq; ſermunculis variatur. Non ſi cuncti igitur te mortales bonum dixerint, bonus fies.*

G. *Bonum mihi ſaltem eſt nomen.*

R. *Me ius eſſe nomen bonum, quam diuitias multas, Hebrgorum ſapiens ait, idemq; alibi: Melius eſt nomen bonum, quam vnguenta pretioſa, & valorem boni nominis, & famę his verbis expreſſit,*

preſſit, comparatione ſcilicet auri, & vnguenti. Quomodo autem, ſeu nomen, ſeu aliud quidquam eſſe poteſt bonum, ſi ſit falſum? Qualecumque igitur ſit nomen impij, non ſit ideo minor impietas. Non inani igitur nomine glorietur: ſed illud eiuſdem Sapientis audiat. Nomen inquit impiorum putreſcet: & illud alterius: Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Illa ſi intus tibi obſtrepit, quid tibi proderunt adulatorum ſuſurri? quid blandiţijs, aut fictionibus partum nomen? è radice mala nihil boni oritur: neque hinc ortum nomen bonum dixeris, quum verum dicere non poſſis.

G. Bene de me ſentiunt ciues mei.

R. Non refert quid de te alij ſentiūt, ſed quid (tu.

G. Bene de me loquuntur ciues.

R. Noli credere, quid loquantur neſciunt, & cupide mentiuntur, pruritu quodam linguæ in vtramque partem nimio, & conſuetudine in naturam verſa.

G. Bene de me plurimi loquuntur.

R. Ignorantibus credere, quid eſt aliud, quã volentem falli?

G. Bene de me loquitur vicinia.

R. Dulciloquio forſan, aut muneribus delinita, aut de te aliquid ſperans: Numquã vel amanti crediderìs, vel ſperanti.

G. Vicini mei nomen meum celebrant.

R. Alter alterum decipit, omnes te.

G. Bonum mihi teſtimonium ciues dant.

R. Eſt intus in anima teſtis incorruptior, certiorque conſcientiam tuam interroga, illi crede.

G. Bene de me homines opinantur.

R. Opinio, ambigue nomen eſt rei, certiſſima res eſt virtus. G. Ego

G. *Ego ipſe mihi vir bonus uideor.*

R. *Ergo es malus: boni enim ſibi diſplicent, ſeq; accuſant.*

G. *Et mihi uideor, & alijs bonus.*

R. *Quid ſi tu malus, illi autem ſtulti?*

G. *Bene de me ſperant ciues.*

R. *Cura ne ſpes ciuium falſa ſit: Turpe eſt de ſe ſperantes, quum poſſis aliud, fruſtrari.*

G. *Credo ſim de quo nō fruſtra ſperent multi.*

R. *Si id eſſes, id non crederes: Malū eſt alios, peſſimum autem ſeipſum fallere.*

G. *Omnes me uirum bonum putant.*

R. *Quid ſi tu contrarium ſcis?*

G. *Omnes me uirum bonum dicunt.*

R. *Et tu credis omnibus? Num te autem dici pudet, quod non es? Sed eſt hoc uobis inſitum inter cuncta mirabile, de uobis, ueſtriſq; de rebus, quamuis occultis, plus cuicumq; quam uobis credere, iuxtaq; Flacci ſententiam, & mendacem timere infamiam, & falſa gloria delectari.*

G. *Totum uulgus una uoce me laudat.*

R. *Nulla pronior ad errorem, atq; ad pręcipitium uia eſt, quam per uulgi ueſtigia: quidquid pene uulgus laudat, uituperio dignum eſt.*

G. *Cunctis hominibus placeo.*

R. *Placentes hominibus Deus ſpernit, & placere hominibus, diſplicere eſt Deo, contraria contrarijs gaudent.*

G. *Viri boni nomen habeo.*

R. *Vitę conſtantia, & honeſtate ſeruandum eſt, alioqui facilè euaneſcet: uentus eſt enim.*

G. *Multæ ſunt in populo laudes meæ.*

R. *Seuiſti in agro arido arbores caducas.*

G. *Magnæ inter doctos etiā laudes meæ ſūt.*

R. Si

R. *Si ueræ, durabunt: & ut ait Cicero, radices agent, et propagabuntur. at ſi ficti, celeriter, tanquam floſculi, decident.*

G. *Omnes uno ore meam prædicant uirtutem.*

R. *Non in hominum flatu, neq; in propria uirtute, quamuis uera, ſed in ipſo uirtutum omnium autore gloriandum. Qui contrarium facit, non modo non aſſequitur aſſertione hominum, quod non habet, ſed id ipſum, quod habet, uel imminuit, uel amiſit.*

G. *Vulgus omne me prædicat.*

R. *Dixi et repeto, quidquid uulgus cogitat, uanum eſt: quidquid loquitur, falſum eſt: quidquid improbat, bonum eſt: quidquid approbat, malum eſt: quidquid prædicat, infame eſt: quidquid agit, ſtultum eſt. I nunc, inſanorum ſermunculis gloriare.*

Eodemque modo nunc Perſius negat credendum eſſe vicinis adulantibus, ſed ſpectare debere propriam conſcientiam, quæ pro mille teſtibus reputatur, & ad quam appellat etiam Apoſtolus Romanorum 9. dicens: *Teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea.* Et quia hoc etiam teſtimonium philautia, vel aliter falſari poteſt, alium omnino infallibilem, & iuſtũ iudicem aduocat, idem Apoſtolus 1. Cor. 4. *Mihi pro minimo eſt ut à uobis iudicer, aut ab humano die, ſed neq; meipſum iudico: nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſũ, qui autem iudicat me, Dominus eſt.* Egregius autem eſt, quaſi è grege lectus, hinc in quocumque ordine ponatur, & in bonis tam corporis, quam animi, ſiue externis, ac fortuitis, egregius ille dicetur, qui alios præcellit: vnde

Fe-

Feſtus Abgregare eſt ad gregẽ ducere : ſegregare, ex pluribus gregibus partes ſeducere : vnde & egregius dicitur è grege lectus : quorum verborum frequens vſus, non mirum ſi ex pecoribus pendet, quum apud antiquos opes, & patrimonia ex his præcipuè conſtiterint, vt adhuc pecunias etiam, & peculia dicimus. Sic excellens pulchritudo egregia dicta etiam à Terentio Andria Actu 1. ſcena 1.

*Egregia forma, atq; ætate integra.*

Et ita adulatóres Alcibiadem, ſiue Neronem egregium prædicabant quaſi inter omnes, & ex omnibus electum, pollentem bonis fortunę potentia, diuitijs formoſitate, viribus, ſcientia, & virtutibus, quibus ille laudibus acquieſcẽs nec ſuam attendens conſcientiam oppoſitum dictantem, ea vera credebat.

*VICINIA* à vicino deriuatur, vt vicinus à vico: vicus vero dictus, vel quod ſit vice ciuitatis, vel quod vias tãtum habeat abſq; muris: & importat multas domos iunctas, ſiue in Vrbe, ſiue in pago: non enim vicus eſt idem, ac pagus, dicente Tacito de moribus Germanorũ cap. 5. *Eliguntur in ijſdem concilijs, & Principes, qui iura per uicos pagoſq; reddant.* Vel dictus à vehico, ideſt à rebus ex agro aduehendis. Niſi mauis dictum ab οἶκος, ideſt à domo, quia vici domibus conſtant, vt partibus præcipuis. Vicinia ergo eſt vicinorum, ſiue habitantium propinquitas. Sic Ouid. 4. Metam.

*Pyramus, & Thisbe, iuuenum pulcherrimus alter,*
*Altera, quas Oriens habuit prælata puellis.*
*Contiguas tennere domos, ubi dicitur altam.*

Co-

*Coctilibus muris cinxiſſe Semiramis Vrbem.*
*Notitiam, primoſq. gradus uicinia fecit.*

In quo etiam ſenſu ait Cicero 1. Tuſculan. *Animos per ipſos uiuentes, non poterant mente complecti, formam aliquam, figuramque quærebăt. Inde Homeri tota νεκύα: inde ea, quæ meus amicus Appius νεκρομαντία faciebat, inde in uicinia noſtra Auerni lacus.* Sed ſæpius viciniç nomine intelligũtur vicini, ideſt habitatores. Sic Horat. lib. 1. epiſt. 16.

*Sed uidet hunc omnis domus, & uicinia tota*
*Introrſum turpem, ſpecioſum pelle decora.*

Et 2. ſerm. ſat. 5. *Funus*
*Egregiè factum laudet uicinia.*

Et ita nunc vicinia ſumitur pro incolis, proximè habitantibus, qui Alcibiadi, vel Neroni adulătur, ipſius ſomniatas celebrădo virtutes.

*VISO ſi palles improbe nummo, ſi facis in penem, quidquid tibi uenit amarum, ſi puteal multa cautus uibice flagellas, nequicquam populo bibulas donaueris aures.* Nunc factæ interrogationi reſpondet, monẽs ne attendat ad mendaces adulantium voces, ſed potius conſcientiam mille valentem teſtes, quum accuſat, etiã ſi totus te laudet orbis, oblatas debes reſpuere laudes; ſi vero nec ea te reprehendat, philautiam debes metuere, vt metuebat Apoſtolus dicens 1. Cor. 2. *qui iudicat me dominus eſt*, cuius iudicia plerumq; longe diuerſa ſunt ab humanis, adeout etiam *Hieruſalem ſcrutetur in lucernis*, vt dicitur Sophoniç 1. Et vt ait Iob 4. *in Angelis ſuis reperit prauitatem*, & cap. 25. *Stellæ non ſunt mundę in conſpectu eius, quanto magis homo putredo, & filius hominis*

*uer-*

*uermis*. Quum ergo iuxta Eccleſiaſten 9. *Nemo ſciat utrum amore,uel odio dignus ſit*, ſtultè adoleſcens, adulatorijs vicinorum laudibus glariabatur.

*IMPROBVS* eſt nequam, perditus,ſceleſtus, nefarius,& malignus,quaſi non probus,ſed in vniuerſum,malus. In uitijs corporis,ille dicitur improbus, qui turpi, & inhoneſta eſt facie, nam dicendo, improbiorem non vidi faciem mulieris,intelligimus fœdiorem. Sic Suetonius de Illuſtribus Grammaticis cap.15. inquit: *Lenæus Pōpei Magni libertus, & pene omnium expeditionum comes, defuncto eo, filijſque eius, ſchola ſe ſuſtentauit,docuitq; in Carinis ad Telluris ædem, in qua regione Pompeiorum domus fuerat: ac tanto amore erga patroni memoriam extitit, ut Salluſtium hiſtoricum, quod eū oris improbi,animo inuerecundo ſcripſiſſet, acerbiſſima ſatyra lacerauit, laſtaurum, & lurconē, & nebulonem, popinonemque appellans, & uita, ſcriptiſque monſtroſum, præterea priſcorum, Catoniſque uerborum ineruditiſſimum furem*. In vitijs vero animi,improbitatem maximè facit auaritia, cuius ſordes eſſe dicuntur. Hinc Plautus Milite glorioſo Actu 3. ſcena 1.

*Sicut merci pretiū ſtat pro uirtute,ut ueneat,*
*Quæ improba eſt,pro mercis uitio,dominum pretio pauperat.*

Quamquam etiam hic improbitas ad corporis vitia, & oris deformitatem referri debeat. Sed Perſius improbum auarum intelligit, & adeo ſordidum diuitiarum appetentem,vt ad nummorum præſentiam,eorum deſiderio pallorem contrahat; Cupiditatem enim pallorem indu-

cere

cere innuit illud Ouidij 1. de Arte:

*Palleat omnis amans, color eſt hic aptus amãti*
*Hoc decet, hoc multi non ualuiſſe putant.*
*Pallidus in Lyricen ſiluis errabat Orion*
*Pallidus in lenta Naiade Daphnis erat.*

Pallor ergo veniens ex nummorum aſpectu, eorum vehemẽtem deſignat cupiditatem, quæ eſt propriè auaritia, & pecuniæ deſiderium, vnde Propert lib. 3. eleg. 6. ait:

*Ergo ſollicitæ tu cauſa pecunia uitæ es*
*Per te immaturum mortis adimus iter*
*Tu uitijs hominum crudelia pabula præbes,*
*Semina curarum de capite orta tuo.*

Hoc autem vitium, neque in Alcibiade erat, neque in Nerone, quin potius in vtroque oppoſitum, nimirum profuſa prodigalitas. Quãuis vt paſſim in alijs accidit, qui ſupra modũ effundentes in quos non debent, rapere ab alijs deinde coguntur, Nero quum ſæpe plura donaſſet, quibus minimè oportuiſſet, & per hoc exhauſtis vectigalibus, & immenſis Imperij diuitijs, vt continuare largitiones poſſet, neceſſe habuit rapere ab ijs, qui donare, vel ſoluere minimè tenebantur. Verum hæc non erat propriè auaritia, (vt videri poterat ex eo, quod erat acceptio ab eis, qui dare non debebant.) Sed potius prodigalitas: vt enim qui furatur, vt mœchetur, magis eſt mœchus, quam fur, ita qui furatur, vel rapit aliena, vt ea donet, quibus non debet, magis eſt prodigus, quam auarus, & talis erat Nero, qui non rapiebat aliena, vt diuitias aceruaret, vel vt oblectaretur in earum poſſeſſione, ſed potius vt eas vanè, & ſtultè profunderet. Ideoque

non conuenit ei, quod hic dicitur, nempè quod viſo nummo palleret ex eius cupiditate. Sed id dictum ad tegendum, de quo loqueretur, ne poſſet intelligi locutus de Nerone, ſubintelligēdo per ſenecdochen vnum vitium pro alio: vel per Cinomiam, ſiue communitionem, de qua diximus Inſtitut. Orat. lib. 3. Tract. 2. cap. 5. quo ſchemate paſſim vtebatur Vlyſſes, reprehendens in populo, quod erat culpandum in Rege: & è contra accuſans in Rege, quod vitiolum videbat in populo: Sic igitur nunc Perſius reprehendit quaſi Principis vitium, quod non erat proprium, & perſonale illius, bene vero eiuſdem aulicorum, libertorum, & magnatum, qui certè erant rapaciſſimi, & auri inſatiabiles. Aſſerit ergo, qui in ſe talem experitur diuitiarum cupiditatem, vt ad pecuniarum conſpectum, earum palleat deſiderio, flagrando libidine præſentis obiecti, improbum ſe probat, vt non debeat credere populo, dicenti ſe iuſtum, vel virtutibus florentem.

*SI facis in penem quidquid tibi uenit amarū.* *Amarum* propriè dicitur de ſapore, dulci oppoſito, qui eſt ſalſus, imo œnus, inſuauis, & guſtui, ſiue palato nullatenus delectabilis, videtur autem deriuari à mari cuius aquam ob amaritudinem, ſiue ſalſedinem guſtui, ſiue potui ineptam experimur. Verum nedum aquæ maris, ſed multis alijs amari cognomen accomodatur: illud ſalicibus tribuit Virgilius dicens Ecloga 1. verſu 78.

*Carmina nulla canam, nō me paſcente, capellæ*
*Florētum Cythiſū, & ſalices carperis amaras.*

Tranſ-

Transfertur ad quodcumque aſperum, & afflictiuum, cuiuſcumq; potẽtiæ, ſignificandum. Inde Virgilius 10. Æneidos verſu 900.

*Hoſtis amare quid increpitas, mortẽq; minaris:*

Et hoc modo nunc amara dicitur voluptas, ſeu titillatio Venerea, affligit enim & eſt moleſta, tam antequam expleatur, quando prurit ad inſtar vrticæ: quam, & multo magis poſtquam fuerit expleta, quando nihil relinquit, niſi turpitudinem, mentis caliginem, virium debilitationem, & pœnitudinem, vt cognouit Demoſthenes, referente his verbis Gellio lib. 1. cap. 8. *Ad Laidem Demoſthenes clanculum adit, & ut ſibi copiam faceret, petit. At Lais* μυριάς δραχμάς ἢ τάλαιτον (decem mille drachmas, vel talentum, quæ ſunt ex noſtratibus denaria decem mille) *popoſcit. Tali petulantia mulieris, ac pecuniæ magnitudine ictus, expauiduſq; Demoſthenes, auertit iter, & diſcedens. Ego inquit, pœnitere tanti non emo. Sed Græca ipſa, quæ fertur dixiſſe, lepidiora sũt* οὐκ ὠνῦμαι *inquit*, μυρίων, δραχμῶν μεταμέλειαν, non emo decem millibus drachmis pœnitere. Inde etiam Aeſopus triſtitiam voluptatis dixit eſſe ſororem, ſiue quia paupertatem, infamiam, morbos, & mortis adfert accelerationem; ſiue quia ingenium hebetat, illudque auertit à contemplatione, & hominem Dei conſtituit inimicum, nam quum hic ſit puriſſimus ſpiritus, vt dicitur Ioannis 3. *eos, qui adorãt eũ in ſpiritu, & ueritate oportet adorare*, vnde qui in carne ſunt, ideſt carnis exercent opera, Deo placere non poſſunt. Vult ergo dicere: Niſi reſtiteris, & obluctatus fueris

con-

concupiſcentiæ, itaut non illico, ac in te inſurrexerit illa penis titillatio, facias quidquid tibi venit amarum in penem, ideſt opere compleas facinus illud, ad quod penis inſtigat alteratio, non attendendo ad Græcorum illud prouerbium πικρὸς Ἔρως, amarus amor, nullatenus credere debebis populo, tuas buccinanti virtutes, vel laudes. Et hoc optimè conuenit in Neronem, qui omnimodis fœdiſſimiſque libidinum ſpurcitijs erat inquinatus. Sed nec Alcibiadē dedecebat: nec alij deerāt eiuſdem farinæ, eademque pice maculati tunc Romæ, vt nequiret poeta iure conuinci, tamquam ſpecialiter iſta de Nerone dicere voluiſſit. Obſerua hic, aliquem interpretaſſe venire in penem, de voluptate Venerea pretio empta, in penis ſatisfactionem. Sed quia ſi eſſet à veneo, non venit, ſed venet dicere debuiſſet, nihil muto de communi lectione. Quid vero ſit penis, dictum eſt ſupra hac eadem ſatyra verſu 34 *penemque, arcanaque lumbi.*

*PVTEAL* propriè eſt putei operculum. Erat autem Romæ puteal in gradibus Comitij ad læuam prope Curiam, & Arcum Fabianum, ad quem, ſua exercentes munia, conueniebāt fœneratores, mercatoreſque, tam ruſtici, quā vrbani. Eius meminit Cicero pro P Seſtio dicens: *Facilius facta eorum occurrent mentibus veſtris, ſi ora ipſa oculis propoſueritis: alter unguentis affluens calamiſtrata coma, deſpiciens conſcios ſtuprorum, ac ueteres uexatores ætatulæ ſuæ, puteali, & fœneratorum gregibus inflatus, ſtq: perculſus olim, ne Scyllæo illo æris alieni in freto, ad columnam adhæreſceret, in Tribunatus*

por-

*portũ perfugerat.* Ibi Accius Nęuius Aruſpex cotem nouacula diſciderat, ideo ibi ei poſita ſtatũa, ſub qua in crypta, nouacula arę impoſita, cryptaque ipſa vmbella operta. Itaque crypta ipſa dicta puteũ, vmbella vero puteal, vt & totus ille locus, ſiue forum, & Comitiũ, quod præter hiſtoricos, & alios, dixit his verbis Cicero 1. de Diuinat. *Accium, quum Rex Priſcus accerſiſſet, eiuſq; tentaret ſcientiam auguratus, dixit ei cogitare ſe quiddam, id poſſetne fieri conſuluit. Ille augurio acto, poſſe, reſpondit; Tarquinius autem dixit ſe cogitaſſe cotem nouacula poſſe præcidi: Tum Accium iuſſiſſe experiri: ita cotem in comitium allatam, inſpectante & Rege, & populo nouacula eſſe diſciſſam: Ex eo euenit, ut Tarquinius Augure Accio Nęuio uteretur, & populus de ſuis rebus ad eum referret. Cotem autem illam, & nouaculam defoſſam in Comitio, ſupraque impoſitum puteal accepimus.* Procedente deinde tempore, quum vetuſtate, ſiue alio quocumque caſu, Næuij ſtatua conſumpta fuiſſet, Scribonius Libo eodem in loco Iani erexit ſtatuam. & quia hic erat ſpeciale mercatorum, fœneratorumque tutelare Numen, ſimul etiam ibidem conſtituit Tribunal, atque ſubſellia pro Prętore, ac Iudicibus, quatenus ibi ius diceretur, & adminiſtraretur iuſtitia, vbi à mercatoribus, & fœneratoribus populus premebatur. Et à nomine autoris, qui Tribunal ibi erexerat, dicebatur, Forum, vel Tribunal, aut Puteal Libonis. Sic Horat. lib. 1. epiſt. 20.

*Forum, Putealq; Libonis*
*Mandabo ſiccis, adim. in cantare ſeueris.*

Et idem 2. ſerm. ſat 6.

*ante ſecundam*

*Roſcius orabat ſibi adeſſes ad Puteal cras*, nempe ad ſuam cauſam perorandam, ſiue ad ſe defendendum: nam locus, & Tribunal erat iuri ciuili dicundo ſacratus. Et in hoc ſenſu de puteali nunc loquitur, quaſi diceret: Si tu frequentando forum fœneratorium, populum vſuris premas, vel ſpolies: Vel ſi cum fœneratoribus litiges, & rixeris: Vel, ſi apud Tribunal Prætoris, & ſubſellia iudicum, alios iniuſtè calumnieris & opprimas: Vel ſi per ipſum forum deambulando, nocturnus prædator, rixeris cum obuijs, eoſque verberes, matronarũ etiam illudens pudori, nullum inſolentiæ genus omittendo (quod erat proprium Neronis crimen) ne credas populi vocibus tibi adulãtis, quum aduerſum te ſtet conſcientia.

*CAVTVS*, vel per epentheſin eſt à cato, addita littera u, in medio eius dictionis, & ita ſignificat ſapientem, ſiue prudentem, vigilantem, atque in negotijs tractandis ſollertem. Vel eſt à verbo *caueo* quod dictum putatur à cauo: priſci namque illi, qui Latium, etiam ante borigines incoluere, in cauernis degebant: hæ autem ita appellatæ à cauẽdo exiſtimantur; in eis enim homines ſibi cauebant, tam à caumatibus, & æſtibus, quam ab algoribus tempeſtatibus, niuibus, aquilonibus, & etiam à feris carniuoris, & alijs pleriſque incommodis, atque adeo illis ſe, & ſua cautius tuebantur, indeque originem habere potuit verbum cauendi, vt lib. 4. LL. docuit etiam Varro. Quum autem cauere ſibi, vel alteri, ſit, pro-

proſpicere ne is, cui cauetur detrimentum aliquod acc piat, ad quam rem dantur fideiuſſores, prædes, vades, & pignora, is qui ſic cauet, cautus, vel catus nominatur. Sic cautum accepit Plautus dicens Epidico Actu 2. ſc. 2.

*ſi æquum ſiet*
*Me plus ſapere, quam nos, dederim uobis conſilium catum,*
*Quod laudetis.*

Et infra eadem ſcena.

*Hic oportet cauere, rectè iura qui & leges tenet.*

Et idem Plautus Captiuis Actu 2. ſcena 2.

*Qui cauet ne decipiatur uix cauet, quum etiam cauet*
*Etiam quum cauiſſe ratus eſt, ſæpe is cautor captus eſt.*

Hinc cautus propriè erit ſollers, prudens, induſtrius, & attentus in negotijs, qui malum anteuertere eique occurrere, & impedire ne eueniat, nouit. Et ita mercator iſte, ſiue fœnerator, quia cautus, prouidebat ne ſua res familiaris quicquam caperet detrimenti, proſpiciens, dum pecunias fœnori dabat, vtrum is, qui accipiebat, idoneus foret ad eas, vna ſimul cum vſuris reponendas, & de hoc ſufficientem exigens cautionem. Vel cautus in Prętoris Tribunali, & ſubſellijs Iudicum, intelligitur patronus iuriscallentiſſimus, defendens ſimpliciores, quos quadrupalatores, ideſt criminum delatores, calumnijs, & ſycophantijs opprimebant, vel bonis ſpoliabant. Vel cautus, qui noctu oberrans per Vrbem, quæcumque vanui expoſita, rapiebat, obuios quoſque cædebat, & patronatui inſidiabatur pudicitiæ, quod erat proprium Neronis facinus. Et quia quum is aliquando ex hoc vulnera

retuliſſet, inde cautius procedere didicit, vt ex Suetonio, & Tacito retulimus; inde hic ſignificatur Neronis cautio in eo conſiſtens, vt armatis incederet vallatus, ne à læſis redhoſtimentum, aut malum acciperet. Puteal autem accipitur ſenecdochicè, pro quocumque foro, & loco Vrbis, quem Nero oberrabat, huiuſmodi violentias exercendo.

*MVLTA vibice*, ita paſſim, & quidem phraſi legitur, elegantiſſima: apud vnum tamen, vel alterum, legitur, multum, vt ſit conſtruendum cum cautus, nempe multum cautus: quæ lectio etſi textui, & ſenſui intento non repugnet, quia tamen nec eſt adeo elegans, nec multos habet ſuffragatores, relinquenda eſt, & ea retinenda, quæ habet *multa vibice*, quaſi diceret multis vibicibus. Nam vt diximus in Inſtit. Orat. l. 3. Tr. 2. cap. 3. plus intelligitur, quum quid effertur per numerum ſingularem, quam quum per pluralem. Vibex autem eſt ſignum percuſſionis ex ea paſſa, relictum in humano corpore. Vel eſt plaga prægnans, aut corpus verberibus tumefactum: &, vt habet Feſtus, vibices ſunt ſigna, vel plagæ verberum in humano corpore, ita dictę, quod vi fiant. Niſi mauis vibicem dictam ab aue ibis, vel ibys, appellata, Græcè ἶβις vel ἶβυζ dicta, quod nomen deriuatũ creditur à verbo ἴβυειν tundere, auis enim iſta roſtro frequenter adſtantia tundit, ſeu pungit, & ita vibices ex tũſionibus, ſiue percuſſionibus cauſat. De vibicibus medendis ait Plin. l. 30. c. 13. *Verberum vulnera atq; vibices, pellibus ouium recentibus impoſitis, obliterantur*. Ex quo fit vibices minus

nus propriè dici de ſignis percuſſionis relictis in roſtris, ſubſellijs, abacis, cathedris, aut alijs rebus inanimatis, vt hic intelliguntur in puteali, immo nec de apparentibus in animatis alijs ab homine: ideoque vibices putealis metaphoricè ſunt accipiendæ. Niſi fortè mauis interpretari de verberibus à Nerone illatis, vel acceptis; vt ex Suetonio, & Tacito diximus, nam ſic vibices propiæ erunt.

*FLAGELLANDI* verbum à flagelli nomine eſt, hoc vero à flagro, alio à fragro, quod docet his verbis Seruius ad 1. Æneidos: Quoties incendium ſignificatur, quod flatu alitur, per L dicimus; quoties odor, qui, fracta ſpecie, maior eſt, per R dicimus. Niſi mauis flagrare eſſe à φλεγω addito R. Ab hoc ergo flagrandi verbo eſt nomen flagelli, ex quo rurſus flagellãdi uerbum. In hoc ſenſu flagellorum meminit Catullus, dicens carm. 25.

*Idem Thalle turbida rapatior procella,*
*Quum de via mulier aues oſtendit oſcitantes*
*Remitte pallium mihi meum, quod inuolaſti,*
*Sudariumq; ſetabum, catagraphoſq; thynos*
*Inepte: quæ palam ſoles habere tãquam auita,*
*Quæ nunc tuis ab vnguibus reglutina, & remitte*
*Ne laneum latuſculum, nateſq; mollicellas*
*Inluſa turpiter tibi flagella conſcribillent.*

Quod Horat. loris urere dixit lib. 1. epiſt. 16.

*Nec furtum feci, nec fugi, ſi mihi dicat*
*Seruus, habes pretium, loris non ureris, aio.*

Inde flagratores iuxta Feſtum dicebãtur, qui mercede flagris, ſiue flagellis cędebantur: & flagriones, ut Nonius docet, erãt ſerui flagris,

 ſeu

ſeu ſlagellis ſubiecti, ut uerberones ſubiecti uerberibus. Ab eodem uerbo flagro, flagellum appellata eſt ſumma pars palmitis, vel quod ea vtebantur ad cædendum, vnde flagellandi factum eſt verbum: vel quod vento agitetur, quaſi flabellum, quod voluit Varro RR.l.1.c.31.dicens: *In vitiario primitus, quum exit vitis, tota reſecari ſolet, vt firmiore ſarmento è terra exeat, atq; in pariendis colibus vires habeat maiores: emucidum enim ſarmentum, propter infirmitatem ſterileſcit, neq. ex ſe poteſt eijcere vitem, quam minorem vo ant flagellum, maiorem etiam, vnde vuæ naſcuntur, palmam declinata. A venti flatu flabellum prius, flagellũ poſterius: & vitis, eo quod inuitetur ad vuas pariundas dicta primo videtur, et à pariendo pariilema ex imminutis litteris, vt in multis, dici cœpta, palma. Et altera parte caprea dicta, quod parit capreolũ: is eſt coliculus viteus intortus, vt cincinnus, is.n. vites, vt teneat ſerpit ad locũ capiũdam, ex quo à capiẽdo capreolus dictus.* Et Virg.2.Georg.v.199

*Neue inter vites corylum ſere, neq; flagella*
*Sũma pete, aut sũmas defringe ex arbore plãtas.*

Sumitur etiam frequentius flagellum, pro ſcutica, neruo, loro, aut alio conſimili inſtrumento, quo ſeruorum, nudata, cędere corpora ſolebant. Sic Cic. pro C. Rabirio: *Vter noſtrum tandem Labiene, popularis eſt, tune qui Ciuibus Romanis in concione ipſa carnificem, qui vincla adhiberi putas oportere, qui in Campo Martio, Comitijs cẽturiatis, auſpicato in loco, Crucem, ad Ciuium ſupplicium defigi, & conſtitui iubes: an ego qui funeſtari concionem contagione carnificis veto, qui expiandum forum populi Ro. ab illis ne-*

*fa-*

*farijs ſceleris veſtigijs eſſe dico, qui caſtam concionem, ſanctum campum, inuiolatum corpus omniũ ciuium Romanorum, integrum ius libertatis defendo ſeruari oportere? Porcia lex virgas ab omnium Ciuium Romanorum corpore amouit: miſericors vero, popularis, Tribunus plebis, cuſtos, defenſorq; iuris, & libertatis, flagella retulit. Porcia lex libertatem ciuium Lictori eripuit, Labienus homo popularis, carnifici tradidit.* Quo loco flagellorum nomine intelligũtur nerui bubuli, vel lora coriacea, quibus ſeruiles tantum perſonæ cædebantur. Flagella etiam dicta ſcuticæ, quibus aurigæ, equos ad curſum incitant, quæue excuſſæ clarum, acutumque edunt ſonum. Et ſic accepit Virg. dicens 5. Æn. v. 577.

*Poſtquam omnes læti conſeſſum, oculoſq; ſuorũ*
*Luſtrauere in equis ſignum clamore paratis*
*Epytides longe dedit inſonuitq; flagello*
*Olli diſcurrere pares, atq; agmina terni.*

Quid autem velit intelligere poeta, dum ait: Flagellas puteal multa vibice, Caſaubonus exiſtimat his verbis ſignificari, frequenter forum adire, ſiue cum forenſi turba aſſiduè verſari, & ita premere, & arctare; quemadmodum enim Plinius dixit, flagellare annonã, & Martialis, flagellare opes, quia fruges, & pecuniæ quaſi inuitæ horreis, & arcis continebantur, & ita flagellari videbantur, ita forum aſſiduè obſidens, & obambulans, illud flagellare dici potuit. Multa vero vibice aſſerit poſitum ad maiorem improbitatis declaratione͂, qua quadrupalator iſte vtebatur, alienis inſidias tendens opibus. Vel flagellare puteal multa vibice, interpretatur eſſe pererrare forũ, & obuios

quoſque ſine cauſa laſciuè petulanterque cȩdere, quod erat Neronis proprium. Hanc eamdem interpratationem refert, & ſequitur Franciſcus Stellutus & etiam Thomas Farnabius, & alij: Ioannes vero Bond exponit, ſignificare quod fœneratores multa, & immani vſura, premerent debitores, quȩ fuit etiam interpretatio Ioannis Brixienſis, Io: Baptiſtæ Plautij, & Bartholomæi Fontij: Thomas Farnabius ſic ſecundo exponit. Si debitorum litigijs, inquit, forum vexari patiaris, vel ſi primos Vrbis vicos noctu cum gladiatoribus pererrâs, obuios cædis; vel ſi puteal grauiſſimæ fȩneratorum vſuræ, te permittente, vexent. Cornutus denique ait: Vibices dici cicatrices: allegoricè verò fȩneratores debitoribus ſuis vſuras innouantes, tãquã vulnerũ in eis cicatrices aperire: flagellare vero exponit flagitare, & ad ſoluendũ eos cõmonere. Mihi videtur flagellare puteal eſſe exponendum abſque tropo, propriè, & literaliter. Eſt enim proprium eorum, qui petentes ſibi, vel ſuis clientibus, ius & iuſtitiam, quam ſibi adſiſtere opinantur, miniſtrari à Prȩtore, vel Iudicibus, in ipſo contẽtionis ardore, crebra vti manuum, vel pedum comploſione, itaut etiam roſtra, & ſubſellia, atq; adeo puteal percutiant, idque tanto impetu, vt percuſſionis ſigna, (quæ dicuntur vibices) in eis relinquantur. Vel ſi putealis nomine intelligamus abacum, ſiue menſam fœneratorum, cautus quiſque ne à fȩneratoribus decipiatur, cogaturque indebitas ſoluere vſuras, frequenter contendit pro eo, quod è re ſua eſſe exiſtimat, & in ipſo contentionis feruore, nonnumquam

abacum menſáue percutit, quaſi euidenter ſugrationes concludant, & ex percuſſione tali, ſigna, ſiue vibices remanent. Et quum fœneratorum menſa, ſiue abacus in foro, & puteali eſſet, puteal flagellari dictum eſt, quum talis menſa percuteretur. Et ita flagellari accipiendum eſt metaphoricè, pro manu percutere; ſicut etiam metaphoricè veſtigium percuſſionis relictum in ligno inanimi, appellatum eſt vibex, quod non eſt niſi in humano corpore. Interuenit etiam hic metalepſis tum gradationis, tum poſterioris, & conſequentis, ad antecedens, & prius; de quo tropo diximus in Inſtit. Orator. lib.3. Tract.2. c.5. Vibex enim eſt poſterius loro, vel manu, à qua cauſatur, & quam dat cognoſcere: vnde quum ait: Flagellas vibice, ſenſus eſt, Percutis, ſiue manu, ſiue loro, ſiue alio quocumque inſtrumento, tam validè, vt vibicem videlicet percuſſionis veſtigium, ſiue ſignum, relinquas in abaco, ſiue ſubſellijs. Si igitur, inquit, talis fueris, vt ad pecuniarum conſpectum, ex auaritia, eas concupiſcendo, palleſcas: *Vel ſi in Venereum* voluptatem effuſus, nec doloribus, & damnis inde retinearis: *Vel ſi* contentioſus fueris litigator, fruſtra populari caperis, & oblectaris laude. Et rectè quidem, quando qui talibus moribus præditum celebrant, aut improbi ſunt, vitijs inquinati, quibus, ob morum ſimilitudinem, places, & à talibus laudari, vituperabile eſt. Vel ſunt adulatores, ganeones, & paraſiti, qui blandiuntur ſui emolumenti gratia, in quorum verbis nulla eſt veritas, nam non laudant, niſi aliquid à laudato ſperantes, quo adepto, vel aliunde eadem, vel maiori ſpe obla-

ta prompti ſunt ad laudes recãtandas, & maledicendum. Vel ſunt affecti timore, qui toto corde teipſum cum tuis moribus perditum vellent, licet formidant animum declarare, ſed potius palam de te benè loquuntur. Nulli horum credere debes.

*NEQVICQVAM populo bibulas donaueris aures.* Donare aures bibulas, eſt eas exhibere promptas ad audiendum: cuiuſmodi ſunt, quũ audiunt delectabilia. Aures enim bibulæ appellantur, quæ cum ſuauitate, ſeu voluptate audiunt, ea nimirum quæ placent. Interuenit enim hic metaphora, & translatio à ſenſu guſtus, ad ſenſum auditus, nam ad illum pertinet bibere, vnde bibulus, bibax, vel biboſus, qui paratus eſt bibere, vel qui quum multum ſitiat, multum etiam bibere poteſt, maximè quum res potabilis eſt vtilis, vel delectabilis. Maiori autem cum delectatione abſumuntur potiones, quam quę comeduntur, quia in mãducando interuenit aliquis labor diſplicens, in potando ferè nullus: & hinc facta tranſlatione à ſenſu guſtus ad ſenſum auditus, illa bibi, ſeu abſumi per modum potus dicuntur, quæ delectabiliter audiuntur, vt ſunt voces, ſoni, & cantus ſuaues, & maximè proprię laudes: quæ vero diſplicent, quaſi dura, vel aſpera, manducantur, vt ſunt correptiones, reprehenſiones, obiurgationes, contumeliæ, & ſimilia, quę horremus audire. Sed nihilominus quamuis proprias audire laudes ſit hominibus ſecundum naturam delectabile, quando tamen tales falſę ſunt, vel indebitæ, aut nullo nixæ fundamento, cordatis hominibus diſplicere

de-

debent. Ideo hic dicitur nequicquam, ſeu fruſtra caperis laudibus populi.

*RESPVE quod non es, tollat ſua munera cerdo.* In quodam antiquo codice impreſſo legi. Reſpice quod non es. Sed melior eſt communis lectio. Eſt autem reſpuere idem, ac repudiare, & contemptim habere, ac quaſi ſaliuam, vel oris ſpumam, ſputo eijcere. Sic Gel. l. 2. c. 7. *Ea quæ obſequi non oportet, leniter & verecunde, ac ſine deteſtatione nimia, ſine opprobratione acerba reprehenſionis, declinanda ſenſim, & relinquenda eſſe dicunt, quam reſpuenda.* Sic Lactanc. Diuin. Inſtit. lib. 6. c. 20. *Cæteræ animantes, præter vnam voluptatem, quæ ad generandũ pertinet, nullam ſentiunt. Vtuntur ergo ſenſibus ad naturæ ſuæ neceſſitatem: vident ut appetant ea, quibus opus eſt ad uitam tuendam: audiunt inuicem, ſeq; dignoſcunt, ut poſſint congregari: quę utilia ſunt ad uictum, aut ex odore inueniunt, aut ex ſapore percipiunt, inutilia reſpuunt, aut recuſant.* Sic Seneca de Conſolat. ad Marciam cap. 9. *Quis vnquam res ſuas quaſi periturus aſpexit? quis unquam noſtrum de exilio, de egeſtate, de luctu cogitare auſus eſt? Quis non ſi admoneatur, ut cogitet, tamquam dirum omen reſpuat, & in capita inimicorum, aut ipſius intempeſtiui monitoris abire illa iubeat.* Sic Liuius l. 2. c. 41. *Vterq; deinde Conſul certatim plebi indulgere: Virginius dicere, paſſurum ſe aſſignari agros, dum ne cui, niſi Ciui Romano aſſignentur: Caſſius, quia in agraria largitione ambitioſus in ſocios, eoq; uilior Ciuibus erat, ut alio munere ſibi conciliaret Ciuium animos, iubere, pro Siculo frumento, pecuniam acceptam retribui*

*populo: id uero haud ſecus, quam præſentem mercedem regni, aſpernata plebes: adeo propter ſuſpicionem infitam regni, uelut abundaret omnia, munera eius in animis hominum reſpuebantur.* Sic Cęſar l.1. de bello Gallico: *Cognito Cæſaris aduentu, Arioviſtus legatos ad eum mittit, quod antea de colloquio poſtulaſſet, id per ſe fieri licere, quoniam propius acceſſiſſet, ſeq; id ſine periculo facere poſſe exiſtimaret. Non reſpuit conditionem Cæſar, iamq; eum ad ſanitatem reuerti arbitrabatur.* Vult ergo dicere: Noli te talem prædicari, qualis reuera, & iuxta tuam conſcientiam, non es: ſed ſtatue apud te intus in animo tuo, te non eſſe talem, qualem populus prædicat adulabundus: & propterea repudia, & contemne laudes, quibus extolleris, & acclamaris, nam ſi contemplatus fueris tot te vitijs eſſe obnoxium, quot, ſi ad rationis amuſſim teipſum examinaueris, inquinatum conſpicies, populares auerſaberis laudes. In hac eadem ſignificatione reſpuendi verbo vſus Cicero in L. Piſonem dicens: *His ego rebus paſcor, his delector, his perfruor, quod de uobis hic Ordo opinatur, nõ ſecus ac de teterrimis hoſtibus; quod uos Equites Romani, quod cæteri Ordines, quod cuncta Ciuitas odit, quod nemo bonus, nemo deniq; Ciuis (qui modo ſe Ciuem eſſe meminerit) qui uos non oculis fugiat, auribus reſpuat, animo aſpernetur, recordatione deniq; ipſa Conſulatus ueſtri, perhorreſcat.* Sic ergo ait: reſpuere debes laudes oblatas, non ſecus, ac faceret, qui cibum, ſiue potionem inamœnam, vel noxiam, aut venenatam ſumpſiſſet, illum enim ſtatim reſpueret, ideſt pluries ex ore ſpueret, ſic tu de

laudibus ex auribus, & animo facias.

CERDO eſt lucrio,ſiue veteramentarius, ac artifex ſordidus,qui quæſtus gratia, vile ſordidumque exercet artificium,vndique lucrum corradens.Talis eſt veterum calceorum ſutor, quiue aulæa, aliaſq; veſtes vſu ſemiconſumptas, mercede reficit, & qui,pretió interpoſito,talia ad tempus tradit vtenda. Sic Martial. l.b.3. epigr.15.

*Das gladiatores ſutorum Regule cerdo,*
*Quodq; tibi tribuit ſubula,ſica rapit.*
*Ebrius es, nec enim faceres id ſobrius umquã,*
*Vt uelles corio ludere cerdo tuo*
*Luſiſti,ſatis eſt,ſed te,mihi crede,memento*
*Nunc in pellicula cerdo tenere tua.*

Hinc quarumcumque rerum confarcinatores, dicti cerdones,etiam ſi verborum, & ſententiarum ſeniorum:in quo ſenſu Cicero 1. de Nat. Deor. ait: *Orpheum poetam,docet Ariſtoteles numquam fuiſſe, & hoc Orphicum carmen Pythagorei ferunt cuiuſdam fuiſſe cerdonis.* Verum hic cerdonis nomine, metaphoricè intelligitur populus,vilis plebecula, vel turba adulatrix: nomine vero munerum cerdonis, intelligendæ laudes, quæſtus gratia,immerẽtibus tributæ, & quaſi aſſutæ, quas cordati reſpuere debent,nam vt Antiſthenes dicebat, præſtat in coruos,quam in adulatores incidere, illi enim tantum mortuos, iſti deuorant etiam viuos. Hinc quum quidam Peſcennio Nigro illi,qui cum Septimio Seuero de Imperio conflixit, orationem recitare vellet panegyricam in eius laudem ſcriptam, reſpondit: Scribas laudes Marij,vel Annibalis, aut alte-

rius Ducis optimè functi, & dic quid illi fecerint, vt nos imitemur: nam viuentes laudare, & maximè Principes, irriſio eſt. Hinc, tollat ſua munera cerdo, eſt, auferat ſuas laudes adulator, qui eas aſſuerat ei, cui minimè debebantur.

*TECVM habita noris, quam ſit tibi curta ſuppellex.* Legunt aliqui *Tecum habita, et noris:* alij *tecum habita, ut noris*, vtrique cum elegantiæ diſpendio: ideo quum ſenſus non varietur, & ſyllabarum ſeruetur quantitas, communi ſtandum lectioni. Noris autem dixit per ſyncopen, pro noueris. Idem autem eſt Tecum habita, ac Noſce Teipſum, vel tuam introſpice conſcientiam, ſiue attende tibi, & tuis moribus examinandis, dijudicandiſque, id quod pernecessarium eſt volēti ad virtutis normam ducere vitā: vt enim ait Seneca epiſt. 80. *Quidquid facere te poteſt bonum tecum eſt. Quid tibi opus eſt, ut ſis bonus? Velle. Quid autem melius potes uelle, quam eripere te huic ſeruituti, quę omnes premit, quam mancipia quoq; conditionis extremæ, & in his ſordibus nata, omni modo exuere conantur? Peculium ſuum, quod comparauerūt uentre fraudato, pro capite numerant: tu nō concupiſces quanticumq; ad libertatem peruenire, qui te putas in illa natum? Quid ad arcam tuā reſpicis? emi non poteſt. Itaq; in tabellas unū conijcitur nomen libertatis, quam nec qui emerunt habent, nec qui uendiderunt. Tibi des oportet iſtud bonum, à te petas.* Et in calce eiuſdem epiſtolæ ſubdit: *Si perpendere te uoles, ſepone pecuniam, domum, dignitatem, intus teipſe conſideras; nunc qualis ſis, alijs credis.* Sic Cic. Curioni

rioni l.2.epiſt.7. *Tibi gratulor, & ut ſempiternę laudi tibi ſit iſte Tribunatus expopto, teq; hortor, ut omnia gubernes, & moderere prudentia tua, ne te auferãt aliorũ conſilia. Nemo eſt, qui ſapiẽtius tibi ſuadere poſſit teipſo numquam labere, ſi te audies.* Sic Horat.1.ſerm. ſat.3 inquit:

*ingenium ingens*
*Inultum latet hoc corpore, deniq; teipſum*
*Concute, num qua tibi uitiorũ inſeuerit olim*
*Natura, aut etiam conſuetudo mala, namq;*
*Neglectis urenda filix innaſcitur agris.*

Et Iuuen.ſat.11.verſu 27.

*Et cælo deſcendit γνῶθι σεαυτόν*
*Figendũ, & memori tractandum pectore, ſiue*
*Coniugium quæras, uel ſacri in parte Senatus*
*Eſſe uelis (nec enim loricam poſcit Achillis*
*Therſites, in qua ſe traducebat Vlyſſes*
*Ancipitem) ſeu tu magno diſcrimine cauſam*
*Protegerẽ affectas, te Conſule, dic tibi quis ſis*
*Orator uehemens, an Curtius, an Matho: buccę*
*Noſcenda eſt menſura tuæ, ſpectandaq; rebus*
*In ſummis minimiſq; etiam quũ piſcis emetur*
*Ne mullum cupias, quum ſit tibi gobio tantũ*
*In loculis: quis enim te deficiente crumena,*
*Et creſcente gula, manet exitus.*

Optimum ergo datum conſilium ei, qui falſis adulatorum laudibus inaniter efferebatur, vt ſecum habitaret, ideſt vt ſeipſum introſpiceret, aduerteretq; illas ſibi minimè conuenire, atq; ita poſſet ſolidè conſiſtere in ſe, ne ventoſis huiuſmodi laudibus raperetur inaniter ſupra ſe.

*CVRTA ſuppellex.* Curtum dicitur, quod eſt ſtrigoſum, detritum, aut mutilum. Sic Hor. 1. ſer. ſat. 6.

*nunc*

rius Ducis optimè functi, & dic quid illi fecerint, vt nos imitemur: nam viuentes laudare, & maximè Principes, irriſio eſt. Hinc, tollat ſua munera cerdo, eſt, auferat ſuas laudes adulator, qui eas aſſuerat ei, cui minimè debebantur.

*TECVM habita noris, quam ſit tibi curta ſuppellex.* Legunt aliqui *Tecum habita, et noris:* alij *tecum habita, ut noris*, vtrique cum elegantiæ diſpendio: ideo quum ſenſus non varietur, & ſyllabarum ſeruetur quantitas, communi ſtandum lectioni. Noris autem dixit per ſyncopen, pro nouer's. Idem autem eſt Tecum habita, ac Noſce Teipſum, vel tuam introſpice conſcientiam, ſiue attende tibi, & tuis moribus examinandis, dijudicandiſque, id quod perneceſſarium eſt voléti ad virtutis normam ducere vitã: vt enim ait Seneca epiſt. 80. *Quidquid facere te poteſt bonum tecum eſt. Quid tibi opus eſt, ut ſis bonus? Velle. Quid autem melius potes uelle, quam eripere te huic ſeruituti, quę omnes premit, quam mancipia quoq; conditionis extremæ, & in his ſordibus nata, omni modo exuere conantur? Peculium ſuum, quod comparauerũt uentre fraudato, pro capite numerant: tu nõ concupiſces quanticumq; ad libertatem peruenire, qui te putas in illa natum? Quid ad arcam tuã reſpicis? emi non poteſt. Itaq; in tabellas unũ conijcitur nomen libertatis, quam nec qui emerunt habent, nec qui uendiderunt. Tibi des oportet iſtud bonum, à te petas.* Et in calce eiuſdem epiſtolæ ſubdit: *Si perpendere te uoles, ſepone pecuniam, domum, dignitatem, intus teipſe conſideras: nunc qualis ſis, alijs credis.* Sic Cic. Curioni

rioni l. 2. epiſt. 7. *Tibi gratulor, & ut ſempiterne laudi tibi ſit iſte Tribunatus exopto, teq; hortor, ut omnia gubernes, & moderere prudentia tua, ne te auferāt aliorū conſilia. Nemo eſt, qui ſapiētius tibi ſuadere poſſit teipſo numquam labere ſi te audies.* Sic Horat. 1. ſerm. ſat. 3. inquit:

*ingenium ingens*
*Incultum latet hoc corpore, deniq; teipſum*
*Concute, num qua tibi uitiorū inſeuerit olim*
*Natura, aut etiam conſuetudo mala, namq;*
*Neglectis urenda filix innaſcitur agris.*

Et iuuen. ſat. 11. verſu 27.

*E cælo deſcendit γνῶθι σεαυτόν*
*Figendū, & memori tractandum pectore, ſiue*
*Coniugium quæras, uel ſacri in parte Senatus*
*Eſſe uelis (nec enim loricam poſcit Achillis*
*Therſites, in qua ſe traducebat Vlyſſes*
*Ancipitem) ſeu tu magno diſcrimine cauſam*
*Protegere affectas, te Conſule, dic tibi quis ſis*
*Orator uehemens, an Curtius, an Matho: buccæ*
*Noſcenda eſt menſura tuæ, ſpectandaq; rebus*
*In ſummis minimiſq; etiam quū piſcis emetur*
*Ne mullum cupias, quum ſit tibi gobio tantū*
*In loculis: quis enim te deficiente crumena,*
*Et creſcente gula, manet exitus.*

Optimum ergo datum conſilium ei, qui falſis adulatorum laudibus inaniter efferebatur, ut ſecum habitaret, ideſt ut ſeipſum introſpiceret, aduerteretq; illas ſibi minimè conuenire, atq; ita poſſet ſolidè conſiſtere in ſe, ne ventoſis huiuſmodi laudibus raperetur inaniter ſupra ſe.

*CVRTA ſuppellex.* Curtum dicitur, quod eſt ſtrigoſum, detritum, aut mutilum. Sic Hor. 1. ſer. ſat. 6.

*nunc*

*nunc mihi curto*
*Ire licet mulo, uel ſi libet, uſq; Tarentum*
*Mantica, cui lumbos onere ulceret, atq; eques armos.*

Curtum etiam eſt breue, deficiens, ſeu non pertingens ad deſtinatum. Sic Celſus lib. 7. in calce capitis 8, & initio noni ait: *Si quid ibi curti eſt. ſarcire, quæ res quum in labris quoq; & naribus fieri poſſit, eamdem etiam rationem habeat. ſimul explicãda eſt. Curta igitur in his tribus, ac ſi qua parua paria ſunt, curari poſſunt: ſi qua maiora ſunt, aut non recipiunt curationem, aut ita per hanc ipſam deformantur, ut minus indecora ante fuerint.* Hic igitur curta ſuppellex cognominata eſt, vel detrita, vel non numeroſa, & abundans, ſed potius deficiens pro vſu etiam quotidiano domus, & familiæ.

*SVPPELLEX*, vel ſuppellectilis, ſiue in genere neutro, ſuppellectile, tertiæ ſemper declinationis, iuxta Pomponium ad legem 1. de ſuppellectili legata, domeſticum eſt inſtrumẽtum, cui nec argentum, nec aurum factum, nec veſtes adnumerantur. Et vt docet Paulus Iuriſconſultus, comprehendit mẽſas, ſcamna, ſubſellia, culcitras, lectos, lectiſternia, thoralia, mappas maximè villoſas, pelues, candelabra, lucernas, vaſa ænea vulgaria, quæ videlicet proprio loco non ſunt attributa, capſas, arcas, armaria, vaſa tam eſcaria, quã potoria, niſi ſint aurea, vel argentea, & alia ſimilia. Dicta ſuppellex, vel quod eo nomine primitus ea ſignificarentur, quę ſuper cubiculares, vel tricliniares lectos ſterni conſueuiſſent: remãſiſſe vero appellationem etiam ad alia ſignificanda

extenſam. Vel iuxta Labeonem, quia olim his, qui in legationem, vel militiam proficiſcerentur, locari ſolerent, quæ ſub pellibus vſui forent. Legati namque, & milites, ea quæ ſecum deportabant, pellibus inuoluebant, & in eis dormiebant, vel ex eiſdem conſtruebant tentoria. Ruſticæ coloni ſuppellectilis meminit Virg. dicens 1. Georg. verſu 160.

*Dicendum, & quæ ſint duris agreſtibus arma*
*Queis ſine, nec potuere ſeri, nec ſurgere meſſes:*
*Vomis, & inflexi primum graue robur aratri,*
*Tardaq; Eleuſynæ matris uolxentia plauſtra,*
*Tribulaq; trachææq; & iniquo pondere raſtri*
*Virgea præterea Celei, uiliſq; ſuppellex*
*Arbuteæ crates, & myſtica uannus Iacchi.*

Horatius etiam ſordidam cuiuſdam ſuppellectilem deſcribit dicens 1. ſerm. ſat. 6.

*Cœna miniſtratur pueris tribus, et lapis albus*
*Pocula cũ cyatho duo ſuſtinet, adſtat echidnus*
*Vilis cum patera guttus, Campana ſupellex.*

Splendidam vero ſupellectilem deſcribit Cic. Actione 4. in Verrem dicẽs: *Heraclius eſt Hieronis filius Syracuſanus, homo in primis domi ſuę nobilis, & ante hunc Prætorem, uel pecunioſiſſimus Syracuſanorum: nunc nulla alia calamitate, niſi iſtius auaritia, atq; iniuria, pauperrimus. Huic hæreditas facile ad H.S. vicies uenit teſtamento propinqui ſui Heraclij: plena domus cælati argenti optimi, multæq; ſtragulæ ueſtis, pretioſiſſimorum mancipiorum, quibus in rebus iſtius cupiditates, & inſaniam quis ignorat? erat in ſermone res, magnam Heraclio pecuniam uenisſe, non ſolum Heraclium diuitem, ſed etiam ornatum ſuppellectili, argento, ueſte, mancipijs*

*futurum* . Quod autem nominat hic curtam ſupellectilem, eam intelligit quæ minimè vſui ſufficeret, nempe quotidianæ miniſtrandi neceſſitati: quam tamen deficientiam, ſiue inſufficientiam, tunc tantum poteſt quis aduertere quum apud ſe, in propria videlicet habitat domo vna cum ſuis: ſi vero quis per alienas ſemper vagetur ędes, apud alios perpetuo tam cibum capiens, quam ſomnum, propriam nequaquam poterit vnquam noſcere indigentiã, ſeu paupertatem. Verum quæ hic dicta ſunt, metaphoricè ſunt accipienda, translatione ducta à ſupellectili externa, pertinente ad bona fortunæ, ad apparatum bonorum animi, quæ ſunt bona honeſta, & ſola vera bona, nempe ſcientiam, & virtutes. Nam qui propriæ conſcientiæ negligit examen, nec priuatos geſtit mores cognoſcere, ſed ad inſtar illius Oli, de quo ſupra ex Martiale dicebamus, alios perſcrutare non ceſſat, ſe vero ipſum nequaquam curat, immo de ſe ſemper alijs, & maximè congerronibus credit, & adulatoribus, numquam cognoſcere poterit, quem verè patitur eruditionis, & virtutum defectum, quod eſt ſibi ſupellectilem eſſe curtam, & minimè ſufficientem.

PA-

## PARAPHRASIS TEXTVS SECVNDI, & vltimi SATYRÆ QVARTÆ.

MIrabile valde eſt pleroſq; homines omninò negligere cōſiderationem ſuorum morum, vt neſciant praui ne illi ſint, àn ſtudioſi: alienorum vero adeo eſſe curioſos indagatores, vt ſi hominē quemcumque obuium interroges, num nouerit prædia Vectidij? ille ſtatim Vectidium deſcribet, notabitque ab ea morum parte, qua ille ſit criminoſus, vel aliqua inquinatus macula: quæret enim, num de illo loquaris Vectidio, qui, quamuis adeo latos poſſideat in Sabinia agros, vt nec miluus diurno volatu eos poſſit circumambire, in tantum nihilominus ſordet auaritia, vt etiā peracta ſemente, quum ſui agricolę, de vicinorum agris, & publicis vijs, aratro, nōnnihil deraſerint, ad ſuos magis agros dilatandos, eiſdem, in die tantæ lætitiæ, nihil aliud apponit edendum, niſi far, & cepas, quibus ipſe dentes infixerit, dum vna cum eis familiariter veſcetetur: nihil ad potandum, niſi aceti fœcem, eamque in modica menſura. Quibus quum libenter agricolæ, colonique in tali ſollemnitate epulati dicantur, innuitur diebus profeſtis canino exceptos fuiſſe conuiuio. Et ita ab obuio deſcribitur parcus. Quod ſi quęras de luxurioſo, qui balneis corporique curando aſſiduam det operam, oppoſitis depingetur coloribus: illico namque interrogatus, uel ſponte, cubito tangens proximum, incitet ad ad-

uertendum, quaſi ille, de quo ſermo exortus fuerat curet cutem, expungatque ex ea pilos, ut ſe toti populo exhibeat catamitum:& quaſi concionabundus uociferabitur, indignum plectendumque facinus, ſi is pilos ex inguinibus uellat, cuius in maxillis uilloſa barba, pretioſis redolet unguentis. Aſſeretque impoſſibile, ita pilos ex ſecretis uellere partibus,ut iterum non renaſcantur, quum illi ad inſtar filicis numquam aratro manſueſcentis, toties renaſcantur,quoties fuerint euulſi. Sic ergo quiſque aliorum explorat uitia, & de his libenter loquitur, propria uero non curat, niſi ab alijs admoneatur: inde gladiatorum more poſtquam linguæ ictum in alium uibrauit, iuxta morem,ab eo expectat redhoſtimentum ſimilis,uel peioris calumniæ. Quæ quum ita ſint,fruſtra tu Princeps Nero,uel Magnas,flagitioſè uiueas,ſperas te poſſe latere:nam et iãſi nullus ſuum illorum uideat vulnus, quod auratis contegit,potentię,& dominationis veſtibus, virium tamen defectus illud manifeſtabit,ideſt operationes tuæ declarabunt, ipſas ex virtute non prodire. Ad hæc Nero. Sed quum omnes, qui me nouerunt, prædicent virtutibus,& ſapientia præditum,nonne conueniet me tálem exiſtimare, qualis ab eis dicor? Ad hæc poeta negatiuè reſpondet, enumerans ſigna quibus credere debeat potius, quam populi vocibus. Ait ergo: ſi auaritia ſordeas,& ad nummi conſpectũ,deſiderio palleſcis: vel ſi in Venerem procliuis,quo eam expleas,nec patrimonium, nec ſanitatem, aut famam penſi habes. Vel ſi iniuſtitia, & inſolentia

lentia graſſaris per vias, alios opprimens, vel per tribunalia,& fœneratorum litiges menſas, fruſtra populo credis laudanti. Contemne ergo laudes tibi immerenti ab adulatoribus, paraſitis, vel metuentibus datas, ſed teipſum ſtude, ut cognoſcas, uideaſque tibi deeſſe uirtutes, & eruditionem, & ita valeas hæc tibi comparare.

*Finis Commentariorum Satyræ quartæ.*

A01 1465186